THEOLOGIA SCOTI A PROXILITATE, ET SUBTILITAS EIUS AB...

Jean Gabriel Boyvin

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
14
36 H
14

XVII. 9.

Ex libris Congregis Missionis

THEOLOGIA SCOTI A PROLIXITATE, ET SVBTILITAS EIVS AB OBSCURITATE LIBERA ET VINDICATA.

SEU

OPVS THEOLOGICVM STUDENTIBUS SIC ATTEMPERATUM,

UT IN ILLO HABEANT AD MANUS

Theologiæ Scholasticæ integritatem brevem, & profunditatem planam.

Authore V. P. IOANNE GABRIELE BOYVIN, in Provinciâ Franco-Parisinâ strictioris Observantiæ

Lectore Theologiæ jubilato,

Et apud FF. Minores Virienses emerito Professore, ex eâdem urbe oriundo.

QUATUOR PARTIUM TERTIA.

Secunda Editio correctior.

Domus Romanæ

PARISIIS, Apud EDMUNDUM COUTEROT, viâ Iacobeâ, sub signo boni Pastoris.

M DC. LXXI.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

CONGR. MISS. MONTIS CITATORII

ILLVSTRSSIMO
NOBILISSIMOQUE
DOMINO D.
CAROLO DE LONGAVLNAY,
BARONI DE LA FERRIERE,
DOMINO DE SEPTUANS,
ET DES FRESNES,
INSIGNIS ECCLESIÆ BAIOCENSIS,
CANONICO,
NECNON DECANO MERITISSIMO.

Sapientiæ purioris Antistiti, scientiarum Genio, sacrorum Vindici, pauperum Ærario, disciplinæ Ecclesiasticæ Ornamento, vitiorum acerrimo Domitori.

FR. IOANN. GABRIEL BOYVIN
Tertiam operis sui Theologici partem
O. D. C.

SAPIENTIÆ patrocinium sibi exoptant omnes, tuum ambit illa, VIR CLARISSIME, *magnæ utique cliens & te digna, morum Theologia. Cui, cùm ex ipsius legibus, ac præceptis factum, quoad eius fieri posset, & confirmatum patronum quærerem, te potior*

in omni genere virtutis occurrebat nemo ; inde metire quantus sis Neque tamen , ut verum fatear , & assentandi vitium ab omni hoc opusculo deprecer , invitare me potuit ad illud tibi offerendum , Longalnea gentis vestra splendor , tametsi longè latèque diffusus ; non gentilitiorum heroum numerosa series , qui totum olim hoc Gallia regnum implevère fortitudinis bellicæ monimentis , atque etiam nunc admiratione sui , animos posterorum ; non per varias , & eas illustres Rohannæ Gueslinæque stirpis affinitates , ductus sanguis tuus , ut iam inde ab illis Bertrandis , Longalnæo & Gueslinæo , ac multò ante utrumque , nullus in amplissimis Armoricæ Normaniæque Provinciis , illustrioris notæ & celebritatis heros extiterit , quem non inter avos tuos numeres ; non denique externa illa opum aut amplitudinis ornamenta ; quæ quanta sint neminem sanè latere arbitror. Quis enim in superiorum temporum historiis ità peregrinus atque hospes , qui non Bertrandi & Lucæ Longalnæorum res fortiter gestas , si minùs , è scriptorum monimentis , at certè auditione , aliqua cognoverit ? Testes Aquitania & Normania , quantam Navarros & Anglos Bertrando , Gueslinæo supremo stabuli Regii Præfecto , eodemque consobrino suo freti gesserint. Meminere Hispania , quàm sibi posterisque amplam gloriam , nulla re magis , quam in debellandis Mauris atque Saracenis Sanctæ Crucis hostibus , defendendaque sedis Apostolicæ dignitate pepererint. Summi cubicularii dignitas , Pontiumque Vbritiorum & Cruciatorii administratio , quibus donata à regibus , Ludovico XI. & Carolo VIII. vestra fuit familia , non obscura

extant illius erga regnum meritorum monimenta. Neque unquam satis apud posteros Francisci & Hervei Longavæorum fortitudo prædicabitur, quorum alter torquatus Eques in prælio Bicoquensi, alter verò inferioris Normaniæ, Cisortii, & Caletensis agri perfectus, delitiæ populi, amor nobilium, hæreticorumque terror, in pugnâ Ibræensi, octogenarius annis, sed meritis gravior, inter primos fortiter dimicans, summo omnium, sed præcipuè regis desiderio, gloriosè occubuit. Vnde tanta apud omnes vestri generis fuit existimatio, ut Mareschallus de Sancto Gerentio, cujus nominis splendor per totam sese Europeam diffuderat, mancam gloriam, irritosque labores suos existimaverit, nisi ipse & filius, vestræ prosapiæ, quam heroum seminarium vere appellarim, illustri nuptiarum fœdere jungerentur. Nec silentio obruendum credideris, quòd Illustrissimus Avus vester, apud Henricum IV. gratiosus, Quillebovii administrator, promisso Mareschalli baculo insignitus fuisset, ni mors præmatura Principis debitos honores meritissimo subripuisset; quodque jussu regis Ludovici XIII. milites conscribenti, tantus nobilium concursus nomina dederit, ut jam non turmam, sed exercitum, immò totidem Duces, ipsumque Imperatorem verè credideris. Vnde factum est, ut Rupellam adveniens, non solum totius exercitûs Cardinalisque Richelii, verùm etiam ipsinsmet Regis admirationem in se converterit, à quo, uti par erat, benigno vultu & colloquio exceptus, quantis potuit precibus contendit, ut solus cum suis arcem regiam infestantem copias, haud dubiam pollicitus victoriam, oppugnaret. Fabiam gentem

solam sponte suâ Romani populi bulla gerentem nemo non credidisset; jamque spretis circumstantibus undequaque periculis, involaret in hostem, in Regis imperium tanto viro tenentis inhibuisset; tantus ardor animi, atque ita parandæ majorum exemplo gloriæ avidus; quid enim ille in confertissimos hostium globos cunctaretur irrumpere, cujus triumphale nomen non unius alicujus familia, sed ipsiusmet victoriæ nomen esse videtur. Omitto ista omnia, VIR ILLUSTRISSIME, *licet amplissima, & in vestram hæreditario iure transmissa familiam; si tamen citra invidiæ suspicionem retexere fas est, quæ clarissimus Comes, frater vester, hisce superioribus annis in Hungaria pro Christo dimicans strenuè gessit; cujus spectatæ virtus inter alia præclarè facta in eo præcipuè enituit, quòd quadraginta & amplius Christiani nominis hostes, uno prælio, propria manu, tot illustribus avis dignus sanè nepos, occiderit. Omitto, inquam, ista omnia; habes alia majora, quæ suspicimus, quæ hoc lucubrationum mearum manusculum (si ita vocari debitum fas est) suo quasi iure sibi vendicarint, & qui iam licet mecum recognoscas; tuas, inquam, virtutes, quarum ubique constanti & incredibili concordia, iam pridem omnium in te oculos admirationemque convertisti. In Deum ità pius, ut omnia quæ eius gloriam spectent, ardentissimè persequaris; ità liberalis in pauperes, neminem ut patiaris egenum; Religiosis ordinibus ità addictus, ut nonnullorum etiam collapsam disciplinam, quod antè multi frustrà tentarant, instauraveris; ità demum rerum gerendarum & diœceseos administrandæ peritus, illiusque prudentia, quam nostra hæc Theologia docet, ità con-*

sultus, ut Illustrissimus Bajocensium Præsul, partem oneris, & curarum suarum non exiguam, nusquam tutiùs arbitretur quam in te posse deponi; erga omnes beneficus, etiam in hæreticos, quorum conversioni sedulò in oculis celeberrimæ civitatis allaboras; tibi uni parùm aquus, qui nihil horum te habere præ modestia suspiceris. Hæc sunt, VIR ILLUSTRISSIME, *quæ ego admirans, impulsus sum, ut nobilem hanc & præcipuam totius Theologiæ partem, quam virtutum regnum merito dixerim, tibi dedicarem; nulli iustiùs consecrari posse ratus, quàm ei qui virtutes illius omnes in se suisque moribus adeò fæliciter expressisset, ut cuius magister, iam antè exemplis esse cœpisti, eam patronus deinceps tui etiam nominis authoritate tuerere, atque ita de nobis, ac toto Minorum ordine pergeres, quasi de tuis clientibus, tutor benèmereri. Vale.*

AVTHORI.

DVm vidit Divus Summam in tribus esse libellis,
Tam claram Thomas, talia verba dedit:
Boyvinum certè breviato hausisse fatebor
Scripta sua è nitido, quo mea, fonte Deo.

IOANNES LE MASSON
Presbyter.

AVTHORI.

Divino afflatu scripta hæc illapsa putarim,
Cùm divinus ab his undique spiret odor;
Authore ex uno si tam divina legantur,
Divinum authorem dicere quis renuet?

CHRIST. DE S. MARTIN JOVENNI,
Cadomæus.

Approbatio.

NOs subsignati Theologiæ Doctores & Professores, accuratè legimus tertiam partem Theologiæ Scoti, à R. Patre JOANNE GABRIELE BOYVIN Lectore jubilato elaboratam; in quâ, sicut & in aliis partibus omnia sunt fidei Orthodoxæ consona, & præli dignissima. Datum loco & tempore in primâ parte memoratis.

DE ROYSEY. GOUPIL. NORMAND.
DAVID. NEEL. SELLES.

INDEX

DISPUTATIONUM, CAPITUM ET QUÆSTIONUM, *TERTIÆ PARTIS.*

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

DISPUTATIO I. DE SACRAMENTIS IN GENERE. fol. 1.

CAPUT I. DE NATURA ET NUMERO SACRAMENTORUM.

QUÆST. I. *Quid sit Sacramentum?* 2

II. *Quot sint Sacramenta novæ legis?* 5

III. *An Sacramenta sint æqualia in dignitate?* 8

IV. *An Sacramenta constent rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma?* 10

V. *An materia & forma Sacramentorum sint determinata?* 13

VI. *Vtrùm nostra Sacramēta sint necessaria?* 15

VII. *An in statu Innocentiæ fuerint Sacramenta?* 17

VIII. *An fuerint Sacramēta in lege Naturæ?* 22

IX. *An fuerint aliqua Sacramenta in lege Scripta?* 24

CAP. II. DE CAUSA SACRAMENTORUM.

QUÆST. I. *Quis sit Auctor Sacramentorum?* 27

II. *Quis sit Minister Sacramentorum?* 30

III. *An requiratur Intentio ministri?* 32

IV. *Qualis debeat esse intentio ministri?* 35

V. *An requiratur Fides in ministro?* 39
VI. *An Probitas requiratur in ministro?* 40
VII. *Quænam dispositio requiratur in suscipiente Sacramentum?* 42
CAP. ULT. DE EFFECTU SACRAMENTORUM.
QUÆST. I. *An Sacramenta conferant gratiam Habitualem?* 44
II. *Vtrùm Sacramenta conferant habitus supernaturales cum gratia?* 46
III. *An Sacramenta conferant gratias Actuales?* 48
IV. *An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?* 50
V. *An Sacramenta legis antiquæ contulerint gratiam ex opere operato?* 53
VI. *An Circumcisio contulerit gratiam ex opere operato?* 56
VII. *An Sacramenta conferant gratiam vel Moraliter, vel Physicè?* 59
VIII. *An Sacramenta imprimant characterē?* 65
DISP. II. DE SACRAMENTIS IN SPECIE.
CAPUT I. DE BAPTISMO.
QUÆST. I. *Quid sit Baptismus? quando fuit institutus? & quotuplex sit?* 68
II. *Quænam sit materia Baptismi?* 73
III. *Quanam sit forma Baptismi?* 77
IV. *De Ministro Baptismi?* 84
V. *Quinam sint effectus Baptismi, & qua dispositio?* 87
VI. *Quomodo Baptismus sit necessarius, & quæ sint adhibenda ceremoniæ?* 93
CAPUT II. DE CONFIRMATIONE.
QUÆST. I. *Quid sit Confirmatio?* 102
II. *An Confirmatio sit Sacramentum?* 103

III. *Quando instituta fuerit Confirmatio?* 105
IV. *Quanam sit materia remota Confirmationis?* 107
V. *Quanam sit materia proxima Confirmationis?* 110
VI. *Quanam sit forma Confirmationis?* 111
VII. *Quis sit minister hujus Sacramenti?* 113
VIII. *Qui possint Confirmari?* 116
IX. *Quosnā effectus producat Confirmatio?* 117
X. *Quid requiratur in Confirmando?* 119
XI. *Quinam sint Ritus hujus Sacramenti?* 120

CAP. III. DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

QUÆST. I. *Quid sit Eucharistia, quotuplex sit & quando instituta fuerit?* 123
II. *Ex quibus constet Sacramentum Eucharistiæ?* 126
III. *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium?* 128
IV. *Quanam sit materia Eucharistiæ?* 131
V. *Vtrùm materia consecranda debeat esse præsens, sensibilis & determinata?* 135
VI. *Verùm necessariò debeant simul consecrari panis & vinum?* 138
VII. *An aqua admixta vino convertatur immediatè in sanguinem?* 141
VIII. *Quænam sit forma Eucharistiæ?* 142
IX. *An Corpus Christi sit in Eucharistia?* 147
X. *An Corpus Christi sit in Sacramento per impanationem, annihilationem, aut transsubstantiationem?* 154
XI. *Quæ sint in Eucharistia vi verborum, & quæ per concomitantiam?* 157
XII. *An Christus sit in singulis partibus hostiæ ante divisionem?* 160

XIII. *Vtrùm Corpus Christi habeat suam quantitatem in Eucharistia?* 161
XIV. *Quænam prædicta verificentur de Christo in Eucharistia?* 163
XV. *Vtrùm Corpus Christi dicatur agere, pati & moveri?* 165
XVI. *An accidentia sint sine subjecto in Eucharistia?* 169
XVII. *Quamdiu maneat Corpus Christi sub speciebus?* 170
XVIII. *Quomodo ex speciebus generetur aliquid?* 172
XIX. *Quosnam effectus producat Eucharistia?* 173.
XX. *Quandonam Eucharistia producat suos effectus?* 176
XXI. *Quænam dispositio requiratur in suscipiente Eucharistiam;* 178
XXII. *Quis sit minister Eucharistiæ;* 180
XXIII. *An sumenda sit Eucharistia necessariò sub utraque specie?* 182

CAPUT IV. DE SACRIFICIO MISSÆ.

QUÆST. I. *Quid sit sacrificium Missæ, & à quo fuerit institutum?* 189
II. *Quid offeratur in Missa, & à quo?* 191
III. *In qua actione consistat essentia hujus sacrificii?* 194
IV. *An sacrificium Missæ sit propitiatorium, & impetratorium?* 197
V. *Quis sit effectus sacrificii Missæ?* 198
VI. *An valor sacrificii Missæ sit finitus, vel infinitus?* 200
VII. *Pro quibus possit celebrari sacrificium Missæ?* 204

VIII. *De quibusdam circumstantiis ad Missam requisitis.* 206

CAPUT V. DE PŒNITENTIA.

QUÆST. I. *Quid sit Pœnitentia, quando fuerit instituta, & an necessaria fuerit?* 212

II. *Quanam sit materia Pœnitentiæ?* 216

III. *Quanam sit forma Pœnitentiæ?* 219

IV. *An per Pœnitentiam omnia peccata remittantur.* 223

V. *An peccata possint remitti sine Pœnitentia?* 225

VI. *An peccatum possit remitti sine infusione gratiæ?* 227

VII. *An unum peccatum possit remitti sine alio?* 230

VIII. *An peccatum tollatur per solam non imputationem?* 231

IX. *An per pœnitentiam remittantur peccata venialia?* 233

X. *Vtrùm Sacramentalia possint peccata venialia remittere?* 235

XI. *An remissâ culpâ tollatur Reatus ad pœnam?* 239

XII. *Vtrum merita mortificata redeant per Pœnitentiam?* 242

CAP. VI. DE PARTIBUS PŒNITENTIÆ.

QUÆST. I. *Quid sit Contritio propriè sumpta?* 247

II. *Quid sit Attritio, & quomodo à Contritione differat?* 252

III. *An Attritio sufficiat ad remissionem peccati?* 253

IV. *An Contritio sit necessaria?* 259

V. *Qualis debeat esse Contritio?* 263

CAPUT VII. DE CONFESSIONE.
QUÆST. I. *Quo jure necessaria sit Confessio?* 264
II. *Quis obliget præceptum Confessionis?* 268
III. *Quo tempore obliget præceptum Confessionis?* 270
IV. *Quanam sint conditiones Confessionis?* 277
V. *An Confessio debeat esse integra?* 281
VI. *In quibus casibus possit non esse integra Confessio?* 286
VII. *An solus Sacerdos sit minister Confessionis?* 290
VIII. *An omnis Sacerdos sit minister Confessionis?* 292
IX. *An quilibet Sacerdos possit absolvere à venialibus peccatis?* 295
X. *An quilibet Sacerdos possit absolvere in articulo mortis?* 296
XI. *Quis sit minister ordinarius Confessionis?* 298
XII. *Vtrùm quis possit dare delegatam Iurisdictionem?* 299
XIII. *An habens potestatem audiendi Confessiones à Papâ vel Episcopo, possit illas audire sine licentiâ Episcopi, aut Parochi?* 300
XIV. *Quis sit minister vagorum & itinerantium?* 305
XV. *Quanam conditiones requirantur in Confessario?* 306
XVI. *Quid dicendum sit de casibus reservatis?* 308
XVII. *Quo jure & in quibus servari debeat sigillum Confessionis;* 312
CAP. VIII. DE SATISFACTIONE.
QUÆST. UNICA. *Quid sit dicendum de satisfactione?* 315

CAPUT IX. DE INDULGENTIIS.

QUÆST. I. *Quid sint Indulgentiæ, & in quo consistant?* 319
II. *Quotuplex sit Indulgentia, & quomodo Indulgentiæ ad tempus intelligi debeant?* 323
III. *Quid sit Jubilæus?* 325
IV. *Quis possit Indulgentias concedere?* 328
V. *Quænam requirantur ut quis possit Indulgentias consequi?* 331

CAPUT X. DE EXTREMA UNCTIONE.

QUÆST. UNICA. *Quid sit Extrema unctio? An sit Sacramentum? A quo instituta? quæ sint materia, forma, minister, subjectum & fructus eius?* 337

CAPUT XI. DE ORDINE.

QUÆST. I. *Quid sit Ordo, & quando fuerit institutus?* 343
II. *Quot sint Ordines, & qui sint majores vel minores?* 346
III. *An quilibet Ordo sit Sacramentum?* 359
IV. *Quænam sit materia & forma Sacramenti Ordinis?* 363
V. *Quis sit minister Ordinis, & qui sint ordinandi?* 363
VI. *Quinam sint effectus Ordinis? ubi de gratia, caractere & cælibatu.* 370

CAP. ULT. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUÆST. I. *Quid sit Matrimonium, & quando fuerit institutum?* 373
II. *Vtrum Matrimonium sit, & fuerit in præcepto?* 375
III. *An Matrimonium sit Sacramentum?* 376
IV. *Quid sint materia, forma, & minister hujus Sacramenti?* 378

V. *Qualis requiratur consensus ad Matrimonium?* 379
VI. *An Matrimonium possit contrahi per procuratores?* 81
VII. *An Matrimonium clandestinum sit invalidum?* 384
VIII. *Quales debeant esse Parochus & Testes?* 385
IX. *An Matrimonium sit indissolubile?* 388
X. *An Matrimonium sit necessariò unius cum unâ?* 391
XI. *Quanam sint bona Matrimonii?* 393
XII. *Quanam sint impedimenta Matrimonii?* 396
XIII. *Quid sit dicendum de Sponsalibus?* 412

DE ACTIBUS HUMANIS COMPENDIOSA TRACTATIO.

TRACTATUS DE LEGIBUS ET POENIS ECCLESIAST. CONTRA INFRACTORES LEGUM, SEU DE CENSURIS.
DISPUTATIO I. DE LEGIBUS.
QUÆST. I. *Quid sit Lex?* 443
II. *Quotuplex sit Lex?* 446
III. *De Materia, Proprietatibus, Fine & Affectibus Legis.* 448
IV. *Quis Legem condere valeat?* 451
V. *Qui Legibus subjici possint?* 455
DISPUT. II. DE QUALIBET LEGE IN PARTICULARI.
QUÆST. I. *De lege Naturali.* 463
II. *De lege Divinâ.* 468

III. *De lege Humana, ubi de iure Canonico & Civili, de tribunalium divisione & iurisdictione qualibet in hocce regno usitata.* 484
IV. *Vtrum lex Humana obliget in conscientia?* 498
V. *An leges Humanæ obligent cum periculo vitæ?* 506
QUÆR. 1. *An aliquando liceat legem interpretari?* 510
2. *In quibus cesset obligatio legis?* 513

DISPUT. III. DE CENSURIS.

QUÆST. I. *De Censuris in genere.* 529
QUÆRES 1. *Quid sit Censura secundum nomen?* ibid.
2. *An sit in Ecclesia potestas ferendi censuram?* ibid.
3. *Quid sit Censura?* 530
4. *Quotuplex sit Censura?* 532
5. *Quis possit ferre censuras?* 533
6. *Quis possit Censuris ligari?* 535
7. *Quanam sit materia ob quam Censura possit ferri?* 537
8. *Quanam forma observari debeat, dùm Censura fertur?* 540
9. *Quænam rationes impediant validitatem Censuræ?* 542
10. *An ignorantia excuset, nè aliquis censuram contrahat?* 543
11. *Vtrùm impotentia, metus & consensus partis impediant censuras?* 546

QUÆST. II. DE EXCOMMUNICATIONE.

QUÆRES 1. *Quid sit Excommunicatio?* 548
2. *Quotuplex sit Excommunicatio?* 549
3. *An sit in Ecclesia excommunicandi potestas,*

quis posſit excommunicationem ferre, quis excommunicari queat, & quid in conciliis & iure intelligatur nomine Anathematis? 550

4. *Quotuplex sit Excommunicatio maior?* 551

5. *Quosnam effectus producat Excommunicatio?* 553

6. *An Excommunicatio maior communione fidelium privet?* ibid.

7. *An Excommunicatus privetur suffragiis Ecclesiæ?* 557

8. *An Excommunicatus privetur receptione Sacramentorum?* 558

9. *Vtrùm Excommunicato prohibeatur administratio Sacramentorum?* 560

10. *Vtrum Excommunicatus privetur divinis officiis?* 562

11. *An Excommunicatio privet sepultura Ecclesiastica?* 564

12. *An Excommunicati iurisdictione priventur?* 566.

13. *Vtrùm Excommunicatio privet beneficiis & eorum usu?* ibid.

14. *Quid sit Excommunicatio minor, & quos effectus producat?* 569

15. *Quid dicendum sit de præcipuis Excommunicationibus maioribus, & primò de excommunicatione quæ contrahitur ob percussionem Clerici?* 570

16. *Quid dicendum sit de Excommunicatione, quæ contrahitur ex omissa revelatione in Monitoriis?* 573

17. *Quæ sint casus in quibus aliquis dispensari potest a revelatione?* 576

18. *Quis posſit ab Excommunicatione absolvere?* 581

INDEX.

QUÆST. III. *De Suspensione.* 591
QUÆST. IV. *De Interdicto.* 592
QUÆST. V. *Quid sit Irregularitas?* 593
QUÆR. 1. *Quid sit Irregularitas procedens ex defectu Sacramenti?* 594
2. *Quando contrahitur Irregularitas ex defectu corporis?* 595
3. *In quibus casibus contrahatur Irregularitas ex defectu animæ?* 596
4. *Quid sit Irregularitas ex defectu homicidij?* ibid.
5. *Quid sit Irregularitas ex delicto?* 604

FINIS.

TRACTATVS

TRACTATVS DE SACRAMENTIS.

CUM Deus ſuam gratiam, maximè habitualem, Sacramentis alligaverit, tanquam certis quibuſdam canalibus, per quos in animam transfunditur ſupernaturalis illa qualitas; ideò congruum mihi viſum eſt, ut poſtquam de Gratia egimus, ſubjungatur tractatus de Sacramentis, in duas diſputationes dividendus, quarum prior erit de illis in genere, poſterior de iiſdem in ſpecie.

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

IN hâc diſputatione tria maximè nobis examinanda ſunt; ſcilicet natura & multiplicitas Sacramentorum, deinde ipſorum cauſa, denique eorum effectus.

CAPUT PRIMUM.

De naturâ & numero Sacramentorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Sacramentum?

SACRAMENTI vocabulum diversimodè usurpatur; v. g. pro Mysterio, vel pro secreto; sed propriè & secundùm nostrum propositum sumitur pro Signo rei sacræ; quam definitionem affert D. Augustinus: illa tamen descriptio non est accurata; in sacris enim Scripturis, multa sunt signa rei sacræ, quibus tamen ratio Sacramenti non competit propriè, v. g. Transitus maris rubri significabat gratiam per pœnitentiam conferendam, Manna gratiam per Eucharistiam communicandam, Serpens æneus gratiam per Christum in cruce pendentem nobis dandam; hæc autem omnia non sunt propriè sacramenta: & sic Aug. descriptio minùs correcta est; quam si salvare velimus, ob reverentiam tanti Doctoris, addendum est, Signum efficax rei sacræ, ideſt, gratiæ: ad Sacramenti enim rationem, non sufficit quòd gratiam significet, ut Manna, Serpens æneus, & Transitus maris rubri significabant; sed requiritur insuper, quòd ipsamet gratiam producant & effundant. Hæc omnia explicabit

Conclusio.

Sacramentum est Signum sensibile & externum, divinitùs institutum, gratiam Dei efficaciter significans. Dicitur primò, *Signum sensibile*, seu *externum*; quia instituta sunt Sacramenta sub rebus sensibilibus, ut sunt aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione, Extrema-unctione, & Ordine; panis in Eucharistiâ, verba absolutionis in Pœnitentiâ, & nutus externus partium in Matrimonio. Ratio autem cur Sacramenta sunt sensibilia, est quia Ecclesia est sensibilis, & proinde sensibiles debet habere ceremonias. Dicitur secundò, *divinitùs institutum*; quia solus Christus Deus & homo instituit Sacramenta. Dicitur tertiò, *gratiam significans*; quia omnia Sacramenta gratiam nobis collatam significant: alia gratiam subsistantialem & subsistentem significant, scilicet Eucharistia, quæ significat Christum quem continet, qui quidem Christus vocatur gratia subsistens & subsistantialis, in quantùm est principium omnis gratiæ: alia verò significant gratiam inhærentem & habitualem, quæ inhæret animabus fidelium qui Sacramenta recipiunt. Subjungitur tandem, *efficaciter*; quia est hæc differentia inter Sacramenta novæ legis & Sacramenta veteris, quòd Sacramenta veteris legis significabant tantùm gratiam, non verò conferebãt; nostra verò illam significant & conferunt. Porrò, quando diximus Sacramentum esse Signum, hoc intelligitur multis modis; scilicet, quòd sit signum rememorativum passionis Christi, demonstrativum gratiæ præsentis, & pronosticum gloriæ futuræ.

Objicies, Si Sacramentum esset Signum gratiæ quam confert, non posset recipi Sacramentum, nisi simul reciperetur gratia; sed aliquando recipitur Sacramentum & non gratia, ut patet in indignè communicantibus, qui corpus Christi reverà sumunt, & nullam accipiunt gratiam. Resp. Sacramenta esse reverà effectiva & productiva gratiæ, dummodò non ponatur obex, ut faciunt illi qui communicant indignè; hoc tamen non impedit efficaciam Sacramentorum, quia si aliquando illam non conferant, hoc provenit, non ex defectu Sacramenti, sed ex defectu recipientis, qui interponit obicem gratiæ. Exemplificari potest de sole, qui habet virtutem illuminativam omnium corporum; si quis tamen clauderet oculos, non illuminaretur; sed talis defectus procederet, non ex parte solis, qui non minùs diceretur illuminativus, sed ex parte illius qui oculos claudere. Nec quis dicat, aquam benedictam conferre gratiam, quoniam tollit peccata venialia: hoc enim falsum est, nam licet tollat peccata venialia, saltem remotè; non tamen gratiam confert, quia peccata venialia illam non tollunt. Nec etiam quis objiciat, Sacramentum non posse definiri, quia est ens per accidens, compositum ex rebus & verbis: licet enim Sacramenta sint entia per accidens in genere naturæ, tamen sunt unum per se in genere moris; ex institutione enim Christi forma Sacramentorum habet necessariam habitudinem ad Sacramentorum materiam.

Quæstio II.

Quot sint Sacramenta novæ legis?

Controvertuntur inter se Catholici & Hæretici super numerum Sacramentorum novæ legis; hæretici enim communiter duo tantùm volunt, Baptismum & Panem, seu Cœnam, quam nos Eucharistiam vocamus; Catholici verò septem assignant, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo & Matrimonium.

Conclusio.

Septem sunt legis novæ Sacramenta suprà enumerata; qui quidem numerus, licet non habeatur expressè ex sacrâ scripturâ, colligitur tamen ex traditione Ecclesiæ & Conciliis, maximè Florentino & Tridentino, quod ultimum sess. 7. de Sacramentis in genere can. 1. habet, *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis esse plura aut pauciora, quàm septem, Anathema sit.* Porrò, quia talis numerus est contingens, quandoquidem Christus plura aut pauciora instituere potuit, ideò non possunt assignari rationes necessariæ, quæ probent talem numerum; sed tantùm afferuntur rationes convenientiæ, quæ suadent illum esse ita congruum, ut non debuerit esse maior vel minor.

Prima ratio convenientiæ petitur ex proportione & comparatione vitæ spiritualis cum corporali; homo enim potest concipi duplici-

ter, vel in ordine ad se, vel in ordine ad rempublicam, cujus est membrum: si in ordine ad se, indiget generatione, per quam existere incipit, & huic respondet Baptismus, quo spiritualiter nascimur. Secundò indiget augmentatione, cui respondet Confirmatio, quâ, veluti infirmi & modò geniti infantes, in gratiâ accrescimus, roburque accipimus ad protestandam fidem. Tertiò, indiget nutritione, cui respondet Eucharistia, quâ tanquam spirituali cibo reficimur. Quartò, indiget medicinâ, quâ recuperetur pristina sanitas, & huic respondet Pœnitentia. Quintò, eget remedio contra reliquias morbi, ad refocillationem virium debilitatarum, & huic respondet Extrema-vnctio. Si autem consideretur, ut est membrum reïpublicæ, respublica indiget potestate & magistratu ad regendum alios, & huic respondet Ordo, ad populi Christiani gubernationem & functiones Ecclesiasticas obeundas. Septimò tandem, eadem respublica indiget propagatione individuorum, quâ conservetur, & huic respondet Matrimonium, ad procreandam sobolem, quæ in Dei cultu instruatur.

Secunda ratio convenientiæ desumitur ex Doctore seraphico D. Bonaventurâ, & hæc est; Deus per Sacramenta voluit tollere tùm culpam, tùm pœnam; est autem triplex culpa, & quadruplex pœna: ergo debent esse septem Sacramenta. Probatur minor; Culpa vel est originalis, contra quam instituitur Baptismus; vel mortalis, contra quam datur Pœnitentia; vel venialis, quam tollit Extrema-unctio. Pœna etiam peccati est quadruplex; prima est igno-

rantia, contra quam est Ordo, in quo traditur clauis scientiæ & potestas discernendi inter lepram & lepram; secundò est infirmitas naturæ, contra quam est Confirmatio, quæ novas vires addit ad protestationem fidei; tertiò est malitia, contra quam Eucharistia instituitur; quartò tandem est concupiscentia, contra quam est Matrimonium.

Objicies: Hic septenarius Sacramentorum numerus in scripturâ non reperitur: ergo fingitur gratis. Respondendum est sicut anteà, talem non assignari numerum, quasi habeatur expressè in scripturis; sed quia habetur ex traditione Apostolicâ, quæ non est minoris auctoritatis: Habetur etiam ex Conciliis, maximè ex præcitatis; si enim requireretur expressa scriptura, nec Baptismus, nec Cœna deberent teneri ab adversariis. Quòd si aliquando Paulus & D. Augustinus loquantur tantùm de duobus Sacramentis; hoc non est, excludendo alia; sed tantùm, quia illa sunt præcipua. Si etiam ex latere Christi morientis fluxerint tantùm aqua & sanguis, quæ sunt symbola Baptismi & Eucharistiæ; non minùs per tales liquores figurata fuerunt cætera, quæ in illis duobus virtualiter continentur; Baptismus enim est janua, & Eucharistia finis omnium Sacramentorum.

Quæstio III.

An Sacramenta sint æqualia in dignitate?

Scribens Lutherus ad Pragenſes, de inſtituendis miniſtris, aſſerit unum Sacramentum dignius altero eſſe non poſſe; quia, inquiebat, omnia Sacramenta conſtant Verbo Dei, quod æqualis dignitatis eſt in omnibus. Hæreticus tamen ille damnatus fuit in Concilio Tridentino, ſeſſionis 7. can. 3. *Si quis dixerit, ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe parta, ut nullâ ratione aliud ſit alio dignius, Anathema ſit.*

Conclusio.

Eucharistia, abſolutè loquendo, eſt nobilior aliis; cætera verò excedunt & exceduntur.

Probatur prima pars; primò, quia Euchariſtia continet gratiam ſubſtantialem, nempe Chriſtum, alia tantùm gratiam accidentalem. Secundò, quia Euchariſtia nunquam caret ſuo ſignificato, ſemper enim continet corpus & ſanguinem Chriſti; alia autem carent aliquando, (gratiâ ſcilicet) ob ſuſcipientis indiſpoſitionem. Tertiò, quia Euchariſtia conſiſtit in eſſe permanenti; poſt prolationem enim verborum, Sacramentum Euchariſtiæ remanet, quamdiù remanet Hoſtia incorrupta; alia autem Sacramenta conſiſtunt in actione tranſeunte; poſt prolationem enim verborum, non ampliùs exiſtunt. Quartò, quia qui conficit Sacramentum Euchariſtiæ, poteſt illud recipere;

nullus autem se baptizare, nec confirmare, nec absolvere, nec ungere, nec ordinare potest; licet partes quæ conficiunt Matrimonium, illud recipiant. Quintò, quia Eucharistia habet rationem tùm Sacramenti, tùm Sacrificij, ut aliquando dicemus. Sextò, quia Eucharistia est finis aliorum Sacramentorum; alia enim Sacramenta ad istud ordinantur, v. g. Ordo ad ejus consecrationem, Baptismus ad ejus receptionem, Confirmatio ad ejus publicam frequentationem, Pœnitentia ad dignam perceptionem, Extrema-unctio ad digniorem, Matrimonium ad ejus significationem: Matrimonium enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, & talem conjunctionem realem Eucharistia efficit.

Probatur secunda pars; quòd cætera Sacramenta sese invicem excedant & excedantur; & hoc patet inductione. Baptismus primò excedit alia Sacramenta quantùm ad remissionem peccati, remittit enim tùm peccatum originale, tùm actuale, & insuper tollit pœnas peccati. Secundò, Confirmatio excedit, quoad gratiam actualem, quam fortiùs confert, quàm alia Sacramenta, ad protestandam fidem; Apostoli enim ante receptionem Confirmationis, etiamsi baptizati fuissent & recepissent Eucharistiam, timidi erant; post Confirmationem verò intrepidi prædicabant Evangelium. Tertiò, Pœnitentia excedit alia Sacramenta à Baptismo, necessitate; quia præter Baptismum, nullum Sacramentum ita necessarium est, sicut Pœnitentia; excedit etiam Baptismum in multiplicitate, quia iterari potest Pœnitentia, non Baptis-

mus. Quartò, Extrema-unctio excedit Pœnitentiam in perfectione, quia illam præsupponit, & tollit peccati reliquias. Quintò, Ordo excellit in dignitate sui ministri, quia alia Sacramenta possunt conferri à non Episcopis, etiam Confirmatio ex dispensatione summi Pontificis, quæ à simplici Sacerdote conferri potest; non sic autem Ordo, maximè Presbyteratus; deinde, ordo habet potestatem suprà corpus Christi reale, quandoquidem illud consecrare potest; alia autem Sacramenta habent tantùm authoritatem suprà corpus Christi mysticum, nempe super fideles. Matrimonium tandem excedit alia in significatione, quia significat unionem Verbi cum naturâ humanâ; unde vocatur ab Apostolo *magnum Sacramentum.*

Quæstio IV.

Vtrùm Sacramenta constent rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ?

Res & verba non sumuntur semper formaliter, sed aliquando analogicè; pro eo scilicet, quod rebus aut verbis respondet; sic in Matrimonio nutus partium contrahentium tenet locum verborum, & in Pœnitentiâ actiones sensibiles pœnitentis, ut Confessio, Contritio, &c. tenent vicem rei; super hæc enim Sacerdos absolutionem, quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ, applicat: Quærimus ergo hîc, utrùm Sacramenta constent rebus &

verbis, sive formaliter, sive analogicè spectatis.

CONCLUSIO.

SACRAMENTA verbis & rebus constant, tanquam materiâ & formâ. Sic Concilium Florentinum in doctrinâ de Sacramentis in genere, ubi ait, omnia Sacramenta constare rebus, tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & intentione ministri conferentis Sacramentum & intendentis facere quod facit Ecclesia: res autem quâ Sacramentum constat, vocatur elementum ab Augustino, dicente, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Probatur conclusio inductione. In Baptismo v. g. aqua est res; in Confirmatione, impositio manuum; in Eucharistiâ, panis & vinum; in Pœnitentiâ, actus sensibiles pœnitentis; in Extremâ-unctione, unctio facta cum oleo; in Ordine, impositio manuum & porrectio vasorum; in Matrimonio tandem, traditio corporum explicata per verba: & sic omnia Sacramenta constant rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, quæ proferuntur à ministro in omnibus sacramentis, excepto Matrimonio, ubi verba vel nutus partium contrahentium sunt forma.

Objicies: Una & eadem res non potest habere plures formas; sed significatio gratiæ est forma cujuslibet Sacramenti, forma enim signi est significatio, Sacramenta autem sunt signa, ut diximus: ergo significatio est eorum forma: ergo Sacramenta non constant verbis tanquam formâ. Resp. Sacramentum posse sumi materialiter, vel formaliter; materialiter est aliquod ens morale constans rebus & verbis;

formaliter verò sumitur pro signo gratiæ : quo posito , distinguo minorem ; significatio est forma Sacramenti ; formaliter sumpti , & ut signum est , concedo : materialiter considerati, nego. Si quis dicat , Materia est permanens; actus autem pœnitentis non sunt permanentes: ergo non sunt materia pœnitentiæ. Resp. majorem esse veram in naturalibus , non verò in moralibus , ubi sufficit , quòd materia sit res sensibilis , ad quam forma subsequatur.

Objicies: Ut materia & forma componant essentiam alicujus entis, debent adhiberi & esse simul ; sed verba & res aliquando non existunt simul quando efficitur Sacramentum ; aliqui enim infundunt aquam super baptisatum paulo antè , vel post prolationem verborum : ergo illa Sacramenta non constant rebus tanquam materiâ & formâ. Resp. quòd ad componenda entia naturalia requiratur unio naturalis & mathematica inter materiam & formam ; ad componenda autem entia moralia , qualia sunt Sacramenta , sufficit unio moralis quæ modò major esse debet , modò minor , pro diversitate Sacramentorum ; minor v. g. requiritur unio in Matrimonio , cùm possit contrahi per litteras inter absentes , licet hoc prohibeatur usu Ecclesiæ ; in Eucharistiâ requiritur unio major, quia pronomen demonstratiuum *hoc* denotat rem ita debere esse præsentem , ut possit quasi digito demonstrari ; non tanta requiritur in Baptismo , qui potest fieri per aspersionem, & aspersio in distantem ; minor adhuc requiritur in Pœnitentiâ , potest enim Sacerdos audire hodie peccata , & cras absolvere.

QUÆSTIO V.

An materia & forma Sacramentorum sint determinata?

LUTHERUS negativè respondet, & cum eo plurimi hæretici, qui irrident eos, qui in collatione Sacramentorum certis & determinatis utuntur verbis; quia, inquiunt, Sacramenta instituta sunt ad excitandam & alendam fidem in mente recipientium; unde, modò excitetur fides Christi, non curant de verbis quibus ipsa excitetur. Quoad Calvinum autem, asserit pertinaciter, quòd in necessitate, v. g. deficiente aquâ, possit fieri Baptismus in lacte, vino, cervisiâ, aut quocumque alio liquore, quo posset fieri balneum ad abluendum baptisandum infantem. Hos hæresiarchas refutabit

CONCLUSIO.

MATERIA & forma Sacramentorum ita determinatæ sunt, ut in ipsis nulla essentialis fieri possit mutatio. Habetur enim Deuteron. 12. quòd in ceremoniis veteris testamenti nulla licebat fieri mutatio, juxta hæc verba, *Quòd præcipio tibi; facies; nec addes quidquam, aut minues*; à fortiori in novo testamento hæc determinatio requiritur, quoniam Sacramenta novæ legis sunt majoris momenti quàm veteris.

Probatur conclusio; Sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ conferendæ, quæ institutæ & determinatæ fuerunt à Christo,

qui est causa principalis : ergo debent conferri per ea verba, & per easdem res quas instituit Christus; causa enim principalis determinat instrumentalem; unde si assumerentur alia instrumenta, non haberent vim conferendi gratiam. Hoc confirmatur à Conc. Flor. & Trid. cap. de Sacramentis. Non debet ergo mutari materia aut forma, neque substantialiter, neque accidentaliter; si enim fieret mutatio essentialis, invalidum esset Sacramentum; si verò esset mutatio accidentalis, minister Sacramentorum, qui talem faceret mutationem, peccaret. Superest sciendum, quænam mutatio sit essentialis & quænam accidentalis; ad quod. Resp. quòd mutatio essentialis in materiâ, est illa quæ talis est, ut juxta communem usum loquendi & judicium hominum discrepet à materiâ usitatâ, & non ampliùs vocetur ejus nomine : Mutatio autem essentialis in verbis, est quando non manet idem sensus verborum. Ratione primi, non potest v. g. Baptismus fieri in lixivio consummato, nec in cervisiâ aut jure nimis alteratis; secus autem, si parva fieret mutatio. Ratione secundi, invalidus esset Baptismus collatus in his verbis, *In te ego Baptiso nomine*, &c. variaretur enim pro tunc sensus verborum; qui autem diceret, *Te ego Baptiso*, aut omitteret pronomen, *Ego*, valeret Baptismus, quia esset tantùm mutatio accidentalis.

Objicies Zachariam summum Pontificem, qui approbavit formam baptisandi, quâ usus fuit quidam aliàs ignarus linguæ latinæ, qui sub his verbis baptisavit : Dicendo, *Ego te Bap-*

tiſo in nomine Patria, Filia, & Spiritus Sancta; quæ voces includunt mutationem eſſentialem, quandoquidem ſunt alterius ſignificationis à verbis Sacramenti. Reſpondet Doctor Angelicus & nos cum illo; ubi corruptio fit ex ignorantiâ, vel lapſu linguæ, retinendo intentionem Eccleſiæ, ubi etiam corruptio non fit in principio aut medio dictionis, pro tunc validum eſſe Sacramentum; quando verò fit in principio, vel medio, eſſe invalidum: quia finis & terminatio non eſt ita eſſentialis, ac principium.

Quæstio VI.

Virùm noſtra Sacramenta ſint neceſſaria?

Aliquid poteſt eſſe neceſſarium in morali Chriſtianâ duplici neceſſitate; quarum prima vocatur neceſſitas medii, ſecunda eſt neceſſitas præcepti. Neceſſitas medii eſt ea quâ aliquid eſt ita neceſſarium, ut ſine ipſo finis haberi non poſſit, etiam ablata ratione præcepti. Neceſſitas præcepti eſt eâ quâ aliquid neceſſarium eſt ex ſolâ ratione præcipientis. Neceſſitas medii in ſe duplex eſt, ſcilicet intrinſeca & extrinſeca; intrinſeca petitur ex conditione extremorum; ſic v. g. ut ignis calefaciat, neceſſarium eſt, quòd habeat calorem; extrinſeca autem oritur, non ex naturâ rei, ſed ex inſtitutione divinâ.

Conclusio Prima.

Sacramenta non sunt necessaria necessitate intrinseca, sed necessitate extrinseca, orta videlicet ex institutione Dei. Primum patet, quia nulla est ratio intrinseca & essentialis cur aqua Baptismi habeat potestatem abluendi peccatum originale, vel Pœnitentia peccatum actuale, vel alia Sacramenta virtutem habeant gratiam conferendi: immò Deus, qui est liber *ad extra*, loco horum Sacramentorum potuit alia instituere; & etiam sine Sacramentis potuit conferre gratiam: ergo non sunt necessaria necessitate intrinseca. Veritas secundi habetur ex Conc. Trid. Can. 4. sess. 7. contra Zuinglianos, ubi sic habetur; *Si quis dixerit, Sacramenta nova legis non esse necessaria, sed superflua; & sine eorum vel eis aut voto, per solam fidem, homines posse gratiam justificationis adipisci, Anathema sit.* Si autem non sint necessaria intrinsecè, remanet quòd saltem extrinsecè necessaria sint.

Conclusio Secunda.

Duplici necessitate extrinsecâ Sacramenta videntur esse necessaria; Baptismus enim, Pœnitentia & Ordo necessaria sunt necessitate medii, vel in re vel in voto; Baptismus enim necessarius est omnibus sine exceptione, quia omnes in Adam peccaverunt, demptâ Virgine Mariâ: Pœnitentia est necessaria illis qui peccaverunt actualiter: Ordo autem est necessarius necessitate medii, non omnibus, sed pro omnibus; quia omnes indigent ministris ordinatis ab Ecclesiâ, qui possint absolvere reos. Quoad alia autem Sacra-

menta, sunt tantùm necessaria necessitate præcepti, ut determinavit Conc. Flor, in decreto unionis; nam sine Eucharistiâ, Extrema-unctione & Confirmatione aliquis salvus evadere potest.

Objicies: Quod est necessarium necessitate præcepti, est etiam necessarium necessitate medii; quia ex institutione Dei & Christi observatio mandatorum est ita necessaria, ut sine ipsâ beatitudo obtineri non possit. Resp. necessitatem præcepti reverà includere necessitatem medii; quando datur facultas & locus observandi præceptum, concedo: absolutè & quando non datur locus, nego. Sic v. g. si quis habeat locum sumendi Eucharistiam, debet reverà sumere tempore Paschali; necessitas tamen dispensat de observantiâ talis præcepti: quod non videtur idem in Sacramentis quæ sunt necessaria necessitate medii, ubi necessitas non excusat, quin infans moribundus baptisetur.

Quæstio VII.

An in statu Innocentiæ fuerint Sacramenta?

Triplex est naturæ humanæ status: primus est naturæ perfectissimæ, in beatitudine scilicet existentis: de quo non est controversia, an in illo Sacramenta reperiantur: secundus est naturæ integræ, quatenus consideratur in innocentiâ: tertiùs est naturæ corruptæ per peccatum. Hic tertius ulteriùs po-

test dividi in tres alios; nam alius est status hominis lapsi sub lege naturæ, qui duravit ab Adamo ad Moïsen; alius est sub lege scriptâ, in quâ mandata legis data fuerunt Moïsi, & toti populo Judaïco in monte Sinaï, & duravit à Moïse ad Christum; tertius est sub lege gratiæ, à Christo scilicet ad finem mundi perseveraturus. Hæc tempora vocantur ab August. ante legem, sub lege, & sub gratiâ; & communiter appellantur lex Naturæ, lex Mosaïca, & lex Gratiæ. De triplici illo statu loquendum est in hac quæstione, & duabus sequentibus,

Conclusio Prima.

IN statu innocentiænulla de facto extiterunt Sacramenta. Rationes hujus veritatis sunt; prima, quia Sacramenta sunt medicinæ quædam spirituales, vel quædam media supernaturalia, quæ gratiam per modum medicinæ conferunt; sed ante peccatum non erat morbus: ergo talis status non indiguit medicinâ, nec proinde Sacramentis. Secunda ratio est, quia Sacramenta debent lege stabili durare & non ad breve tempus, exiguo verò tempore duravit status innocentiæ: ergo non fuit conveniens ut Deus, qui talem brevitatem temporis prævidebat, institueret Sacramenta pro tam exiguo durationis intervallo. Tertia ratio est, quia Sacramenta pertinent ad constitutionem Ecclesiæ, sunt enim publici & solennes ritus religionis; in illo autem statu innocentiæ non erat Ecclesia perfectè composita, erant enim tantùm duæ personæ, & ad congregationem propriè dictam tres ad minùs

requiruntur. Quarta tandem ratio est, quia non habemus ex scripturâ, aut traditione, aut Patribus, vel Conciliis, quòd ullum pro tunc fuerit Sacramentum.

Objicies, Matrimonium, quod est Sacramintum, fuisse in lege Innocentiæ. Resp. pro tunc Matrimonium fuisse tantùm in officium naturæ, non in signum collationis gratiæ; & sic non fuit Sacramentum. Quòd si ab aliquibus Sacramentum dicatur; hoc est, quia fuit signum futuræ Incarnationis, non verò quòd fuerit signum efficax gratiæ; vel fuit signum unionis Christi cum Ecclesiâ; unde Paulus vocans Matrimonium *magnum Sacramentum*; subjungit, *in Christo & Ecclesia*.

Objicies ex August. Lignum vitæ erat Sacramentum; sed lignum vitæ fuit in statu Innocentiæ: ergo, &c. Resp. vocari ab Aug. Sacramentum, latè, non propriè; latè, quatenus aliquid reconditum significabat, nempe virtutem conservandi corpora, reparando scilicet humidum radicale dissipatum per actiones caloris nativi.

Conclusio Secunda.

SI longiùs durasset ille status, non constat satis, an fuissent in illo Sacramenta, potuissent tamen institui; immò, probabile est, quòd futura fuissent. Hæc conclusio tres partes habet.

Probatur prima pars, quia diximus anteà, quòd institutio Sacramentorum fuit libera: ergo pendet ex solâ divinâ voluntate quæ potuit illa instituere, vel non; divina autem voluntas non innotescit, nisi per revelationem; at

nulla habetur revelatio, an Deus instituisset Sacramenta, si status innocentiæ perseveraſſet: ergo jure dicimus, hoc nobis non constare.

Probatur secunda pars; quia Deus, si status innocentiæ duraſſet, potuisset instituere Sacramenta in remedium peccatorum, si posteà peccaſſent filii Adæ; non fuiſſent enim impeccabiles; potuisset etiam instituere illa ad conferendam augmentationem gratiæ, vel ad Dei cultum, vel ad gratiarum actiones; quia homines pro tunc fuiſſent viatores: ergo potuiſſent mereri augmentationem gratiæ per frequentationem talium Sacramentorum.

Probatur tertia pars, quòd scilicet probabiliter fuiſſent aliqua Sacramenta, & præsertim Eucharistia, Ordo, Matrimonium & Pœnitentia. Eucharistia fuisset ob tanti Sacramenti excellentiam & peculiarem unionem cum Christo, qui veniſſet ut glorificator: Ordo extitiſſet, quo deputati fuiſſent aliqui ad offerenda Deo Sacrificia in protestationem sui summi dominii, & in gratiarum actionem beneficiorum in tali statu recipiendorum; si enim in lege Naturæ & Mosaïcâ fuit Sacerdotium, in lege Innocentiæ debuiſſet Sacerdotium esse perfectius, & proinde Sacramentum. Probabile est tertiò, fuisse futurum Matrimonium, ad gratiam conferendam conjugibus, quâ excitarentur ad mutuum amorem. Probabile est denique, futuram fuisse Pœnitentiam; licet enim omnes fuiſſent nati in justitia originali, non fuiſſent tamen confirmati in gratia; immò potuiſſent ab illa recedere; Deus autem non reliquiſſet eos sine

remedio, ſicut nec nos reliquit : ergo credibile eſt, quòd protunc inſtituiſſet Pœnitentiam : Quibus autem ritibus & ceremoniis conferenda & recipienda fuiſſent illa Sacramenta, non conſtat.

Objicies in ſecundam & tertiam partem: Sacramenta ſunt tanquam medicinæ contra morbum lethalem peccati; ſed in ſtatu innocentiæ non fuiſſet morbus peccati : ergo nec debuiſſet parari medicina. Reſp. primò, quòd ſi Sacramenta dicantur medicinæ peccati ; hoc eſt, prout ſunt inſtituta, in lege ſcilicet corruptâ, in quâ, cùm peccata vigeant, debent Sacramenta dari, tanquam medicinæ; in illo autem ſtatu innocentiæ non fuiſſent medicinæ, ſed quædam inſtrumenta quibus gratia habita augeretur. Reſp. ſecundò, quòd ſit duplex medicina, præſervativa ſcilicet. & ſanativa: ſi autem homines perſeveraſſent longiùs in ſtatu innocentiæ, pro tunc Sacramenta tenuiſſent locum medicinæ præſervativæ; augendo enim gratiam in quolibet homine, quo major fuiſſet gratia hominis, eo firmiùs adhæſiſſet Deo, & conſequenter difficiliùs in peccatum incidiſſet. Reſp. tertiò, quòd etiam pro tunc Sacramenta potuiſſent tenere locum medicinæ ſanatiuæ ; in quantùm, ut diximus, deſcendentes ab Adamo non erant perfectiores Patre, & ſic potuiſſent peccare; ſi autem peccaſſent, pro tunc Sacramentum fuiſſet illis in medicinam, nedum præſervativam, ſed etiam ſanativam & curativam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Quæstio VIII.

An fuerint aliqua Sacramenta in lege naturæ?

Lex, quæ anteceſſit legem ſcriptam, non ideò dicitur lex naturæ, quia protunc vigebat tantùm cognitio naturalis Dei, & ſola præcepta naturalia exiſtebant, vel quòd pro tunc homines ſolis naturæ viribus poſſent conſequi ſalutem; ſed dicitur lex naturæ, in quantùm diſtinguitur à lege ſcriptâ; tunc enim nulla erat lex ſcripta, niſi interiùs in mente hominum, etſi fuerint aliqua præcepta poſitiva, ut de fabricandâ arcâ, reſpectu Noëmi, de ſacrificando in pane & vino reſpectu Melchiſedeth, & de Circumciſione reſpectu Abrahæ pro ſe & ſuâ familiâ; talia præcepta non habebant vim & rationem legis propriæ, quia non erant publica, nec data omnibus, ſed privatis quibuſdam perſonis & familiis. In eâ lege, quæ vocatur lex naturæ, fides Chriſti mediatoris venturi, debuit eſſe in quolibet, vel explicita vel implicita; debuit eſſe explicita in capitibus familiarum. quâ ſcilicet crederent, Deum in carne venturum; debuit verò eſſe implicita in aliis, qui tenebantur credere in communi, Deum convenienti modo reconciliaturum ſibi humanum genus. Illa autem fides ortum potuit habere ab Adamo, cui Deus indicavit, ipſum poſteroſque poſſe liberare ſuos parvulos à peccato originali per fidem in Chriſtum venturum, applicatam ipſis

parvulis à parentibus. An autem illa fides debuerit exprimi aliquo actu expresso & signo externo, quod habeat rationem Sacramenti, hoc quæritur.

Conclusio.

IN lege naturæ fuit aliquod Sacramentum pro parvulis. Sic Aug. lib. 5. contra Julianum cap. 9. *Non est credendum ante datam Circumcisionem, famulos Dei quandoquidem his inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento optulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, scriptura voluerit nos latere necessaria aliqua ex causa.* Ex quo passu Aug. nedum patet in lege naturæ fuisse aliquod remedium pro peccato originali, quod omnes ultrò fatentur; sed illud constitisse in aliquo signo externo, contra illos qui dicunt, quòd solus actus internus fidei applicatus parvulis sufficeret; si hoc enim esset, nulla esset causa, cur istud remedium internum non posset applicari parvulis post ipsorum animationem, & antequam egrederentur ex utero materno. Quinam autem esset ille actus externus, quo scilicet parentes liberabant suos parvulos à peccato originali; an scilicet esset oratio, vel oblatio, vel aliquid simile, non constat, ut dicit Aug. loco citato; sed constat tantùm, quòd ille actus deberet fieri in protestationem, Christi venturi: Unde Doctores dicunt, quòd liberum erat pareniibus uti eo ritu quo vellent, & quo movebantur communiter à Spiritu Sancto; modò, ut diximus, esset professio exterior fidei in Christum venturum, sive explicita, sive implicita. Tale autem remedium,

quod vigebat in lege naturæ, perseveravit in lege scripta pro fœminis, quibus non poterat aptari Circumcisio.

Quæstio Ultima.

An fuerint aliqua Sacramenta in lege scriptâ?

Per veterem & scriptam legem intelligimus tempus à Moïse ad Christum; licet alii ponant illud ab Abraham, in quantùm iste Patriarcha habuit præceptum Circumcisionis pro suâ familiâ; propriè tamen status legis scriptæ est à tempore quo Deus dedit legem Moïsi in monte Sinaï; illa verò lex erat tantùm respectu populi Judaïci, non pro Gentilibus, pro quibus vigebat lex naturæ, quæ pro illis perseveravit usque ad Christum: Quod autem in tali lege scriptâ Sacramenta extiterint, asseverabit

Conclusio.

In lege scriptâ fuit Circumcisio, tanquam Sacramentum institutum ad remedium peccati originalis, & alia Sacramenta quæ legalem conferebant sanctificationem, & veram gratiam significabant dandam per nostra Sacramenta.

Probatur prima pars ex Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro non circumcisa fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ratio nostra convenientiæ est, quòd sicut in lege naturæ erat aliquod remedium pro peccato originali, quod consistebat in aliquo signo externo, non

non tamen determinato & expresso ex institutione Dei; fuit conveniens, ut in lege scriptâ, quæ erat perfectior, determinatum fuerit à Deo: quod quidem signum externum, quod habebat rationem Sacramenti, aliud non fuit quàm Circumcisio, quæ applicata parvulis tolleret peccatum originale, & consequenter conferret gratiam; quæ omnia faciunt verum Sacramentum, ad quod tantùm tria requiruntur; nempe promissio Dei de conferendâ gratiâ, signum externum & sensibile, & tandem quod à Deo præcipiatur.

Probatur secunda pars; quòd scilicet præter Circumcisionem fuerint alia Sacramenta quæ sanctificationem legalem conferebant, & veram significabant gratiam per nostra Sacramenta conferendam: in veteri enim lege qui tetigerant cadaver, qui erant sanguinifluí, & similes, censebantur veluti polluti, & à communicatione aliorum separati; per sacrificia verò reddebantur habiles ad frequentandum cum aliis, & veluti sancti & immaculati efficiebantur (sanctitate scilicet legali) per quædam sacrificia, quæ proinde erant Sacramenta, saltem imperfecta. Deinde, talia Sacramenta eranti velut figura nostrorum, ut patet; nam Circumcisio figurabat Baptismum, Panes propositionis, Agnus Paschalis, & Manna significabant Eucharistiam; Consecrationes Pontificum & Levitarum erant figura Ordinis; Purificationes figurabant Pœnitentiam; Matrimonium tandem legis veteris, quod in statu innocentiæ erat in officium naturæ, & in legibus non scriptâ & scriptâ in remedium concupis-

centiæ, figurabat Matrimonium legis novæ, quòd est, nedùm in officium naturæ & in remedium concupiscentiæ, sed in Sacramentum verè & propriè sumptum. Quoad Extremamunctionem, non habebat suam figuram in lege veteri, sicut nec Confirmatio; quia Extremaunctio est quædam præparatio immediata ad gloriam & ingressum Cæli, quod nondum erat apertum: Confirmatio verò est Sacramentum plenitudinis & perfectionis gratiæ, quod quidem tempus perfectionis non erat in veteri testamento, sed reservabatur ad nostrum.

CAPUT SECUNDUM.

De causa Sacramentorum.

QUADRUPLEX est genus causarum ex Philosophis; alia enim est materialis, ex qua res fit; alia formalis, quæ dat esse completum rei; alia finalis, propter quam res est; & efficiens, à quâ res accipit esse. Non loquimur de causâ materiali Sacramentorum; diximus enim res sumptas vel formaliter, vel analogicè, esse ipsorum materiam; diximus etiam verba esse formam ipsorum; sanctificatio pariter hominis est causa finalis cur instituta fuerunt Sacramenta: ergo tantùm nobis remanet loquendum de causâ efficiente, à quâ Sacramenta fiunt; & hoc discutietur in præsenti capite.

Quæstio Prima.

Quis sit Author Sacramentorum?

IN sequenti quæstione dicturi sumus de causâ ministeriali Sacramentorum, à quo scilicet ministrari debeant: nunc priùs agemus de causâ principali illorum; quæ quidem causa principalis duplex est, una quæ vocatur principalis simpliciter, alia verò quæ vocatur causa principalis meritoria. Causa principalis simpliciter est ea quæ propria authoritate facit, ut Sacramenta habeant efficaciam conferendi gratiam infaillibiliter; causa verò principalis meritoria est ea, quæ meruit ut gratia conferretur per talia, vel talia signa exteriora.

Conclusio.

SACRAMENTORUM causa principalis est solus Deus; causa autem principalis meritoria est Christus. Probatur prima pars; Ille est causa principalis Sacramentorum, qui solus, & propria authoritate habet virtutem conferendi gratiam mediante applicatione alicujus signi externi, quod vocatur Sacramentum; sed gratia à solo Deo dependet, & solus Deus habet virtutem alligandi communicationem gratiæ illis signis quæ vocamus Sacramenta: ergo solus Deus est causa principalis simpliciter Sacramentorum; & hoc est quod omnes dicunt, solum Deum esse causam gratiæ.

Probatur secunda pars ex Conc. Trid. Sess.

7. Can. 10. *Si quis dixerit, omnia & singula Sacramenta nova legis non fuisse à Domino nostro Iesu Christo instituta, Anathema sit.* Ratio hujus est, quia Sacramenta sunt quædam partes pertinentes ad legem Evangelicam; sed lex Evangelica est à Christo: ergo & Sacramenta ab eo debuerunt esse. Fuerunt inquam ab illo, tanquam à causâ meritoriâ, in quantùm per suam passionem meruit, ut Deus suam gratiam alligaret his signis quæ ipsemet Christus elegit.

Objicies: Causa principalis Sacramentorum est Deus: ergo Christus non potest dici etiam causa principalis. Resp. esse causam simul principalem, seu primam; & etiam minùs principalem, seu secundam; sed hoc, diverso respectu: respectu enim Dei, Christus est veluti causa secunda & minùs principalis Sacramentorum; respectu verò ministrorum, qui conficiunt & applicant illa Sacramenta, est causa principalis: non quidem efficiens, quasi ipsemet Christus gratiam producat & conferat; sed est causa meritoria, in quantùm principaliter meruit à Deo, quòd Sacramenta gratiam conferrent. Et hoc est quòd Doctores dicunt communiter, triplicem esse causam Sacramentorum: quarum prima vocatur authoritativa, & hæc competit soli Deo; secunda vocatur excellentiæ, quæ propria est Christo, in quantùm est instrumentum conjunctum cum divinitate; ubi nos, qui aliquando sumus instrumenta meritoria gratiæ, non habemus potestatem excellentiæ, quia non sumus uniti hypostaticè cum Deo; tertia

tandem dicitur ministerialis causa Sacramentorum, quòd competit illis qui Sacramenta ministrant.

Objicies, Confirmationem fuisse institutam in Concilio Meldensi secundùm Alexandrum Alensem, & Extremam-unctionem ortam esse à Divo Jacobo, ut vult Magister sententiarum : ergo Christus non fuit causa omnium Sacramentorum. Resp. illos fuisse locutos tantùm de promulgatione horum Sacramentorum, non verò de illorum institutione; contrarium enim habetur in Conc. Trid. loco citato. Dices, Aliqua Sacramenta fuerunt instituta ante passionem Christi : ergo Christus per passionem suam non fuit causa meritoria Sacramentorum. Resp. quòd talia Sacramenta habuerunt suam efficaciam à passione Christi ; non præsenti, nec præteritâ, sed etiam futurâ. Instabis : Quando effectus est in actu, causa debet esse in actu ; sed Sacramenta erant in actu instituta quando nondum erat passio Christi : ergo passio futura non sufficiebat. Resp. quando instituta fuerunt Sacramenta, passionem fuisse in actu, sed distinguo; fuit in actu respectu acceptationis Dei, quia etiam antequam Christus pateretur, acceptavit illius mortem, tanquam meritoriam omnium gratiarum quas Deus contulit intuitu ejus, etiam in ipsâ creatione mundi ; non tamen passio Christi erat in actu proprio & formali, quando Sacramenta instituta sunt.

Quæstio III.

Quis sit minister Sacramentorum?

Calvinus putat, tùm bonos tùm malos Angelos in corporibus assumptis posse ministrare Sacramenta: Lutherus vult quidem, solos homines hoc posse facere, sed credit omnes posse Sacramenta ministrare, dummodò sint baptisati, omnes enim Christianos dicit esse sacerdotes, & fundatur dictis Petri, vocantis eos qui sunt Christiani *Regale Sacerdotium*, non advertens, quòd Petrus loquatur de Sacerdotio spirituali, quo Christiani offerunt Deo hostias spirituales, nempe affectiones cordis.

Conclusio.

Soli homines sunt ministri Sacramentorum; non tamen omnes. Primum est contra Calvinum, secundum contra Lutherum.

Probatur prima pars: illi enim soli sunt ministri Sacramentorum, quos Deus destinavit ad tale ministerium; sed hi fuerunt soli homines quibus dixit pro Baptismo conferendo Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, &c.* Pro Sacramento Eucharistiæ, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Pro Pœnitentiâ, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Pro Extrema-unctione, Jacobi. 5. *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros.*

Confirmatur; sicut ad confectionem Sa-

cramenti requiritur verum & naturale elementum, v. g. vera & naturalis aqua, verus panis & verum oleum; sic etiam requiritur verum & naturale verbum: sed competit solis hominibus loqui propriè, loqui enim est actio vitalis quæ est à principio conjuncto, non verò à principio separato, ut sunt Angeli, vel Dæmones respectu corporum assumptorum: ergo ad solos homines spectat, non verò ad Angelos, confectio & administratio Sacramentorum.

Probatur secunda pars; illi qui non habent intentionem conficiendi & ministrandi Sacramenta, non possunt illa ministrare, aut conficere; sed amentes, fatui & furiosi, qui non habent rationem, intentionem habere non possunt; quia intentio est actus rationis: ergo non sunt ministri Sacramentorum; & sic tale ministerium non competit omnibus hominibus. Deinde, illi qui non habent caracterem ordinis, non possunt esse ministri Confirmationis, Eucharistiæ, Absolutionis Ordinis, & Extremæ-unctionis: sic Conc. Trid. Sess. 7. Can. 18.

Objicies in primam partem, Patres qui asserunt Angelos posse conficere Sacramentum baptismi: ergo non solis hominibus competit ministrare Sacramenta. Resp. Angelos, tùm bonos, tùm malos, posse reverà de potentia Dei absolutâ baptisare, & alia Sacramenta conficere; hoc tamen non fit de potentiâ ordinariâ: unde mens Canonistarum est, quod si Angelus bonus videretur in corpore assumpto aliquem baptisasse, credendum esset, quod

Baptismus esset validus, & quod Deus dispensasset in tali occasione, Angelo scilicet proferente voces perceptas ab hominibus & nostris similes: si verò Dæmon in carne assumpta videretur baptisare, invalidus censeretur Baptismus; non est enim credibile, Deum talem potentiam dedisse Diabolo, qui tantùm nostram perditionem intendit; unde verisimilius esset, quod pro tunc Dæmon, sic baptisare simulans, vellet in perditionem tradere infantem sic baptisatum.

Objicies in secundam partem; Omnes homines sunt fratres Christi per Incarnationem; sed inter fratres omnia sunt communia: ergo si Christus, qui est frater Christianorum, Sacramenta ministrare potuit & ea conficere; idem possunt facere Christiani, qui sunt Christi fratres. Resp. Christianos esse fratres. Christi adoptivos, concedo; mediante gratiâ quam illis meruit Christus: naturales, nego: quando autem dicitur, inter fratres omnia sunt communia; distinguo etiam, inter fratres naturales, concedo: inter fratres adoptivos, nego.

Quæstio IV.

An requiratur intentio ministri?

Intentio ministri triplex esse potest; prima est materialis, qua minister intendit proferre verba & facere externam actionem: secunda est formalis implicita, faciendi in con-

fuso quod facit Ecclesia ; tertia tandem est formalis explicita , conferendi effectum Sacramenti. Lutherus , qui vult Sacramenta esse tantùm ad excitandam fidem in mente astantium , vel recipientium , dicit primam intentionem sufficere, quia potest excitare fidem; nos verò aliter sentimus.

Conclusio.

Licet non requiratur intentio formalis explicita , requiritur tamen implicita. Non requiritur inquam , quod minister intendat actu baptisare , vel conferre gratiam , aut delere peccatum originale ; requiritur tamen quod intendat facere quod facit Ecclesia , quod fecit Christus , quod faciunt alii Sacerdotes ; vel saltem intendat fungi suo officio; hæc enim omnia æquipollent intentioni actuali , & illam includunt.

Probatur hæc conclusio ex Conc. Florent. in Decreto unionis Sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 11. *Si quis dixerit , in ministro , dum Sacramentum conficit , non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia , Anathema sit.* Sic etiam Conc. Trident. Sess. 14. Can. 6. *Si Sacerdoti desit animus verè absolvendi , nihil fit.* Ratio est , quia absolutio non est nudum ministerium , sed actus judicialis , quo sententia profertur : ergo debet proferri cum intentione. Deinde , si intentio materialis sufficeret, & non requireretur formalis , saltem implicita, lector mensæ , qui inter legendum recitaret hæc verba , *Hoc est corpus meum* , consecraret panem appositum , quod falsum est.

Objicies , quod Patriarcha Alexandrinus

approbaverit Baptiſmum Gregorii Nazianzeni qui adhuc puer alios pueros baptiſavit ludendo: ergo non eſt neceſſaria formalis intentio. Reſp. hoc approbatum fuiſſe quia interrogatus Gregorius confeſſus eſt, ſe intendiſſe facere quod intendebat Patriarcha Alexandrinus, licet joco; unde dicendum eſt, quod qui haberet tantum intentionem jocandi, non baptiſaret; qui haberet verò intentionem jocandi & baptiſandi, vel faciendi quod facit Eccleſia Chriſtiana, verè baptiſaret.

Objicies ſecundo, quod famulus qui tranſigit contractum pro domino, non indigeat intentione; ſi enim v. g. det equum vice domini ſui, ſufficit quod illum porrigat, licet non intendat dare: ergo à pari dicendum eſt de miniſtro, qui vice Chriſti gratiam confert per Sacramenta. Reſp. diſtinguendo antecedens; ſi famulus ille habeat tantùm rationem nuntii, concedo: ſi habeat poteſtatem à domino tractandi negotium pro ſua voluntate, nego: ſed Sacerdotes habent talem poteſtatem, ut patet ex dictis Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ergo indigent intentione; Sacerdotes enim vocantur à Paulo Diſpenſatores Myſteriorum Dei, diſpenſatio autem fit cum intentione.

Objicies tertiò, nullum ergo eſſe certum, an ſit baptiſatus, nec-nè; quia poteſt ſemper dubitare de intentione miniſtri, Reſp. nullum eſſe certum, certitudine fidei; tamen eſt certus certitudine morali: non debet enim credere de proximo, quod voluerit perpetrare ſacrilegium, non intendendo effectum Sacra-

menti conferre. Nec quis dicat, ergo Baptismus Hæreticorum periculosus est, quia non intendunt facere quod facit Ecclesia Romana sed quod facit Genevensis. Respondeo enim, quod intendere facere quod facit Ecclesia Genevensis, hoc est intendere virtualiter quod fecit Christus, & quod iussit facere.

Quæstio V.

Qualis debeat esse intentio ministri?

Quia intentio ministri debet esse formalis, sive sit implicita, sive explicita; potest ulteriùs quæri, an illa intentio formalis debeat esse actualis, vel virtualis, vel habitualis: Sed ante responsionem, sciendum est, quod intentio actualis est, quando minister actu conficiens Sacramentum intendit facere quod fecit Christus, vel Ecclesia: Intentio virtualis est, quando propter distractionem minister non intendit actu facere quod fecit Christus, sed anteà intendit; nec illa intentio, quam vocamus actualem, fuit interrupta per contrarium actum: Habitualis tandem est quædam promptitudo, qua Sacerdos v. g. est expeditus ad baptisandum; quæ quidem promtitudo oriri potest ex habitu infuso vel acquisito.

Conclusio.

Intentio habitualis non sufficit; actualis non requiritur absolutè, sed virtualis dumtaxat necessaria est. Primum patet, quia talis

habitus qui est v. g. in Sacerdote ad consecrandum, & in Episcopo ad confirmandum, non est deliberatus; immò potest esse in dormiente & in hominibus mente captis; unde patet talem intentionem non sufficere. Quod si D. Thomas videatur hoc asseverare; hoc est, quia confundit intentionem virtualem cum habituali. Secundum manifestum est, quia intentio actualis non est in potestate nostrâ semper; non possumus enim quin aliquando distrahamur, & nimis durum esset hoc exigere à ministro; tamen cavendum est, ut quisque hanc intentionem habeat. Tertium ergo liquet ex duobus primis; cum enim intentio ministri necessaria sit, ut probavit præcedens conclusio per Concilia; intentio verò habitualis non sufficiat; nec actualis absolutè exigatur: ergo concludendum est, quod minister saltem virtualem debeat habere: ad intentionem autem virtualem requiritur, quod paulò anteà fuerit actualis; & non sufficit, quod v. g. suscipiendo Sacerdotium, quis habeat intentionem semper consecrandi.

Objicies, Sacramenta non habent vim operativam à ministro, sed à solo Christo: ergo nullomodò intentio ministri requiritur. Resp. non esse nobis quæstionem de effectu Sacramentorum; gratia enim quæ est effectus Sacramenti, nullomodò dependet à ministro, nec ab intentione ministri; sed loquimur de esse & confectione Sacramentorum quæ dependent à ministri intentione; unde v. g. si homo intenderet aliquem baptisare, & non intenderet illi conferre gratiam, gratia ipsa non suspen-

deretur ob defectum intentionis ; quia ut optimè dicit objectio, vis operativa Sacramentorum à solo Christo dependet : hoc non impedit tamen, quin dicamus, quod si minister non intenderet Sacramentum facere, reverà nec Sacramentum faceret, nec produceret gratiam.

Objicies secundò: Intentio virtualis non sufficit ; quia intentio virtualis nihil aliud est, quàm actus præteritus ; sed quod est præteritum non potest producere gratiam præsentem: ergo ad effectum Sacramenti virtualis intentio non sufficit. Resp. negando antecedens ; ad probationem distinguo minorem ; quod est præteritum non potest influere in præsens, nec producere gratiam præsentem ; physice, concedo : effectus enim physicus in actu exigit causam physicam in actu ; moraliter, nego. Habemus exemplum de passione Christi, quæ antequam existeret, fuit principium gratiarum quæ communicatæ fuerunt in veteri testamento ; & nunc etiam, ubi jam peracta est, est adhuc fons & origo omnium gratiarum nobis collatarum. Nil ergo mirum, si dicamus intentionem virtualem influere in gratiam, saltem moraliter ; nam ex vi primæ intentionis quæ actualis fuit, incipit homo applicare se ad Sacramentum, vel ad preparationem Sacramenti.

Quæstio VI.

An requiratur Fides in ministro?

Multi hoc olim putaverunt, inter quos videtur fuisse Cyprianus, & illi qui hanc tenebant opinionem, rebaptisabant eos qui anteà baptisati fuerant ab hæreticis. In hoc errore fuerunt Donatistæ; contra quos Augustinus septem libros ex professo scripsit, & ipsemet Augustinus Cyprianum excusat, dicens quòd tempore Cypriani nondum erat Concilium plenarium per quod rei veritas haberetur.

Conclusio.

Non requiritur Fides ad valorem Sacramenti. Hæc propositio est de fide, saltem post tempus Cypriani, quippe quæ fuit definita in Concilio Carthaginensi Provinciali, Canone 1. post mortem Cypriani ejusdem urbis anteà Episcopi; in Arelatensi primo & secundo; in Laodicæno Can. 8. in Nicæno primo Can. 17. ubi jubet, hæreticos Paulianistas ad Ecclesiam redeuntes rebaptisari, quia peccabant in formâ Baptismi; alios verò hæreticos debitam materiam & formam adhibentes, minimè: sic etiam Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 4. de Baptismo. Hæc quæstio intelligitur de solo Baptismo, non verò de aliis Sacramentis, quia supponunt Baptismum; hæretici tamen, si antequam à nobis recedant sint Presbyteri, possunt absolutionem conferre; & si sint Episcopi, possunt or-

dinare; talis enim potestas pertinet ad spiritualem caracterem qui est indelebilis; undè, cùm fiunt hæretici, amittunt solam licentiam non verò potestatem: quod intelligitur tamen de potestate ordinis, non jurisdictionis; licet enim possint consecrare v.g. non possunt tamen excommunicare. Porrò, idem dicendum est de paganis respectu Baptismi, ac de hæreticis, quòd scilicet baptisare possint.

Objicies, Baptismus confertur in nomine Trinitatis; ego non potest conferri ab illis qui fide Trinitatis carent. Negatur consequentia; non baptisant enim authoritate propriâ, sed Christi, qui sic dispposuit, ut infidelis possit ministrare Baptismum. Nec dicas, extra Ecclesiam non est salus: ergo nec potest recipere infans salutem per baptismum à pagano collatum. Distinguitur enim; extra Ecclesiam non est salus: formaliter, concedo: ministerialiter, nego, licet ergo pagani non pertineant ad Ecclesiam quoad fidem; pertinent tamen quoad ministerium. Si quis dicat, caput naturale non influit mediantibus venis aridis: ergo nec mysticum mediantibus infidelibus; negabitur consequentia; primum enim procedit ex defectu virtutis capitis naturalis, quod cùm sit finitum in sua efficacitate, non potest per tales venas influere; Christus autem est infinitæ virtutis, unde sicut potest sine ministris justificare, potest etiam per ministros infideles.

Quæstio VII.

An probitas requiratur in Ministro?

HOc potest duplicem sensum pati; primò an probitas requiratur in Ministro, ut validum sit Sacramentum; secundò, ut licitum sit. Valdenses, seu Pauperes de Lugduno, & Donatistarum plurimi, primum asseveraverunt.

Conclusio.

AD valorem Sacramenti non requiriuur probitas Ministri; qui ministrat tamen Sacramentum ex officio, peccat si sit in peccato mortali; si autem ministret per accidens, non peccat: sic omnes Canonistæ.

Probatur prima pars, quia Minister agit authoritate, non propriâ, sed sibi concessâ à Deo, quam Deus non aufert propter peccatum: Sic impius Judas baptisabat validè, ait Augustinus. Deinde, potestas conficiendi Sacramentum non est gratia sanctificans, sed gratis data: ergo compossibilis est cum peccato. Tandem, quia potestas conficiendi Sacramentum non datur communiter in utilitatem ministri: ergo nec debet auferri per peccatum ministri. Porrò, sicut propter peccatum non aufertur potestas jurisdictionis, secundùm dictum Petri 1. 2. *Subditi estote dominis, non tantùm bonis, sed & discolis*: ergo nec aufertur potestas ordinis.

Probantur aliæ partes, quòd scilicet primò

miniſtrans ex officio peccet, ſi ſit in peccato mortali dum miniſtrat; quia ſi in veteri lege ad miniſtranda legalia, quæ erant Sacramenta imperfecta, requirebatur ſanctitas legalis, ut habetur Levit. 21. *Sancti erunt Deo ſuo, qui incenſum & panes Deo ſuo offerunt:* ergo à fortiori in lege gratiæ miniſtri ex officio peccant, ſi in peccato miniſtrent. Hinc tenentur miniſtri, ſi non confiteri, habere contritionem, ſaltem exiſtimatam. Ratio quare miniſtrans per accidens, & non ex officio, non peccet, ut v. g. Laïcus, vel Eccleſiaſticus non paſtor, qui requiritur baptiſare infantem moribundum, eſt, quia ſanctitas non alligatur puro miniſterio, ſed miniſtranti ex officio.

Objicies in primam partem: Nemo dat quod non habet. Eccleſiaſt. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* & poſteà, *Qui baptiſatur à mortuo, quid proficit lavatio eius?* Cum ergo miniſter improbus non habeat gratiam, non poteſt illam conferre per Sacramenta. Reſp. quòd mali miniſtri habeant gratiam miniſterialiter, non verò formaliter, & quod non poſſint mundare propriâ virtute, benè autem virtute Chriſti. Quod ſi Eccleſiaſt. 34. habeatur, quod baptiſmus à mortuo non proficiat, ideſt, qui lavatur à mortuo, hoc eſt à tactu mortui, & iterum tangit illum, talis lavatio non prodeſt; hoc eſt in textu. Quod ſi dicatur communiter, quod arbor mala non poſſit bonos fructus facere: tanquam cauſa principalis, concedo: tanquam miniſterialis, nego. Si etiam Malachias aſſerat, Deum maledicere benedictionibus peccatorum; loquitur de actionibus quæ vim

habebant ex opere operantis; tales enim non recipit Deus à peccatore. Si aliquod Concilium dicat, Baptismum infirmorum non sanare: loquitur de Baptismo Arianorum, qui baptisabant in nomine Patris majoris, Filii minoris, & Spiritus Sancti.

Quæstio Ultima.

Quanam dispositio requiratur in suscipiente Sacramentum?

Sicut in ministro aliquid requiritur, ut validè conferat Sacramenta, aliquid etiam ut licitè conferat; sic etiam aliud requiritur in suspiciente Sacramentum ut validè Baptismum suscipiat, & aliud ut meritoriè.

Conclusio Ultima.

Vt validum sit Sacramentum, requiritur in adultis voluntas suscipiendi; ut verò Sacramentum conferat gratiam, aliquando requiritur sanctitas in suscipiente, aliquando non. Primum patet ex Innocentio 3. cap. *maiores*, de Baptismo; ubi ait, *Qui nunquam consentit, nec rem, nec caracterem Sacramenti suscipit.* Illa autem intentio sufficit quæ est virtualis; si enim aliquis hodie petat Baptismum, & posteà cadat in dementiam, potest baptisari; non verò, si nunquam intentionem habuerit; pro pueris autem qui intentione carent, sufficit intentio Christi & Ecclesiæ.

Probatur secundum; ut enim quis recipiat gratiam, seu augmentum gratiæ, quod con-

fertur per Confirmationem, Eucharistiam, Extremam-unctionem, Ordinem & Matrimonium, debet in gratiâ præexistere; unde hæc Sacramenta vocantur Sacramenta vivorum, quia dantur illis qui habent jam vitam spiritualem.

Probatur tertium, respectu Pœnitentiæ & Baptismi; si enim requireretur gratia in illo qui baptisatur, vel qui absolvitur; talia Sacramenta non tollerent peccatum, quod tamen falsum est; quia Baptismus tollit peccatum originale, & Pœnitentia peccatum actuale; & hæc duo Sacramenta dicuntur ob hoc, Sacramenta mortuorum; quia sunt pro illis qui vitâ spirituali carent.

CAPUT ULTIMUM.

De effectu Sacramentorum.

QUANDOQUIDEM ad causam sequitur effectus; ideò, postquam egimus de causâ Sacramentorum, nunc ad ipsorum effectum transeundum est. Effectus autem Sacramentorum sunt duo, quorum unus est gratia, sive habitualis, sive actualis; alius verò est caracter, qui si non per omnia Sacramenta conferatur, per tria tamen communicari solet, nimirum per Baptismum, Confirmationem & Ordinem; de his omnibus dicetur suo loco in præsenti capite.

Quæstio Prima.

An Sacramenta conferant gratiam Habitualem?

Hæretici hujus temporis volunt Sacramenta non producere gratiam efficienter, sed tantùm objectivè, in ratione scilicet signi, excitando in nobis fidem passionis Christi, & mediante fide gratiam, sicut imagines rerum sacrarum solent in nobis excitare devotionem: sed si hoc verum esset, non deberent necessariò Sacramenta accipi à quolibet; sufficeret enim, si viderentur illi qui talia Sacramenta suscipiunt; nam per hoc fides æqualiter in illis excitari posset, ac si actualiter ea reciperent: Nos autem qui dicimus quòd Sacramenta conferant gratiam efficienter, non ut causa principalis, quia solus Deus illam sic confert; nec ut causa principalis meritoria, quia solus Christus est talis causa, sed ut causa instrumentalis, aliter habemus concludere.

Conclusio.

Sacramenta gratiam habitualem conferunt, & per gratiam habitualem intelligimus aliquam qualitatem inhærentem animæ & divinitùs infusam, quâ homo justificatur, unde vocatur gratia justificans; qua etiam sanctificatur, unde vocatur sanctificans; vel gratus Deo efficitur, unde vocatur tandem gratum faciens. Hæc conclusio habetur ex Con-

ciliis Florentino, Arausicano, & Trid. quod quidem ultimum sess. 7. de Sacramentis can. 6. habet ; *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam, sublato obice, non conferre, Anathema sit.*

Confirmatur nostra conclusio ex scripturâ, quæ ostendit, loquendo de quolibet Sacramento, omnia gratiam conferre : de Baptismo enim habetur Act. 2. *Baptisetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum* ; non tollitur verò peccatum, nisi per gratiam habitualem : De Confirmatione habetur, Act. 8. quòd per manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus. De Eucharistiâ, habetur Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* De Pœnitentiâ ferrur Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Matrimonio habetur ad Ephes. 5. *Quòd sit magnum Sacramentum* ; non esset autem magnum inter Sacramenta, si non conferret gratiam, sicut alia conferunt. De Ordine tandem habetur 2. ad Timoth. 1. *Vt resuscites gratiam quæ in te est per manuum impositionem.* De Extremâ-unctione, Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ.*

Quæstio II.

Vtrùm Sacramenta conferant habitus supernaturales cum gratia?

In homine justo, præter gratiam habitualem, reperiuntur habitus supernaturales, ut Fides, Spes, Charitas, Temperantia, Justitia, Fortitudo, Prudentia; qui facilitant hominem ad benè agendum, & benè utendum creaturis. Hic ergo quæritur, utrùm Sacramenta infundant hos supernaturales habitus cum gratiâ habituali.

Conclusio.

Sacramenta cum gratiâ habituali conferunt gratiam donorum & virtutum; ideſt, habitus supernaturales, tùm Theologicos, ut sunt Fides, Spes & Charitas; tùm Cardinales, ut sunt Justitia, Temperantia, Fortitudo & Prudentia; tùm Morales, ut sunt Humilitas &c. Sic Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. Cujus ratio est, quia sicut in vitâ corporali Deus conferendo animam, quæ est principium vitæ, potentias superaddit ut anima producat actiones vitales; sic etiam Deus dans gratiam, dat etiam habitus supernaturales, quibus homo possit in genere gratiæ actiones vitales producere; & hoc fit tùm respectu adultorum, tùm respectu infantium.

Objicies, Omnia Sacramenta non conferunt gratiam, sed tantùm duo, nimirùm Baptismus & Pœnitentia; alia enim quæ di-

cuntur Sacramenta vivorum illam præsupponunt : ergo malè dicitur in præcedenti conclusione, quòd Sacramenta conferant gratiam habitualem ; & minùs rectè in istâ, quòd conferant cum gratiâ habituali habitus supernaturales ; qui tales habitus non infunduntur nisi cum gratia : cùm ergo in Sacramentis vivorum gratia non infundatur, propterea non infunduntur in illis habitus supernaturales. Resp. quòd quando diximus in præsenti conclusione Sacramenta conferre gratiam, hoc est, vel in se, vel in augmento ; ideſt, vel producunt gratiam ut sic, vel producunt augmentationem gratiæ : sic etiam, quando dicimus in præsenti conclusione, quòd Sacramenta conferunt habitus supernaturales, hoc est, vel in se, vel in augmento ; v. g. ille qui recipiens Eucharistiam habet gratiam, habet etiam Fidem, Spem & Charitatem, & alios habitus supernaturales ; augentur tamen, sicut est gratia, per sumptionem Eucharistiæ.

Objicies secundò, habitus dantur propter actus ; sed infantes non sunt capaces actuum supernaturalium : ergo nec illis infunduntur habitus supernaturales. Pro adultis etiam videtur, quòd habeant æqualem difficultatem operandi post Baptismum, ac antè ; quòd est signum, ipsos per Baptismum non recepisse habitus supernaturales, quibus promptiores fierent ad benè agendum. Resp. tales habitus infundi infantibus, ut illis possint benè uti, cùm adoleverint. Quoad adultos verò, si sentiant difficultatem benè agendi post Baptismum ; hoc non provenit ex defectu habituum ;

sed ob inordinatos concupiscentiæ motus, quæ per Baptismum non tollitur.

Quæstio III.

An Sacramenta conferant gratias Actuales?

EX dictis & ex dicendis in hâc quæstione, patet triplicem esse gratiam: prima vocatur gratia habitualis, & est ea, ut diximus, quâ homo gratus est Deo; alia est gratia virtutum coinfusarum cum gratiâ habituali, quæ datur ut homo justus faciliùs prorumpat in actus supernaturales, v. g. Fidei, Temperantiæ, aut Humilitatis: alia tandem est gratia actualis, quâ excitatur homo ad hoc, ut operetur benè. De duabus primis egimus; superest ergo loquendum de tertiâ.

Conclusio.

PRÆTER gratiam habitualem, quam Sacramenta conferunt, præter etiam habitus supernaturales, qui coinfunduntur cum gratiâ habituali, Sacramenta conferunt gratias speciales, quæ Sacramentales dicuntur, & quæ sunt auxilia quædam actualia ad rectè fungendum muneribus, ad quæ destinamur per ipsa Sacramenta: & sic Sacramenta habent duos effectus; unum communem, nempe gratiam sanctificantem & habitualem, quæ ab omnibus Sacramentis confertur, sive in se, sive in augmento; & alium particularem, nempe gratiam actualem, quæ Sacramentalis vocatur, & quæ est necessaria ad ritè obeunda munera, quibus

quibus per Sacramenta deſtinamur. Baptiſmus v. g. nedùm confert gratiam habitualem quâ regeneramur, ſed & gratiam actualem, ſive excitantem, ſive adjuvantem, ut dignè ſuſcipiamus alia Sacramenta cùm opus fuerit. Confirmatio non ſolùm confert augmentum gratiæ habitualis, ſed etiam auxilium actuale, ad profitendam publicè fidem cùm opus fuerit. Pœnitentia præter gratiam habitualem quam infundit ad tollendum peccatum actuale, confert pro occaſione gratias actuales ad vitanda peccata. Euchariſtia dat gratiam actualem ad nutriendam & exercendam charitatem. Extrema-unctio dat gratias actuales neceſſarias ad vincendas tentationes, quæ in articulo mortis oriri ſolent. Ordo nedùm dat gratiam habitualem ordinato, ſed & ſpecialem, & actualem, quâ ritè exerceat actus ſui ordinis. Matrimonium tandem præter gratiam habitualem quam auget in contrahentibus, dat ſpecialia auxilia illis ad onera conjugii faciliùs toleranda. Ex quâ inductione patet, quòd ſingula Sacramenta gratiam habitualem habeant pro effectu communi, & Sacramentalem pro effectu ſingulari. Supereſt tantùm quòd notetur, gratiam habitualem conferri, cùm applicatur Sacramentum; gratiam verò Sacramentalem, quæ actualis eſt, dari tantùm quando occaſio ſe præbet vel malum vitandi, vel bonum faciendi, vel munus ſuum obeundi.

Quæstio IV.

An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?

Theologi dicunt, duplicem esse modum quo gratia ordinariè obtinetur: ex opere operantis, & ex opere operato. Sacramentum autem conferre gratiam ex opere operantis, est illam causare intuitu boni operis interni conjuncti cum receptione Sacramenti, cui debetur gratia, v. g. intuitu Fidei, Devotionis aut Charitatis suscipientis Sacramentum: Sacramentum verò conferre gratiam ex opere operato, est eam causare in virtute ipsius operis externi quod Deus instituit, & non intuitu meriti vel dispositionis illius qui Sacramentum recipit: unde licet fides & devotio requirantur in suscipiente, nullam tamen efficaciam habent circa gratiam; sed sunt tantùm dispositiones prævіæ, quæ requiruntur, non ex parte agentis, sed ex parte subjecti; non requiruntur, inquam, ut agens possit agere, sed ut subjectum possit recipere formam; v. g. ignis ex suâ ratione propriâ, & si fic fari liceat, ex opere operato est calefactivus; ut tamen calefaciat actu, requiritur expulsio humiditatis; talis autem expulsio requiritur tanquam dispositio prævia ex parte subjecti, non verò ex parte agentis.

Conclusio.

Sacramenta novæ legis causant gratiam ex opere operato, non ex opere operantis,

nisi tantum dispositivè ; sic Conc. Trid. sess. 7. can. 8 *Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, Anathema sit* ; sic anteà Conc. Arausic. 1. can. 11. sic etiam Carth. 4. can. 7. Idem sentiunt communiter doctores Catholici, Augustinus præ cæteris, qui lib. 4. contra Cresconium cap. 61. ait *Non horum meritis à quibus ministratur Sacramentum, nec horum quibus ministratur, constat Baptismus, sed propriâ constat sanctitate & virtute, propter eum à quo institutus est* : hoc est ergo, quasi Augustinus diceret, Sacramenta non conferre gratiam ex meritis illius qui ministrat, nec illius qui suscipit, sed suâ propriâ virtute : ergo ex opere operato.

Confirmatur ratione ; quia si vetera Sacramenta conferebant gratiam legalem ex opere operato quam significabant primariò : ergo nostra causant gratiam habitualem ex opere operato ; aliàs non essent nobiliora veteribus, quæ gratiam habitualem & sanctificantem causabant ex opere operantis. Secundò, Sacramenta nostra se habent ut medicinæ quædam supernaturales à Christo institutæ, quibus curatur anima à morbis spiritualibus ; sed medicinæ non habent quòd sanent à bonitate medici, nec ægroti, sed à seipsis & ex virtute ipsius medicinæ : ergo Sacramenta virtute propriâ & ex opere operato habent virtutem producendi gratiam. Tandem ex ipsismet hæreticis, Baptismus prodest tùm infantibus, tùm amentibus, in quibus non est opus operans ; opus enim operans est opus aliquod meritorium, cujus non sunt capaces illi qui non habent usum rationis : ergo

inferendum est, quod Baptismus gratiam conferat ex se, seu ex opere operato.

Quòd si Sacramenta causent gratiam ex opere operantis; hoc est tantùm dispositivè, ut scilicet tollatur obex, qui impedit introductionem formæ ex parte subjecti, ut diximus de expulsione humiditatis in ligno, quæ est requisita dispositio ex parte subjecti, ad hoc ut recipiat calorem; non verò requiritur ex parte ignis, qui semper ex suâ virtute propriâ est calefactivus. Sic ergo ut Baptismus v. g. conferat gratiam adulto, requiritur intentio in ipso, & aliquis dolor de peccatis suis; sed hoc est ex parte subjecti, non verò ex parte causæ: Quòd si dolor requiratur in adulto, talis dolor non pertinet ad Pœnitentiam ut est Sacramentum, sed ad Pœnitentiam quæ est virtus; quid sit autem Pœnitentia virtus, & Pœnitentia Sacramentum, dicetur agendo de Sacramento pœnitentiæ. Quòd si quæratur, cur debeat præexistere dolor de peccatis anteà commissis in adulto baptisando; est, quia justum videtur, quòd ille qui voluntariè à Deo aversus est per peccatum, voluntariè ad Deum revertatur per resipiscentiam, seu dolorem de peccato, & ille dolor in adultis supponit fidem & spem, non quidem infusam, quia per Baptismum datur, sed acquisitam: Pro parvulis autem non sic dicendum est; quia cùm alienâ voluntate peccaverint, per solum Baptismum sine proprio actu sanctificantur.

Objicies, D. Petrus cap. 3. 1. Epist. dicit, Baptismum esse similem Arcæ Noé, quæ nihil produxit conservando ipsum Noé. Resp. talem

similitudinem non esse omnimodam; sed in hoc tantùm stare, quòd sicut nullus eorum qui fuerunt in Arcâ periit per aquas diluvii, sic nullus eorum qui baptisati fuerunt peribit per peccatum originale. Quòd si Marc. 16. habeatur, *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit*; ex hoc non est inferendum, Baptismum non justificare, sed solam fidem: immò, ex hoc potest tantùm inferri, quòd fides requiratur in adulto baptisando, non tanquam aliquid complens efficacitatem Baptismi, quia pro tunc non conferret gratiam ex opere operato; sed tanquam aliquid removens impedimentum à subjecto; & sic fides non justificat, ut volunt hæretici; sed est conditio sine quâ esset obex in suscipiente: unde, si dicatur quòd *Justus ex fide vivit*; hoc est, non fide solâ, sed fide quæ est à Sacramentis, vel quæ præsupponit Sacramenta. Si etiam Petrus loco præcitato dicat, quòd ablutio non salvat, sed bonæ conscientiæ interrogatio; loquitur de adultis, vbi ablutio sine intentione, sine fide acquisitâ, & sine dolore de peccato non producit gratiam; licet producat caracterem & rem Sacramenti; non verò effectum ejus primarium.

Quæstio V.

An Sacramenta legis antiquæ contulerint gratiam ex opere operato?

Non dubitatur, quin illa Sacramenta sanctitatem legalem ex opere operato con-

tulerint; in veteri enim lege contrahebatur immunditia per partum, per tactum mortui, & per alios modos; ita quòd qui contraxerant talem immunditiam, erant aliquomodò irregulares; & ob hoc arcebantur ab ingressu templi, & convictu cum aliis fidelibus; Sacramenta autem tollebant talem immunditiam ex opere operato, quatenùs talem virtutem habebant ex institutione divinâ; & talis emundatio dicebatur collatio sanctitatis legalis. Quoad gratiam justificantem, constat eam Sacramenta veteris legis aliquando contulisse, non ex opere operato, sed ex opere operantis; hoc est in virtute amoris Dei, vel contritionis eorum qui talia Sacramenta recipiebant; an autem gratiam contulerint ex opere operato, hoc quærimus. Sed notandum est, quòd sermo noster sit de Sacramentis purè Mosaïcis, & quæ præcisè ad veterem legem pertinebant; unde non loquimur de Circumcisione quæ instituta erat in lege naturæ, tempore scilicet Abrahæ; de illâ enim dicetur in quæstione sequenti.

Conclusio.

Legis antiquæ Sacramenta non conferebant gratiam ex opere operato; primò, quia Paulus vocat Sacramenta vetera, *Elementa vacua, egena, & infirma*; unde ad Galatas 3. dicebat; *In lege nemo justificatur apud Deum*; unde etiam Ioann. 1. ait quòd, *Lex per Moysen data est, gratia verò per Iesum Christum*. Secundò, quia potissima ratio distinctionis per quam lex nostra differt à Mosaïcâ, est quia nostra habet vim justificandi, unde aptè vocatur lex gratiæ; vetus autem non sic; per legem

enim nemo justificabatur, nisi ex opere operantis. Tertiò, quia ut Sacramentum ex se & ex opere operato conferat gratiam, debet habere annexam Dei promissionem; talis autem promissio non habetur neque ex scripturâ, neque ex traditione, neque ex Conciliis aut Patribus; immò Paulus loquens de Christo, dicit, *Melius sortitus est ministerium, quando & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sanctum est*; Et posteà explicans tales promissiones, addit ipse, *Propitius ero iniquitatibus eorum*; quod reverà non promisit testamentum vetus.

Objicies, Vetera Sacramenta promittebant remissionem peccatorum, Levitici 4. 5. & 6. sed non possunt remitti peccata saltem mortalia sine infusione gratiæ: ergo gratiam ipsam promittebant: ergo conferebant ex se & ex opere operato. Resp. quòd duo sint in peccato; scilicet macula peccati quam contrahit anima per actum peccaminosum, & quæ in ipsâ remanet post actum peccati, & est pœna peccati; eo enim instanti quo quis in peccatum incidit, pœnam peccati meretur: Sacramenta autem vetera promittebant remissionem peccati, quantùm ad pœnam temporalem, concedo: quantùm ad culpam & pœnam gehennæ, nego. Quod patet per hoc, quòd sacrificia veteris legis remittebant tantùm aliqua peccata in particulari; si verò remisissent culpam peccati, omnia simul remisissent, non remittitur enim unum sine alio. Quòd si quis dicat, immolationem arietis omnia peccata remisisse; hoc verum est de omnibus peccatis commissis

bus legitimis causis, v. g. morbo, aut alio mortis periculo : Sic pueri Hebræorum in deserto nati, ob iter continuum, & novas quotidie castrametationes, manserunt incircumcisi spatio quadraginta annorum, quibus fuerunt in deserto ; sic Josue 5. & pro tunc probabile est, quòd usi fuerint remedio legis naturæ contrà originale peccatum. Ubi sciendum, quòd si octavus dies in Sabbatum incideret, in eo non minùs fiebat Circumcisio. Quartum tandem quod est notatu dignum in Circumcisione, erat nominis impositio ; Deus enim Circumcisionem instituens, mutavit nomen Abram in Abraham, & Sarai in Sara ; hinc Judæi soliti erant dare nomina pueris in Circumcisione.

Conclusio.

Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato. Sic Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. Sic etiam Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentiâ ; *Ex quo*, inquit, *instituta est Circumcisio in populo Dei in purgationem hujus peccati veteris, valebat magnis & parvulis, sicut Baptismus cœpit valere ex quo institutus est* : ergo sicut Baptismus confert gratiam ex opere operato, sic & Circumcisio. Idem etiam habet libri 4. de Baptismo cap. 24. *Præceptum est Abrahæ, ut circumcideret parvulos, quia ipsum Sacramentum multùm per se valet* ; quæ particula, *per se*, denotat collationem gratiæ ex opere operato.

Probatur ratione nostra conclusio ; quia, si Circumcisio conferret gratiam tantùm ex opere operantis ; vel esset respectu operis operantis

eorum qui Circumcisionem recipiebant; vel respectu operis operantis ministri: sed hoc non potest dici respectu operantis ministri; Circumcisio enim erat valida, etiamsi per infideles & Samaritanos conferretur, ut notat Augustinus lib. 1. contra Cresconium: Non producebat etiam gratiam ex opere operantis recipientium, quia erant communiter parvuli qui non poterant mereri nec demereri: ergo nec producere opus operans, cujus intuitu reciperent gratiam; unde superest, quòd asseramus circumcisionem producere gratiam ex opere operato.

Objicies, Circumcisio ex Apostolo *non est reputata Abrahæ in justitiam*: ergo non contulit illi gratiam. Resp. Circumcisionem dupliciter spectari posse; Primò, ut est quædam externa ceremonia, quâ fiebat scissio præputij, & tunc non erat destinata ad conferendam justitiam, sed distinguebat tantùm posteros Abrahæ, scilicet Judæos, à Gentilibus: Secundò, sumitur quatenùs illa ceremonia conjungebatur cum protestatione fidei in Christum venturum, & tunc delebat peccatum originale, & gratiam conferebat ex opere operato; in primâ acceptione intelligendi sunt Patres dicentes Circumcisionem nihil profuisse, & esse tantùm infirmum & egenum elementum.

Objicies secundò, infantes post Circumcisionem decedentes cælum non ingrediebantur, quod signum est non contulisse gratiam. Resp. quòd si non intrarent cælum, non erat ex defectu Circumcisionis, sed quia nondum pretium solutum erat; & ob hoc non poterat

cælum aperire. Si dicas, ergo Circumcisio non differt à Baptismo. Resp. ideò differre, quia majorem confert Baptismus gratiam : sic intellige Patres dicentes eam non conferre gratiam ; ideſt, comparatè ad Baptismum, quatenus non tantam conferebat gratiam, quantam Baptismus confert. Si inferatur, ergo lex vetus non differt à novâ, si Sacramenta veteris legis conferebant gratiam ex opere operato; Resp. differre in Sacramentis purè Mosaïcis; Circumcisio autem pertinet tùm ad legem naturæ, quoniam data est tempore Abrahæ, tùm ad legem scriptam, quia in eâ perseveravit. Porrò, idem dicendum est de remedio legis naturæ ac de Circumcisione, quòd scilicet tale remedium gratiam contulerit ex opere operato.

Quæstio VII.

An Sacramenta conferant gratiam vel moraliter vel physicè?

Divus Thomas Sacramenta vocat causas instrumentales physicas gratiæ, in quantùm vult ipsa gratiam physicè producere per modum instrumenti physici : antequam verò detur nostra opinio, sciendum est, quòd Sacramenta possint intelligi quadrupliciter conferre gratiam. Primò ad modum causæ sine quâ non, itaut dicantur signa externa, quibus positis, Deus dicatur conferre gratiam, sicut v. g. sigillum repræsentatum eleemosinario esset signum ad recipiendam eleemosinam. Se-

cundò, possunt dici causæ mediatæ gratiæ, ita quòd non attingant gratiam, sed vel producant caracterem in animâ, vel ornatum aut dispositionem in eâ, ad cujus positionem gratia producitur. Tertiò, possunt intelligi gratiam producere physicè, ita quòd reali & physico influxu gratiam producant. Quartò tandem, intelligi potest quòd moraliter gratiam conferant, quatenùs scilicet movent causam physicam, nempè Deum, ut gratiam producat in animâ illius qui Sacramentum suscipit. Si Sacramenta producerent gratiam primo modo, ut denarius plumbeus, quo exhibito datur aliqua merces pro labore, propriè Sacramenta non producerent gratiam, sicut nec denarius exhibitus producit mercedem; quod est contrà Concilia, præsertim Tridentinum, dicens; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non conferre gratiam, Anathema sit.* Asserere etiam Sacramenta esse causas mediatas gratiæ, in quantùm producunt caracterem, vel dispositionem in animâ, quibus positis, Deus infunderet gratiam, hoc æquè esset contra Concilia, determinantia Sacramenta gratiam conferre; licet enim homo generans producat ultimam organisationem corporis, quâ positâ, anima rationalis infunditur, non propterea dicitur animam producere. Tota ergo difficultas consistit, an Sacramenta conferant gratiam physicè, ut vult D. Thomas; vel moraliter, ut sentit Scotus; producere autem moraliter, est movere causam physicam, vel jussu, vel prece, vel consilio, vel merito, ad aliquid producendum.

Conclusio.

Sacramenta non producunt gratiam ut causæ physicæ, sed ut causæ morales; quatenùs impetrant à Deo gratiam, quam ipsemet Deus statuit dare infallibiliter, quotiescumque hæ actiones religiosæ exercerentur.

Probatur conclusio; primò, quia ex D. Thomâ 1. parte quæst. 45. art. 5. creatura non potest creare, neque principaliter, neque instrumentaliter, saltem physicè; quia creare est potentiæ infinitæ; sed Sacramenta sunt creaturæ: ergo non possunt producere gratiam, ut causæ physicæ; quoniam gratia habet esse per creationem. Secundò, quia causæ physicæ non producunt gratiam, nisi quando actu existunt; sed Sacramenta conferunt gratiam aliquando pro eo tempore quo non amplius existunt; Augustinus enim & D. Thomas q. 69. art. 10. aiunt, si quis hodie fictè reciperet Baptismum, idest, non attritus, nec volens ateri, reciperet rem & caracterem Baptismi; & si crâs deponeret fictionem, idest, attereretur, reciperet crâs gratiam virtute Baptismi hodie susceptí. Tertiò, quia Sacramenta non sunt nobilioris conditionis quàm Christus; sed Christus non causavit gratiam per veram & physicam efficientiam, sed tantùm per influxum moralem, in quantùm meruit à Patre, ut daret gratias hominibus intuitu suæ mortis: ergo nil mirum est, si dicamus, Sacramenta conferre tantùm gratiam moraliter. Hujus sententiæ sunt Hieronymus in cap. 4. Esayæ, Aug. in Epist. 13. & Bernardus qui serm. de Cœnâ Domini habet; *Sicut investitur Canonicus per*

librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, ita gratiarum divisiones traditæ sunt per Sacramenta; hæc autem non agunt physicè: ergo nec Sacramenta. Quòd si autem Sacramenta non producant gratiam physicè; remanet, ut illam moraliter producant.

Objicies, si Sacramenta producant gratiam tantùm moraliter; maximè quia movent voluntatem Dei ad eam producendam; sed voluntas divina, cùm sit Deus ipse, non potest moveri à creaturâ: ergo Sacramenta non producunt gratiam moraliter. Resp. quòd reverà creatura non potest esse causa volitionis divinæ quâ velit gratiam creare ad receptionem Sacramenti, quia talis volitio est ab æterno, & nihil temporaneum potest esse causa actionis æternæ; sed creatura per receptionem Sacramenti potest esse causa actûs, quo gratiam producat in tempore; & talis actus est tantùm respectus rationis, sicut creatio mundi, prædestinatio Petri, reprobatio Judæ, & providentia circa omnes creaturas.

Instabis; quando v. g. amicus regis movet ipsum regem precibus, ut parcat alicui reo; preces illius amici non tantùm mouent regem ad actum quo veniam indulget, sed etiam ad volitionem, quâ rex vult dare veniam: ergo à pari, quando Sacramenta, ut causæ morales impetrant gratiam à Deo, non tantùm movent Deum ad actum externum quo dat gratiam, sed etiam movent ad actum internum quo Deus vult dare illam gratiam; & sic volitio divina est causata à creaturâ. Resp. concedendo comparationem, sed valet tantùm

reſpectu agentium creatorum, non verò reſpectu Dei; cauſa enim moralis aliter operatur reſpectu creaturæ, & reſpectu Dei; reſpectu enim Dei eſt tantùm cauſa actûs externi, non verò interni, quia increatus eſt; reſpectu verò creaturæ, cauſa moralis quæ movet, eſt cauſa, tùm actûs interni, quo voluntas ſe determinat ad volendum; tùm actûs externi, quo cauſa principalis aliquid operatur.

Objicies, ſi Sacramenta producunt tantùm moraliter gratiam; eſt potiùs Deus qui ad præſentiam Sacramentorum gratiam producit, quàm ipſa Sacramenta: & ſic Sacramenta ſunt tantùm ſigna vacua, quæ nullam habent excellentiam ſupra Sacramenta legis Moſaïcæ. Reſp. negando conſequentiam, quia Sacramenta noſtra reverà ſunt plena gratiæ, quatenùs illam impetrant; ſicut v. g. paſſio Chriſti dicitur propriè cauſa gratiæ, quia per paſſionem Chriſtus nobis gratias meruit: non eſt ergo par ratio de denario plumbeo, quo exhibito, datur merces; quia talis denarius non eſt impetratorius, nullum enim habet meritum: Sacramenta autem ſunt meritoria & impetratoria, quia continent ipſum Chriſtum vel realiter, ut in Euchariſtia; vel virtualiter, ut in aliis Sacramentis, quæ fundantur in virtute ſanguinis Chriſti, ut conſtat ex 6. ad Rom. *Quicumque baptiſati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptiſati ſumus.*

Objicies, ſi Sacramenta non producunt gratiam phyſicè, ſed potiùs Deus ad receptionem Sacramenti: ergo ſacerdos non poteſt dicere, Ego te abſolvo, ſed potiùs Deus eſt qui te

absolvit ad præsentiam sacerdotis & Sacramenti. Resp. negando consequentiam, quia minister non profert verba absolutionis tantùm concionatoriè & declaratoriè; sed ea profert efficaciter & juridicè per potestatem sibi traditam, licet non physicè attingat effectum: quia tamen necessitat Deum conferre gratiam ex pacto, debet dicere, Ego te absolvo; sicut is qui cogit custodem carceris ad aperiendam januam, dicitur incarceratum liberare; sicut etiam rex dicitur reum absolvere, qui jubet eum absolvi.

Objicies ultimò, Si Sacramenta conferrent gratiam tantùm moraliter, talis modus producendi gratiam esset similis illi modo quo maleficus arte Dæmonis operatur maleficia; non sunt enim verba quæ efficiunt maleficium, sed ipse Dæmon ad prolationem verborum. Resp. quòd per exempla turpia non debeant explicari mysteria divina: est tamen aliqua similitudo, ex quâ colligitur iniquitas & superbia Dæmonis; videns enim Diabolus Deum instituisse aliqua signa quibus pollicitus est gratiam ad sanctificationem animarum; sic etiam Dæmon, adinstar Dei, voluit instituere signa sensibilia, quibus promisit assistere suis magis ad maleficia facienda in ruinam animarum: hoc autem agit Dæmon, ut sicut Deus per Sacramenta honoratur, ita & ipse Diabolus colatur per maleficia; licet tamen inter utrumque modum producendi sit aliqua similitudo, est tamen disparitas; quia signa Diaboli non sunt signa infallibilia, sunt enim aliquando falsa & illusoria: adde quòd illa signa Diaboli

non sunt impetratoria, sicut Sacramenta, quæ infallibiliter gratiam impetrant, ratione contenti, scilicet Christi; quem continent vel realiter, vel virtualiter, ut diximus in secundâ objectione.

Quæstio Ultima.

An Sacramenta imprimant characterem?

Postquam egimus de gratiâ, quæ est primarius Sacramentorum effectus, de charactere superest agendum qui est secundarius effectus aliquorum. Character autem græcè idem est ac signum latinè, quo una res distinguitur ab aliâ. Definitur autem character, signum spirituale indelebile, quo fideles Christo consignantur, & ad ipsius cultum destinantur; qui enim tali charactere sunt insigniti, sunt quasi ipsius gregis, & ab aliis distinguntur.

Conclusio.

Non omnia Sacramenta conferunt characterem, sed tria tantùm, Baptismus nempè, Confirmatio, & Ordo; sic Conc. Trid. sess. 2. can. 9. de Sacramentis in genere. Quia Christianus tripliciter distinguitur ab alio; primò, ut Christianus simpliciter à non Christiano, & hoc habet per characterem Baptismi; secundo, ut fortis miles ab infirmo, quod habetur per Confirmationem; tertiò, ut perfectus à non perfecto, & tales designantur per characterem Ordinis. Ratione talis caracteris, qui est indelebilis, & nullo peccato obliterari

potest, Sacramenta quæ conferunt tales caracteres non possunt iterari. Quia etiam tales caracteres sunt indelebiles, non solùm manent in hâc vitâ, sed perseverant in animabus beatorum & damnatorum; in illis ad majorem ornatum & splendorem, in his verò ad majorem ignominiam. Quoad effectus caracteris, tres sunt, quos producit in animâ; primò enim per caracterem confertur quædam potestas spiritualis ad ea peragenda quæ spectant ad cultum divinum; quæ quidem potestas vel est passiva ut in Baptismo, quo homo redditur idoneus ad alia Sacramenta licitè vel validè suscipienda; vel est activa, ut in Ordine, quo homo fit idoneus ad Sacramenta aliis ministranda, & in Confirmatione, quâ est idoneus ad fidem profitendam. Secundò, caracter configurat hominem Christo, à quo, tanquam à summo sacerdote, derivatur omnis potestas spiritualis; & sic, qui aliquo Sacramentali caractere insigniti sunt, efficiuntur Christo similiores, quàm alii. Tertiò, tandem caracter discernit eos, qui ipsum receperunt ab aliis; unde per totam æternitatem distinguetur Baptisatus à non Baptisato, Confirmatus à non Confirmato, & Ordinatus à non Ordinato.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Sacramentis in ſpecie.

AD diſputationem de Sacramentis in communi, ordo doctrinæ poſtulat, ut adjungamus examinationem eorum, quæ dici poſſunt de Sacramentis ſigillatim ſumptis.

CAPUT PRIMUM.

De Baptiſmo.

AGENTES de multiplicitate Sacramentorum, probavimus ea eſſe ſeptem numero, & talem numerum collegimus ex comparatione hominis naturaliter ſumpti ad comparationem Chriſtiani; ubi facientes analogiam vitæ corporalis ad ſpiritualem, diximus quòd ſicut in homine generatio eſt primum quod conſiderari debet, ſic etiam in vitâ ſpirituali Baptiſmus, qui generationi correſpondet, eſt primum Sacramentorum, cujus naturam explicare debemus. Ut omnia, quæ de hoc Sacramento ſcitu ſunt neceſſaria, innoteſcant; ſeptem quæſtiones proponemus; quarum prima erit de naturâ, inſtitutione, & multiplicitate Baptiſmi; ſecunda de materiâ tùm remo-

tâ, tum proximâ ejus; tertia erit de formâ; quarta de ministro; quinta de effectu & dispositione ad illum; sexta de suscipientibus; septima denique de ritu & de ceremoniis illius.

Quæstio Prima.

Quid sit Baptismus? Quando fuit institutus? & quotuplex sit?

Non loquimur hîc de baptismo Joannis, qui habebat tantùm vim justificandi ex opere operantis, quatenus scilicet ex signo humilitatis junctæ cum quâdam peccatorum confessione generali, seu in communi factâ, poterat excitare contritionem, & sic justificare, & erat tantùm præparatio ad Baptismum Christi; unde ipsemet Joannes dicebat, *Ego vos baptiso in aquâ, ille vos baptisabit in spiritu*; & ipse Joannes baptisans baptisabat in nomine venturi, idest Christi: sermo ergo noster est tantùm de Baptismo Christi.

Conclusio Prima.

Baptismus, qui secundùm ethymologiam nominis, nihil aliud est, quàm ablutio; sive tollat tantùm maculas corporis, sivè abluat etiam animam, in quantum est Sacramentum, potest definiri physicè, & metaphysicè: physicè, est ablutio corporis sub præscriptâ verborum formâ; metaphysicè verò, est primum legis novæ Sacramentum, divinitus à Christo institutum, ad significandam &

conferendam gratiam originalem. Hoc ex se satis constat; notandum tamen est, quòd gratia illa, quæ est effectus Baptismi, vocatur impropriè originalis; quia per gratiam originalem intelligitur ea, quæ habetur in ipsâmet conceptione, quam nullus hominum, demptâ Virgine Maria, habuit, sed vocatur originalis impropriè, quia tenet locum gratiæ illius, quam habuissemus ab origine, si Adamus non peccasset.

Conclusio Secunda.

Baptismus secundùm communiorem sententiam fuit institutus, non quando Christus post resurrectionem dixit Apostolis, *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos, &c.* sed quando Christus baptizatus fuit à Joanne in Jordane; tunc enim indicata fuit materia baptismi, nempe aqua; quæ per Christi baptismum fuit tactu ejus mundata, ut esset materia hujusce Sacramenti. Forma etiam, quæ est invocatio Trinitatis, fuit indicata, quia persona Patris innotuit per hanc vocem dicentem, *Hic est filius meus*; persona Filii designata fuit per eadem verba, quæ significabant illum qui baptizabatur esse Filium Dei; tandem personam Spiritûs Sancti designavit species columbæ. Licet autem Baptismus fuerit eo tempore institutus, præceptum tamen Baptismi fuit tantùm generale, quando Christus post Resurrectionem dixit, *ite, prædicate baptizantes.* Dixi, quòd preceptum fuerit tantùm generale post mortem Christi; sed hoc non impedit, quin esset præceptum aliquod speciale baptizandi

betur; quòd sit *unus Deus, una fides, & unum baptisma.* Quòd tamen baptismus triplex sit, quando latè scilicet sumitur, patet ex sacrâ scripturâ: Marci enim 10. mors Christi appellatur Baptismus: nam dixit Christus, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; aut baptismo, quo ego baptisor, baptisari?* Unde Doctores vocant martyrium, Baptismum sanguinis. Quoad pœnitentiam perfectam, vocatur etiam Baptismus; Marci enim 1. & Lucæ 3. *Erat Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ*; & sic adest alius Baptismus, nempe flaminis, quo scilicet gratia Spiritûs Sancti, qui vocatur flamen, confertur. Insuper est tertius Baptismus, qui dicitur fluminis; & est ille de quo loquimur in præsenti disputatione. Baptismus Sanguinis iterari potest, si scilicet martyr in vitam rediret, Baptismus Flaminis reïteratur ordinariè, sed nunquam Baptismus Fluminis. Baptismus Fluminis confert gratiam ex opere operato, quia Sacramentum est: Baptismus Flaminis confert gratiam ex opere operantis: Baptismus Sanguinis confert gratiam ex opere operato; non quidem vi Sacramenti, quia non est Sacramentum; sed ex privilegio speciali, cujus meminit Matthæus cap. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Baptismus Fluminis habet rationem Sacramenti, Baptismus tamen Sanguinis aut Flaminis non sunt propriè Sacramenta, licet conferant effectum Sacramenti, nempè gratiam. Ratio autem quare hi Baptismi non sunt Sacramenta, est, quia Sacramenta constant verbis & signis sensibilibus, sed in Martyrio non sunt verba,

& in Pœnitentiâ non est signum sensibile, quia potest consistere in dolore interno. Quoad effectus tamen, habent eosdem quos Baptismus habet, quia Pœnitentia & Martyrium delent peccata, tùm originale, tùm actuale; tollunt etiam pœnam peccati, ut patet de Latrone cum Christo moriente, qui ita intensum elicuit actum contritionis, ut revera dispensatus fuerit ab omni pœnâ Purgatorij; ipso enim die quo mortuus est, fuit cum Christo in Paradiso: Martyrium etiam habet eundem effectum; Ecclesia enim nunquam orat pro martyre; immò, inquit Augustinus, qui pro martyre orat, injuriam facit martyri. Porrò, per Martyrium intelligitur actus religionis imperatus à charitate & elicitus à fortitudine, quo aliquis mortem patitur ob honestam causam, qualis est conservatio fidei, religionis, castitatis, immunitatis Ecclesiæ, vel ob aliam virtutem. Per Baptismum autem Flaminis non intelligitur quælibet conversio, sed perfecta, quæ includit contritionem veram & charitatem cum desiderio Baptismi; votum enim Baptismi Fluminis requiritur, vel implicitè, vel explicitè, tùm in pœnitentiâ, tùm in martyrio: Immò martyrium ipsum, ut gratiam conferat, exigit actum attritionis, seu displicentiam de peccato; & pro tunc martyr mediante martyrio de attrito fit contritus: quod intelligitur tamen de adultis; Innocentes enim ab Herode mactati, ut sancti reputantur ab Ecclesiâ, licet dolorem de peccato, nec voluntatem Martyrij habuerint. Tandem, quia diximus, votum Baptismi esse necessarium; ideò si quis posset baptisari, & ex negligentiâ suâ non

non baptisaretur, non haberet gratiam per Pœnitentiam aut Martyrium, nisi ipsum in fine pœniteret de suâ negligentiâ.

Quæstio II.

Quænam sit materia Baptismi?

Hermiani & Celeücitæ excludebant aquam à materiâ Sacramenti, quia affirmabant Joannem baptisasse in aquâ, & Christum baptisaturum in Spiritu sancto & igne; sed non attendebant sensum Scripturæ, quæ innuere volebat, Joannem baptisasse in solâ aquâ, & non in spiritu & gratiâ; Christum verò baptisaturum in aquâ & Spiritu. Jacobitæ loco aquæ utebantur ferro candenti, quod imprimebant fronti, quia, inquiebant, Joannes promisit quòd Christus esset baptisaturus in Spiritu Sancto & in igne. Quod non debet tamen intelligi de igne elementari, sed de igne spirituali, nempe de Spiritu Sancto, qui in die Pentecostes descendit super Apostolos in formâ ignis. Lutherus tandem, qui aliquando interrogatus, utrùm in necessitate Baptismus posset fieri in vino, vel lacte, respondit hoc esse dimittendum justo Dei judicio; posteà tamen asseveravit omnem liquorem, ex quo balneum fieri potest, posse esse materiam Baptismi. Quæ sit mens nostra, tùm de materiâ proximâ, tùm de remotâ, aperietur.

Conclusio Prima.

Materia remota Baptismi est aqua naturalis. Sic Concilium Tridentinum conformiter Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ*, & Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari*? Convenienter autem aqua est assumpta ad Baptismum, quia cùm Baptismus sit necessarius singulis, bonitas divina illum conferri voluit in re communissimâ. Deinde est quædam convenientia inter aquam & Baptismum; sicut enim aqua extinguit ignem & lavat sordes corporis, sic Baptismus extinguit peccatum, & maculam animæ abluit. Illa autem aqua, quæ est materia Baptismi, debet esse pura & elementaris; & sic excluduntur aquæ distillatæ, saliva, sudor, lachrymæ, & urina. Debet etiam esse usualis; & sic nix, grando, & glacies non possunt esse materia Baptismi, nisi resolvantur in aquam, ad minùs dùm proferuntur verba. Debet etiam esse simplex, & sic aqua ita permixta cum alio corpore, ut perdat denominationem aquæ, est inepta; sic non potest fieri Baptismus ubi caro & succus admixtus ita densarent aquam, ut non amplius esset aqua, sic nec in luto. Quoad lixivium, transit communiter pro materiâ dubiâ, sicut sal etiam resolutum. Quoad cervisiam verò, secundùm communem usum transit in tertiam entitatem, & sic non est materia propria Baptismi; potest verò Baptismus fieri in aquâ calidâ, salsâ, lutosâ & transeunte per meatus sulphureos. Quòd si Papa Stephanus dicatur approbasse Baptismum factum in vino ex necessitate; hoc fecit ut persona particularis;

quod tamen multi de eo non credunt.

CONCLUSIO SECUNDA.

MATERIA proxima Baptismi est ablutio, & sic aqua debet lavare aliquo modo & abluere; illa autem ablutio consistit in contactu physico; unde si parvulus inclusus in corio, utero, vel secundinis, abluatur secundùm id tantùm in quo inclusus est, non erit baptisatus; sicut nec ille cujus vestes tantùm abluerentur: si verò aqua caderet super capillos tantùm, hoc sufficeret ad Baptismum. Contactus etiam aquæ debet esse successivus; & sic puer inclusus in dolio aquæ etiamsi proferrentur verba, non esset baptisatus. Quoad partes quæ debent ablui, dicendum est, nec totum corpus debere necessariò ablui, nec minimam partem sufficere extra necessitatem; licet enim ablueretur digitus, non propter hoc ablutus diceretur homo; sed debet communiter fieri ablutio in capite, ubi vigent tùm interiores, tùm exteriores sensus. Si puer emittat tantùm pedem vel manum ex utero matris, potest in eâ parte baptisari; quia anima, ad cujus salutem Baptismus instituitur, viget in illâ; si tamen vivus egrediatur, debet iterari Baptismus sub conditione. Quoad quantitatem aquæ, dico illam sufficere, quæ potest contingere corpus, & successivè fluere per partem corporis sufficientem; sivè fluat proprio pondere, sivè per actionem externam; unde judicatum est, Baptismum fuisse validum factum à muliere, quæ digito tantùm madefacto impressit signum crucis super frontem pueri moribundi.

Conclusio Tertia.

Triplex est ablutio, nimirum per immersionem, per infusionem, & per aspersionem; & altera quæque harum sufficit; sivè fiat semel, ad significandam unitatem essentiæ, sivè fiat ter, ad denotandam personarum Trinitatem. Si Divus Thomas dicat, non valere Baptismum, nisi post tertiam immersionem; hoc est, quia non perficitur communiter prolatio verborum, nisi cum tertiâ ablutione. Si Ecclesia dederit præceptum de tribus ablutionibus; hoc est præceptum decentiæ & congruitatis, non verò necessitatis. Quòd ablutio facta per infusionem sufficiat, patet ex primitivâ Ecclesiâ; & ex præsenti usu Ecclesiæ Græcæ, quæ per trinam immersionem baptisat. Quòd denique sufficiat aspersio copiosa, constat, quia fertur beatum Laurentium solâ aspersione baptisasse hominem paulò ante mortem. Divus Thomas etiam existimat sic baptisasse Apostolos, quando erat multitudo copiosa baptisandorum, ut in Actibus, ubi tria hominum millia in uno die sunt baptisata: sed notandum, quòd copiosa debet esse aspersio; & sic minima gutta non sufficeret.

Conclusio Quarta.

Immersio sine emersione sufficit; quando enim baptisans immergit puerum in flumen, etiamsi è manibus cadens parvulus non emergatur, in tali actione est vera & propria ablutio: ergo validus est Baptismus, dummodò habeatur intentio, & proferantur verba: Immò, si aliquis carens aquâ projiceret infantem in puteum, modò proferret verba, dùm

illum tangit aqua, vel paulò ante, vel paulò post, & modò hoc fiat antè mortem pueri, valet Baptismus. Nec quis dicat, quòd non sit ablutio, sed projectio ordinata communiter ad suffocationem; quia præcedit aliquo tempore ablutio, & suffocatio sequens non tollit rationem ablutionis. Nec obstat, quòd minister non tangat baptisatum; tangit enim mediatè, in quantùm projiciendo est causa cur abluatur, sicut aspergens est vera causa ut aqua tangat baptisatum: in illo tamen casu quo deesset aqua, non est projiciendus puer in puteum; esset enim peccatum mortale, & incurreretur irregularitas, & suæ saluti magis consulendum est, quàm alienæ: Unde in hoc casu idem esset, ac si deesset aqua: immò quia hæc opinio est in praxi dubia, & multi Doctores tenent, puerum sic projectum non baptisari, si postea emergeretur puer, deberet iterari Baptismus sub conditione.

Quæstio III.

Quænam sit forma Baptismi?

Multi in forma Baptismi erraverunt: Gnostici, teste Irenæo, baptisabant in nomine ignoti Patris, in veritate matris omnium, & in nomine Jesu descendentis. Paulianistæ non baptisabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, ut testatur Innocentius primus Epistolâ 22. cap. 5. Unde Concilium Nicænum jubet ipsos rebaptisari. Aliqui Aria-

norum baptisabant in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto; unde Nicephorus lib. 13. cap. 35. refert, quemdam Deuterium Arianum Episcopum voluisse sic baptisare, & subitò evanuit aqua. Alii alio modo baptisabant, non servatâ formâ præscriptâ, ut in nomine Patris majoris, Filii minoris, & Spritûs Sancti. Alii tandem baptisabant ritu Catholico: Unde in Concilio primo Arelatensi can. 8. jubetur interrogari Arianos sub quâ formâ baptisati sint. Eunomiani baptisabant in mortem Domini. Græci, qui baptisabant sub hâc formâ, *Baptisetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, validè quidem baptisabant, quia utebantur tali modo, ut vitarent occasionem schismatis orti inter primos Christianos, quorum alii dicebant, *Ego sum Pauli, ego Cephæ*; quia baptisati erant vel à Paulò, vel à Cephâ, ut habetur, 1. Corinth. 3. Sed errabant in hoc, quòd auderent rebaptisare illos qui erant baptisati more latino, & hic error damnatus fuit in Conc. Later. sub Innocentio III. Lutherus tandem baptisabat sub nostro ritu; at volebat hoc non esse necessarium ad substantiam Baptismi, sed dicebat esse validum, dummodò esset datus in nomine non hominis, sed Domini; immò, volebat Baptismum quocumque nomine datum valere, dummodò suscipiens illum reciperet in nomine Domini. Superest nobis explicare mentem Catholicam, quod fiet in conclusionibus sequentibus.

Conclusio Prima.

Forma Baptismi est hæc, *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; sic Concilia Florentinum & Tridentinum; hoc etiam habetur ex scripturâ, Christo scilicet dicente Apostolis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; ex hoc tamen textu non ita clarè extrahitur forma Baptismi, ut non recurrendum sit ad traditionem & declarationem Ecclesiæ; quia licet Evangelium præcipiat baptisare in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; non jubet tamen dicere, *Ego te baptiso in nomine Patris, &c.* sicut quando Christus præcepit prædicare vel dare eleemosinam, non tenemur dicere, ego vos doceo, nec ego vobis eleemosinam do in nomine Christi; sed sufficit, quòd illam demus ob Christum; sic etiam quando Christus jubet baptisare in nomine, &c. satisfit præcepto, quando aliquis infundit aquam ob nomen Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, & non est necessarium, quòd hoc exprimatur, dummodò habeat in mente. Forma ergo Baptismi habetur tùm ex sacra Scripturâ, quæ docet Baptismum debere fieri in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; tùm ex traditione Ecclesiæ, quæ declarat quòd debeamus dicere expresse & vocaliter, *Ego te baptiso.*

Conclusio Secunda.

In formâ Baptismi debet necessariò exprimi actio baptisantis, non verò necessariò exprimitur persona ministri. Prima pars hujus conclusionis patet ex Concilio Florentino cap.

1. de Bap. ubi habetur, *si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & non dixerit, ego te baptiso, puer non est baptisatus.* Illa autem actio potest exprimi verbo activo; dicendo, *Ego te baptiso*; vel verbo passivo, ut, *baptisaris à me in nomine Patris, &c.* vel imperativo, ut, *baptisetur servus Christi*, sicut aïunt Græci; vel *baptiseris à me*; immò, sufficit, ut quis utatur nomine synonimo, dicendo, *Ego te lavo, abluo, intingo, mergo, mundo, &c.* hoc tamen non licet. Valet etiam si repetatur ter, *baptiso*, dicendo nimirum, *Ego te baptiso in nomine Patris, ego te baptiso in nomine Filii, ego te baptiso in nomine Spiritûs Sancti*, modò eodem tempore morali proferantur verba. Secunda pars conclusionis patet ex formâ Græcorum, quæ supprimit expressionem personæ ministri; ministri enim apud Græcos non dicunt, *Ego te baptiso*, sed *baptisetur servus Christi*, ubi talis forma ministrum supprimit & ipsa est legitima, ut docet Concilium Florentinum. Quòd etiam apud Latinos pronomen, *ego*, possit omitti, patet; quia intelligitur sub verbo, *baptiso*; ob præceptum tamen Ecclesiæ omittendum non est; & qui scienter omitteret, peccaret.

Conclusio Tertia.

Persona baptisanda debet necessariò exprimi; sicut enim materia proxima seu ablutio debet versari circa determinatam personam quæ abluitur, sic & verba debent talem personam exprimere. Persona autem baptisanda potest exprimi vel per pronomen, *te*, aut,

vos, dignitatis causâ, modò baptisans velit semper significare singularem personam; hoc tamen faciens peccaret, non verò si essent plures personæ quæ baptisarentur; pro tunc enim minister posset dicere, *Ego baptiso vos*, ideſt, *te & te*; & hoc etiam non debet fieri nisi in necessitate; licet enim teneret Baptismus, peccaret tamen baptisans in plurali. Potest etiam exprimi persona baptisanda per verbum passivum secundæ personæ; ut, *baptiseris à me*, aut, per nomen proprium; dicendo, *Ego baptiso Petrum*; aut per appellativum, *Ego baptiso tuam dominationem*; in Ecclesiâ etiam græcâ exprimi debet persona baptisanda, saltem sub his verbis, *Baptisetur hic servus Christi*, *&c.* non tollitur autem Baptismus, si sit error in nomine, aut personâ, ut si quis diceret, *baptiso te Petre*, cùm sit Joannes, aut crederet baptisare puerum, & baptisaret puellam, valeret Sacramentum, nisi restringeret suam intentionem ad talem personam; tamen qui sic ageret graviter peccaret,

Conclusio Quarta.

Necessaria est expressa invocatio Trinitatis ex Matth. ult. *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, &c.* ibi tamen recurrendum est ad traditionem, quæ hoc declaravit, ut diximus in conclusione primâ. Si quæratur ratio à priori, quare talis expressio fieri debeat, petitur ex solâ institutione Christi; ratio verò à posteriori est, quia Baptismus est Sacramentum fidei, quo per fidem jungimur Ecclesiæ, unde necessarium est in illo profiteri Mysterium Trinitatis quod est primum; ex

quo patet, Baptismum collatum in nomine Christi esse invalidum: sic Pelagius, Zacharias, & alii Pontifices; unde in can. 49. Apost. improbatur Baptismus datus in morte Christi, cujus ratio redditur, quòd Christus non dixerit, in meâ morte baptisate eos; sed, *euntes, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, &c.* ubi expressè Apostoli damnant Baptismum datum in nomine solius Christi, sivè in morte Christi, hæc enim sunt unum & idem. Non est ergo verisimile, quòd Apostoli baptisaverint in nomine Christi: unde quando Act. 8. dicitur, quòd baptisabant in nomine Christi; hoc est, in fide & authoritate Christi à quo habebant potentiam baptisandi. Quòd si etiam Nicolaus primus dicat, Baptismum valere in nomine Christi; hoc non est, quasi excluderentur aliæ personæ; sed quia nominabant Christum loco Filii, dicentes scilicet, *Ego te baptiso in nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti*, ut majori scilicet honore Christus haberetur.

Conclusio Ultima.

Invocatio trium personarum Trinitatis debet esse expressa; unde qui diceret, *Ego te baptiso in nomine Deitatis*, vel *Trinitatis*, vel *trium personarum*, non baptisaret; quia non servaret formam præscriptam à Christo, qui voluit tres personas exprimi. Si fieret autem Baptismus *in nomine Genitoris, Geniti & procedentis ab utroque*, negant veteres esse validum; ut D. Thomas, Bonaventura, Scotus, &c. quia, inquiunt, Baptismus debet dari cum expressione personarum sub nominibus, quæ si-

gnificent proprietates personales, quæ sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; non verò quæ significent proprietates notionales, ut sunt genitor, genitus, & procedens; contrarium tamen tenent alii; unde Baptismus deberet iterari in hoc casu, saltem sub conditione; quoniam ad significationem Trinitatis debet fieri Baptismus cum invocatione trium personarum, & ad denotandam Essentiæ Unitatem, debet dari in nomine, & non in nominibus, pro tunc enim non valeret; nam ita necessaria est professio unitatis Essentiæ, quàm Trinitatis personarum; per nomen autem intelligitur essentia & natura. Quod si dicatur, *in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti*, Baptismus est validus, quia est tantùm repetitio, non multiplicatio aut diversitas essentiæ; an autem valeat, dicendo, *Ego te baptiso in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*; negant aliqui, quia, inquiunt, sublatâ conjunctione videntur confundi personæ & distingui solis nominibus, quod esset Sabellianum: alii contrarium sentiunt, & sic in hoc dubio deberet iterari Baptismus sub conditione. Porrò, *Amen*, non est de essentiâ Baptismi, sed tantùm præceptum Ecclesiæ; unde peccaret qui hanc omitteret particulam.

Quæstio IV.

De Ministro Baptismi.

Alias dubitatum fuit an Baptismus esset validè collatus à non baptisato; unde Augustinus in hac difficultate dubius hæret, dicens, se non audere super id determinare quidquam, lib. scilicet 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. sed hoc determinavit Concilium Florentinum, ut Augustinus cupiebat; scilicet licere in casu necessitatis, sivè laïco, sivè viro, sivè fœminæ, sivè Christiano, sivè pagano, baptisare, modò adsint materia, forma & intentio. Quæ sit mens nostra super diversitatem ministrorum, aperietur; si priùs notaverimus, nullum posse se baptisare Baptismo Fluminis, licet possit se baptisare Baptismo Flaminis, eliciendo scilicet actum contritionis perfectæ cum voto Baptismi Fluminis.

Conclusio Prima.

Quilibet homo, dummodò possit loqui & abluere, sivè sit homo, sivè mulier, sivè Catholicus, sivè hæreticus, sivè fidelis sivè infidelis & paganus, potest esse minister Baptismi. Sic Concilium Florentinum decreto de Armenis, ubi dicitur, *in causâ necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laïcus & mulier, immò & paganus & hæreticus baptisare potest, modò Ecclesia formam servet, & facere intendat quod illa facit.* De hâc re jam nulla supereſt difficultas inter Catholicos, licet fue-

rit maxima tempore Cypriani & Augustini, ut diximus. Hæc conclusio intelligi debet, conformiter Concilio citato, in necessitate; extra enim necessitatem licet validus esset Baptismus, tamen committeretur peccatum, si aliquis non Pastor, non Sacerdos, non fidelis baptisaret. Sacerdos, qui extra necessitatem sine solemnitate baptisaret, peccaret mortaliter, sicut & ille qui baptisaret in domo privatâ, nisi filium principis. Porrò, ratio conclusionis nostræ petitur ex institutione Christi, quæ nobis innotescit ex traditione Apostolicâ. Ratio verò congruentiæ desumitur ex hoc, quòd sicut hoc Sacramentum est omnibus necessarium, ideò Christus congruenter voluit ipsum instituere in materiâ communi & à ministro communissimo, saltem in necessitate. Nec ejusdem rationis est Pœnitentia, quia pendet à jurisdictione. Si quis autem quærat, quinam ordo debeat servari inter hos ministros necessitatis; respondetur, quòd cæteris paribus, Sacerdoti debeat cedere Diaconus, isti Subdiaconus, Laïcus Clerico, Infidelis Fideli, & Fœmina viro; omnes enim isti ministri, sunt ministri necessitatis; ubi autem est vir, non est necessaria mulier. Dixi, cæteris paribus, nam si Sacerdos non posset ritè Baptismum ministrare, aut non vellet, nisi daretur pecunia; quilibet alius baptisare posset, servato semper ordine.

Conclusio Secunda.

Solus Sacerdos, isque Parochus, est minister ex officio; quatenus enim Presbyter, habet potestatem ordinis ex jure divino; & qua-

tenus Parochus habet potestatem jurisdictionis in suos subditos, ex concessione Episcopi; unde in Canone, *interdicimus*, prohibetur districtissimè, nè Sacerdos extra casum necessitatis baptiset non sibi subditum. Licet autem solus Sacerdos sit minister ex officio, Diaconus tamen est capax hujus ministerii ex concessione, vel jussu Sacerdotis, ut patet ex Pontificali Romano dicente, *Diaconum debere baptisare*, ex commissione scilicet, & absente Presbytero; non verò ex officio, ut determinavit in jure Canonico Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostolic. 46. Ratione talis commissionis olim Diaconi baptisabant cum solemnitate, ob penuriam Sacerdotum; Subdiaconi autem & alii clerici non possunt baptisare extra necessitatem, nisi ex commissione summi Pontificis. Quòd si quis quærat, utrùm ministri unitas requiratur in Baptismo; respondebitur affirmativè, unde si unus ablueret & alter proferret verba Baptismi, non esset Baptismus: illi enim qui non ablueret, & diceret, *Ego te baptiso*, mentiretur; plures tamen possunt unum baptisare, quatenus scilicet quilibet infunderet aquam & proferret verba; & pro tunc, si simul infunderent & verba proferrent, omnes baptisarent; si verò unus priùs alio aquam infunderet & verba proferret, ille solus baptisaret. In primâ suppositione erit tantùm unicum Sacramentum; pro tunc enim illi duo ministri haberentur ut unicus moraliter, forma Baptismi ut unica, & ablutio una tantùm.

Quæstio V.

Quinam sint effectus baptismi & qua dispositio?

Hæretici hujus temporis docent, peccata per Baptismum non tolli, sed tantùm tegi, aut non imputari; & fundantur in dicto Davidis: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, & cujus tecta sunt peccata*; sed hic error repugnat Paulo ad Ephes. 5. dicenti, *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ*; adversatur etiam toti Ecclesiæ dicenti, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, & Concilio Tridentino sess. 5. can. 5. Ad solutionem ergo Psalmistæ, dicendum est; peccata tegi & non imputari, quia auferuntur ita planè, ut videri & imputari non possint.

Conclusio Prima.

Baptismus verè & propriè tollit omne peccatum, omnem pœnam peccatis debitam, gratiam habitualem confert, & cum eâ habitus supernaturales coinfusos, & gratiam Sacramentalem.

Primæ partes habentur in Concilio Florent. in decreto de Armenis, ubi dicit, *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, & omnis pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur.* Quòd Baptismus tollat culpam originalem, constat apud omnes; quia ad hoc instituitur. Quòd tollat omne peccatum tùm actuale, tùm mortale, tùm veniale, patet; quia per Baptismum datur gratia sanctificans, cujus effectus

est delere peccatum. Quòd tandem remittat omnem pœnam peccati, petitur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. & ex communi traditione Ecclesiæ, quæ nunquam baptisatis imponit pœnam satisfactoriam. Ubi notandum tamen, quòd licet Baptismus tollat pœnam inflictam à Deo, non tamen ab homine; unde puniuntur illi post Baptismum, qui ante Baptismum, fuerunt homicidæ; sicut enim homines scandalisati sunt per culpam publicam, sic debent reparari per pœnam publicam; in foro tamen interiori possunt judices parcere, in favorem Baptismi.

Quoad alias partes, probatæ sunt in primis quæstionibus capitis ultimi de Sacramentis in genere, ubi probavimus Sacramenta conferre primò gratiam habitualem, secundò habitus supernaturales coïnfusos, seu gratiam virtutum, & tandem gratias Sacramentales; sed his addimus aliqua, quòd scilicet Baptismus pro secundariis effectibus conferat primò Characterem: secundò apertionem januæ cæleſtis, quia confert gratiam, & gratia tollit peccatum, removetque omnia impedimenta ad ingressum cæli: tertiò confert conjunctionem hominis cum Christo, Baptismus enim confert fidem, & per fidem homo est membrum corporis Ecclesiæ, cujus caput est Christus: quartò tandem Baptismus facit hominem subditum jurisdictioni Ecclesiæ: quilibet enim per Baptismum fit membrum Ecclesiæ, & membrum subditur voluntati capitis.

CONCLUSIO SECUNDA.

IN paruulis nulla requiritur dispositio personalis, quia non sunt illius capaces; unde super fidem alienam, nempe patrinorum, baptisantur: in adultis verò requiritur aliquid ex parte intellectûs, & aliquid ex parte voluntatis; fides nimirum in intellectu, *sine fide* enim *impossibile est placere Deo*, quæ quidem fides non est habitualis; habitus enim fidei datur per Baptismum, sed est actualis procedens ex speciali & supernaturali auxilio Dei. Ex parte voluntatis aliud requiritur; sed distinguendum est inter illos qui baptisantur cum solo peccato originali, & alios qui baptisantur habentes tùm peccatum originale tùm peccatum actuale; si enim baptisandi adulti habeant tantùm peccatum originale, sufficit voluntas recipiendi Baptismum cum proposito seruandi legem Christi, & hoc requiritur, quia Deus non justificat adultum, nisi consentientem & volentem obseruare ea, ad quæ destinatur per Baptismum. Si verò adultus cum peccato originali habet peccatum actuale, requiritur detestatio peccati, & conversio ad Deum; non remittitur enim peccatum actuale, nisi retractetur à peccante: sicut ergo peccatum consistit in aversione Dei & conversione ad creaturam, seu ad actum peccati; sic non potest remitti, nisi peccator per Pœnitentiam præcedentem Baptismum se convertat ad Deum, & se avertat à peccato; unde Act. 2. habetur, *Pœnitentiam agite & baptisetur unusquisque vestrum*; unde etiam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & 6. docet ad justifi-

cationem, quæ fit in adultis per Baptismum in re vel in voto, requiri detestationem peccatorum & conversionem ad Deum; illa autem detestatio, si habeatur per attritionem supernaturalem, sufficit.

Objicies in primam conclusionem, D. Paulus vocat concupiscentiam peccatum; sed Baptismus non tollit concupiscentiam, etiam in his qui habent omnes dispositiones requisitas ad Baptismum. Resp. Paulum appellare concupiscentiam peccatum per metonimiam, quia scilicet est causa peccati, nos enim allicit ad peccandum; non debet autem vocari propriè peccatum, sed potiùs pœna peccati.

Instabis, ergo saltem falsum est quòd dicimus, Baptismum tollere omnem pœnam peccati, quandoquidem non tollit concupiscentiam, nec malitiam, nec ignorantiam, nec infirmitatem, quæ sunt peccati pœnæ. Resp. duplicem esse pœnam peccati; prima dicitur pœna directa peccati, quæ est damnatio, vel aliquod opus satisfactorium, quod de lege communi debemus elicere, quando culpa peccati deleta est; secunda dicitur pœna indirecta peccati, quæ consistit in quibusdam inordinatis motibus, qui in nobis insurgere solent, quia per peccatum perdidimus justitiam originalem, quæ nos liberasset à talibus motibus. A pœnâ directâ nos liberat Baptismus, non verò liberat à pœnis indirectis, quæ à Theologis communiter potiùs vocantur pœnalitates peccati, quàm pœnæ.

Conclusio Tertia.

Ille qui fictè Baptismum recipit, non recipit effectus Baptismi, sublatâ tamen fictione, effectus Baptismi redit; fictio autem non intelligitur de simulatione quam aliquis adhibet, cùm sine ullâ voluntate Baptismum recipit, quia pro tunc non est Sacramentum; sed ille intelligitur fictè Baptismum recipere, qui habens voluntatem recipiendi Baptismum retinet affectionem ad peccatum mortale, nec vult elicere actum contritionis, aut saltem attritionis. Primum patet ex jam dictis in conclusione præcedenti; ubi asseruimus, detestationem peccati requiri saltem in adultis, ut possint gratiam Baptismatis recipere. Quoad secundum, petitur ex Augustino, & post eum ex omnibus Theologis docentibus, recedente fictione per detestationem peccati redire effectum Baptismi, seu gratiam habitualem, quæ anteà data fuisset, si non fuisset apposita fictio. Exemplificatur, aliquis adultus vult hodie Baptismum recipere, non vult tamen deserere suum peccatum mortale, ipsum detestando; fictè recipit baptismum, & tantùm accipit rem, non verò effectum ejus, scilicet gratiam; crastinâ verò die deponit suam fictionem, idest, atteritur vel conteritur de peccatis suis, & pro tunc gratia, quam recepisset in acceptione baptismi, redit. Ratio hujus est, quia solus Baptismus potest remittere peccatum originale: debet ergo ablatâ fictione, Baptismus suum habere effectum, vel iterari; secundum non potest fieri: ergo primum debet admitti; & sic recedente fictione, redit

gratia delens tùm peccatum originale, tùm peccatum actuale. Hæc est, inquam, mens Augustini lib. 1. contra Donatistas cap. 12. Ubi notandum, quòd recedente fictione omnia peccata, tùm originale, tùm mortale, tùm veniale, ante Baptismum commissa remittantur, & pœna etiam ipsorum, & hoc per solam attritionem, quia illa sufficit cum Baptismo. Quoad peccata verò mortalia post Baptismum & in illo Baptismo commissa, non tolluntur nisi per contritionem, quia talia peccata non habent favorem Baptismi, qui datus est ante illa. Dicendum ergo est, quòd ille qui fictè Baptismum recipit, committat sacrilegium, & illud sacrilegium non potest tolli, nisi tollatur fictio per contritionem. Sciendum etiam est, quòd sublatâ fictione per contritionem, non tollitur pœna peccatis post Baptismum commissis debita, sed tantùm de æterna fit temporalis, ut in pœnitentia. Porrò, non est idem dicendum de Confirmatione, ac de Baptismo; licet enim Confirmatio non possit iterari, si quis confirmationem fictè recipiat, recipit quidem caracterem, non verò gratiam; recedente tamen fictione, non recipitur gratia habitualis, licet possit recipi gratia quædam actualis ad fidem profitendam. Ratio autem est, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; cum autem augmentum gratiæ habitualis possit accipi cum attritione junctâ Eucharistiæ, non est dicendum, quòd debeat redire Confirmationis effectus.

Quæstio VI.

Quomodo Baptismus sit necessarius & qui sint baptisandi?

Revocandum est in mentem, quòd duplex sit necessitas, nempè medii & præcepti, de quibus anteà. Sciendum est etiam quod Anabaptistæ dicant non licere tradere Baptismum, nisi adultis, qui illum per se expetunt. Hæc hæresis orta est an. D. 1528. & author illius fuit quidam Baltasar Pacimontanus, qui posteà crematus fuit Viennæ. Eamdem hæresim susceperunt paulò post ministri Transylvani: contrarium docet Ecclesiæ traditio, ut dicetur.

Conclusio Prima.

Baptismus est necessarius tùm necessitate medii, quod colligitur ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non introibit in regnum cælorum*: Tum necessitate præcepti, quod desumitur ex eodem loco; quod enim est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti; illud autem preceptum obligat etiam justos, unde Apostoli & B. Virgo debuerunt baptisari; non quidem necessitate medii, quia jam anteà erant justi, sed necessitate præcepti. Hoc præceptum obligat etiam infideles, Christus enim habet potestatem excellentiæ super omnes; non obligat autem parvulos ante usum rationis; non sunt enim capaces præcepti, sed obligat paren-

tes, in casu saltem necessitatis baptisare pueros ; immò , Concilium Provinciale Rothomagi celebratum constituit sub excommunicatione parentibus, ut infans baptisetur ante nonum diem. Quoad tempus autem quo præceptum Baptismi obligavit, fuit illud (saltem quoad omnes) quo Evangelium fuit sufficienter promulgatum ; in die autem Pentecostes videtur facta fuisse solemnis promulgatio Evangelii, postquam enim Petrus confutavit Judæos , qui credebant Apostolos madere musto , compunctione tacti Judæi scire voluerunt , quomodo salvari possent ; hinc cepit occasionem Petrus promulgandi Evangelium, Baptismum , & alia præcepta legis novæ ; & in hoc sermone tria millia Judæorum sunt conversa & baptisata ; quia autem in illo consessu fuerunt populi ex omni gente & regione populorum , ut habetur Act. 1. sic fuit promulgatum Evangelium, saltem in universum; hoc tamen non prohibet, quin respectu alicujus provinciæ vel civitatis, promulgatio talis fuerit insufficiens , unde posteà , *In omnem terram exivit sonus eorum* & Evangelii & Apostorum clamor, ad ampliorem legis novæ publicationem.

CONCLUSIO SECUNDA.

INFANTES legitimè baptisari possunt , quidquid dicant Anabaptistæ contra traditionem Ecclesiæ ; Origenes enim lib. 5. in cap. 6. ad Rom. ait , *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum.* Ratio conclusionis est , quia infantes sunt capaces gratiæ & gloriæ : ergo potest illis conferri Baptismus,

qui est medium ad utramque ; sunt, in quam, capaces gratiæ, ut patet ex Joanne Baptistâ & Jeremiâ, qui sanctificati fuerunt in utero materno ; sunt etiam capaces gloriæ, ut liquet ex Innocentibus. Deinde, Christus dixit, *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum* ; non possunt autem venire ad Christum, nec possidere regnum cælorum, nisi tracti sint per Baptismum : ergo sunt capaces Baptismi. Tertiò, veritas nostræ conclusionis probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ semper sollicita est baptisare tùm parvulos ; tùm adultos. Quartò, infantes legis gratiæ non sunt deterioris conditionis, quàm infantes legis scriptæ, qui octavo die circumcidebantur. Quintò tandem, Act. 16. baptisata est Lydia & domus ejus, custos carceris & domus ejus ; & 1. Cor. 1. baptisata est Stephana & domus ejus ; non est autem credibile, quòd in tribus integris familiis non essent aliqui parvuli.

Objicies, fides necessaria est ad receptionem baptismi ; infantes autem non sunt capaces fidei : ergo nec baptismi. Resp. necessaria est fides propria in adultis ; aliena in infantibus, & hæc est fides vel parentum, vel Ecclesiæ ; fides autem alia ideò sufficit in baptismo, quia baptismus tollit peccatum commissum per voluntatem alienam. Super hanc difficultatem dicit optimè August. serm. 10. de verbis Apost. *Accommodat mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant ; aliorum cor, ut credant ; aliorum linguam, ut confiteantur.* Si Christus mittens Apostolos, ad baptisandum dixit ; *Euntes docete, baptisantes eos*, &c. *docentes servare omnia quæcum-*

que præcep i vobis; ibi Christus ponit ordinem quem servare debebant Apostoli respectu Gentilium adultorum. Si dicant Anabaptistæ, hoc non haberi ex scripturâ; Resp. haberi ex traditione Apostolicâ, quæ non est minoris authoritatis. Si instent, ergo Eucharistia est infantibus necessaria. Negatur, quia Eucharistia non est necessaria necessitate medii, sed tantùm præcepti; præceptum autem non obligat usu rationis carentes.

Conclusio Tertia.

Baptismus collatus filiis hæreticorum, Judæorum & paganorum est validus; non semper tamen licet omnes istos baptisare; licet, inquam, ut filii hæreticorum & paganorum, qui fidem aliàs receperunt & ab eâ recesserunt, baptisentur invitis parentibus, quia Ecclesia habet jus cogendi parentes ad servandam fidem, & illos afficiendi pœnâ mortis, si sint pertinaces: ergo multò magis poterit illos privare potestate quam habent in filios, & sic baptisare illos invitis parentibus, & illos retinere.

Filii infidelium non baptisatorum, etiam si subditi sint Ecclesiæ quoad bonum temporale, non possunt licitè baptisari, quia post baptismum vel relinquerentur curæ parentum, & tunc esset evidens periculum subversionis, quod cederet in injuriam baptismi & fidei; vel substraherentur parentibus, quod non debet fieri: licet enim in hoc casu Ecclesia haberet dominium in bona infidelium, non tamen haberet dominium super personas; & sic non posset privare parentes jure naturali quod habent

in

in filios. Quòd si Deus velit, ut omnes baptisentur, hoc non vult, nisi servatâ justitiâ.

Filii infidelium possunt baptisari invitis parentibus, si sint adulti, & petant baptismum; quia jus habent petendi quod sibi necessarium est: immò, si sint etiam parvuli, possunt baptisari invitis parentibus, dummodò sint in articulo mortis; quia pro tunc non est subversionis periculum. Quòd si infideles sint servi principum Christianorum, eorum filii possunt baptisari invitis parentibus; pro tunc enim tales servi infideles possunt vendi & privari bonis à domino: ergo ipsemet dominus potest illorum filios subtrahere & baptisare invitis parentibus; non verò debet filios baptisatos reddere parentibus non baptisatis, nè sit subversionis periculum. Non est eadem ratio de subditis qui non sunt servi.

Filius natus ex uno parente fideli & alio infideli, baptisari potest; immò, etiam si uterque sit infidelis, modò unus consentiat, licet dissentiat alter, potest baptisari; quia fides est favorabilis. Filius etiam natus ex utroque parente infideli; si postèa unus parens convertatur, & alter in infidelitate maneat, potest baptisari; nam proles sequitur innocentem.

Infantes existentes in utero materno non possunt solo signo crucis impresso super uterum maternum cum fide parentum & invocatione Trinitatis baptisari; Pius enim V. hanc opinionem, quæ erat Caïetani, condemnavit; si tamen posset infundi aqua super pueri membra, ille baptisaretur; ut quis enim renascatur per baptismum, sufficit quòd præcedat illa na-

tivitas, quâ quis de non homine fit homo.

Nullo modo licet matrem occidere, etiamsi sit ad hoc parata, ut baptisetur puer, qui alio modo non potest baptisari; licet ante partum morte naturali deberent mori & mater & infans: quia sicut homicidium prohibetur, & est intrinsecè malum, sic etiam interdicitur acceleratio mortis. Nec est dicendum, quòd ista mater cesserit jus suum; quia nullum habemus jus supra vitam, nec mortem; si tamen mulier illa propter crimen aliquod perpetratum damnata esset ad mortem, posset accelerari mors ipsius, ut infans baptisaretur; in tali enim suppositione hæc mulier per crimen proprium amisit dominium quod habere poterat supra vitam.

Quæstio Ultima.

Quænam sint ceremoniæ in Sacramento Baptismi adhibendæ?

De Baptismi ceremoniis consulendum est quodlibet Rituale, ubi docentur tùm illæ quæ præcedunt, tùm eæ quæ comitantur, tùm denique illæ quæ subsequuntur in administratione solemni hujus Sacramenti. Dixi, solemni, quando enim privatim confertur baptismus, tales ceremoniæ non sunt necessariæ, nec de præcepto: cùm ergo illi Ritus possint haberi ex rituali, illas prætermittere possemus; nè tamen aliquid non dictum remaneat, pauca dicemus de illis.

Conclusio.

Ceremoniæ quæ baptismum antecedunt, sunt hæ præsertim. Primò, præparatur aqua, & consecratur fons baptismalis destinatus ad collationem baptismi; quod fit in vigiliis Paschæ & Pentecostes. Secundò, afferuntur infantes ad Ecclesiam, qui hærent in introitu ejus, tanquam indigni accessu Ecclesiæ, quia sunt adhuc in potestate Dæmonis. Tertiò, Sacerdos triplicem facit insufflationem & varios exorcismos, ut expellatur Dæmon; posteà signum crucis in fronte & aliis partibus baptisandi efformatur, ut impetus Diaboli cessent, & in eundem finem fit impositio manûs à Sacerdote, & plures proferuntur orationes. Quartò, imponit in os baptisandi salem priùs à se benedictum, ad gratiam baptismi significandam, qua homo liberatur à peccati putredine, & speciali prudentiâ dotatur, cujus sal est symbolum. Quintò, minister tingit suâ salivâ aures baptisandi, ut aperiantur ad audiendos Christi sermones; & nares ejus, ut hauriant bonum odorem virtutis ac pietatis. Sextò, ad interrogationes Sacerdotis sequuntur abrenuntiationes baptisandi, quibus renuntiat Diabolo, sivè per se, sivè per patrinos. Septimò, in scapulis & in pectore ungitur, quasi athleta Christi, luctaturus contra Dæmonem, cui paulò anteà renuntiavit. Octavò, post illam unctionem baptisandus interrogatur super articulos fidei, & publicam professionem illius emittit. Nonò tandem, elicit liberum & publicum consensum quo significat se velle baptisari.

Quoad conditiones quæ baptiſmum comitantur, paucæ ſunt numero; infunditur enim tantùm aqua cum debitâ prolatione Verborum, vel mergitur baptiſandus, vel tandem aſpergitur copiosè, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ, vel temporis.

Quantùm verò ad ceremonias ſubſequentes baptiſmum, hæ ſunt. Primò, Baptiſatus ungitur ſacro Chriſmate in vertice capitis; quod quidem Chriſma debet eſſe recens, conſecratum ſcilicet eodem anno, in die cœnæ Domini, & hoc ab Epiſcopo; unde derogatum eſt conſuetudini Eccleſiæ, quæ in primis ſæculis volebat, ut unctiones Chriſmatis fierent à ſolis Epiſcopis; ſed poſteà conceſſum fuit, ut unctio baptiſmalis poſſet fieri à ſimplici ſacerdote, ut conſtat ex Conciliis Carthagin. & Tolet. hæc autem unctio denotat baptiſatum in vertice unctum, ab eo die eſſe conjunctum Chriſto tanquam capiti. Secundò, Baptiſatus induitur veſte candidâ, in ſignum innocentiæ reſtitutæ. Tertiò, traditur baptiſato cereus accenſus, ad denotandum ipſum eſſe tranſlatum à poteſtate tenebrarum in ſanctorum lucem & in fervorem charitatis, quam per baptiſmum accepit. Quartò, requiruntur ſponſores, ſeu patrini, vel patres luſtrici, qui baptiſandum levent de fonte & nomen imponant; in quibus patrinis plures conditiones requiruntur; debent enim eſſe baptiſati, ſic Concilium Moguntinum; non debent eſſe hæretici, ſic Concilium Tridentinum; non ſunt enim apti ad inſtruendum in fide, quod tamen patrinis incumbit; non debent eſſe Monachi,

Moniales, aut Religiosi, sic Concilium Colonienſe parte ult. cap. 16. Ratio in promptu datur, quia illorum est colere solitudinem; & sic non possunt curam aliorum suscipere: Non debent patrini esse pater aut mater carnalis, nisi in necessitate; ex tali enim officio conjux conjugis esset cognatus, nec maneret liber usus matrimonii inter illos, nisi post dispensationem saltem Episcopi; tandem sponsores debent scire rudimenta fidei, ut levatos possint docere. Illi sponsores requiruntur nedum pro parvulis, sed etiam pro adultis; hi enim sunt neophiti in fide, & quasi modò geniti infantes; unde Tertullianus notat etiam adultis dari olim lac & mel. Porrò, ex baptismo resurgit quædam cognatio, spiritualis videlicet, inter suscipientes & susceptum, & patrem & matrem baptisati. Quod si Pater baptisaret in necessitate filium, non contraheret cum uxore cognationem; secùs, si extra necessitatem. Olim erat cognatio inter virum & fœminam, qui simul suscipiebant infantem levandum, erat etiam inter ministrum & ipsos suscipientes; sed hoc ablatum est per Concilium Tridentinum, de reformatione Matrimonii.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Confirmatione.

QUANDOQUIDEM Confirmatio est veluti perfectio & consummatio baptismi, quoniam per baptismum acquiritur fides, & per Confirmationem dantur vires ad profitendam fidem; ideò, explicato Sacramento Baptismi, ad Confirmationem devenire oportet.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Confirmatio?

PLURIBUS nominibus insignitur Confirmatio; primò enim dicitur baptismus, Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*; quia scilicet est ipsius complementum, ut diximus. Secundò, dicitur manûs impositio, ratione scilicet ritûs quo confertur. Tertiò, dicitur Sacramentum Chrismatis, sine quo non sumus perfectè Christiani; Christianus enim & Christus dicuntur à Chrismate. Dicitur quarto Confirmatio, quia roborat & confirmat hominem ad fidem profitendam.

CONCLUSIO.

CONFIRMATIO, sicut baptismus & quodlibet aliud Sacramentum, potest definiri vel physicè, vel metaphysicè; physicè, est

unctio Chrismatis facta in fronte confirmandi cum signo crucis, sub præscriptâ verborum formâ; metaphysicè verò, est Sacramentum novæ legis, institutum à Christo, ad conferendum Christianis novum robur & augmentum gratiæ ad fidem suam profitendam constanter & contra adversarios audacter defendendam. Hæc omnia patent ex se, vel saltem patebunt ex dicendis.

Quæstio II.

An Confirmatio sit Sacramentum?

Hoc negant Lutherani & Calvinistæ, affirmant verò Catholici: illi quidem putant, Confirmationem esse tantùm ceremoniam institutam ab Ecclesiâ, in quâ examinantur baptisati de fide, & ratificant baptismum, absque eo quod talis ceremonia habeat rationem Sacramenti; nos verò Confirmationem tanquam Sacramentum accipimus.

Conclusio.

Confirmatio est verè & propriè Sacramentum. Sic Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 1. de Confirmatione; *Si quis dixerit, Confirmationem baptisatorum non esse verum & proprium Sacramentum, Anathema sit.* Licet autem hæc veritas non habeatur expressè in Scripturâ, colligitur tamen ex traditione antiquissimâ Ecclesiæ; Dionysius enim Apostolorum contemporaneus lib. 2. de cœlesti Hierarchiâ cap. 4. postquam loquutus est de Eucharistiâ,

ait, *Est illi finitimum Sacramentum, quod præceptores nostri Sacramentum unguenti nominant:* & sic erat ante illum. Augustinus etiam ait, *Sacramentum Chrismatis est Sacrosanctum in genere signorum visibilium, ut baptismus*; unde Tertullianus loquens de illo, dicit; *caro ungitur, ut anima consecretur.*

CONFIRMATUR ratione: Ad rationem Sacramenti tria tantùm requiruntur, scilicet promissio gratiæ, signum visibile, & præceptum quo jubeatur tale signum ministrari; hæc autem sunt in Confirmatione. Primò habet promissionem gratiæ, Act. 1. *Accipietis virtutem Spiritus sancti superventientis in vos, & eritis mihi testes usque ad ultimum terræ*: & sic promittitur Apostolis per Confirmationem amplior gratiâ, quâ essent fortes in confessione fidei. Secundò, Confirmatio habet signum sensibile, quod est impositio manuum, Act. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*: & paulò post, *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quod si in die Pentecostes Apostoli non receperint Spiritum sanctum per impositionem manuum; hoc factum est ex speciali privilegio, sic enim dabatur cæteris. Quod tertiò Confirmatio habuerit præceptum, patet ex executione mandati; si enim Apostoli suâ sponte, & sine Christi institutione & præcepto ádhibuissent talem impositionem manuum, non infallibiliter descendisset Spiritus sanctus; descendebat tamen, quotiescumque manus imponebant.

Objicies, Si manuum impositio erat signum

sensibile quo gratia Confirmationis conferebatur, non potuit illa manuum impositio mutari; materia enim Sacramenti mutari non potest substantialiter; videtur autem mutata illa impositio in unctionem; per unctionem enim Chrismatis tribuitur Confirmatio. Resp. nos uti eâdem materiâ, quâ usi fuerunt Apostoli, & Apostoli eâdem materiâ usos fuisse, quâ nos actu utimur; quando enim Apostoli Confirmationem conferebant, non faciebant impositionem manuum sine unctione & consignatione crucis, aliàs D. Augustinus non vocaret Confirmationem Sacramentum Chrismatis, nec D. Dionysius Sacramentum unguenti; quando etiam in præsenti tribuitur Confirmatio, non fit unctio sine impositione manuum. Quòd si Augustinus dicat, manuum impositionem non esse, ut baptismum, quasi non posset repeti, quia, inquit, nihil est aliud quàm oratio super hominem; ibi Augustinus non loquitur de Confirmatione, sed de quâdam impositione manuum, quâ suo tempore exteriùs reconciliabantur hæretici Ecclesiæ.

QUÆSTIO III.

Quando instituta fuerit Confirmatio?

EX antecedenti conclusione patet, Confirmationem esse Sacramentum; patet etiam ex dictis omnia Sacramenta esse instituta à Christo, conformiter Concilio Trid. Sess. 7. can. 10. ubi habetur, *Si quis dixerit omnia &*

Singula Sacramenta nova legis non fuisse à Domino nostro Iesu Christo instituta, Anathema sit: ergo colligitur ex his, Christum instituisse Confirmationem; sed quo tempore instituta fuerit, quæritur.

Conclusio.

Christus Sacramentum Confirmationis instituit in nocte cœnæ, secundùm probabiliorem sententiam; omnes enim Theologi dicunt, quod in tali nocte, in sermone habito ad discipulos, novum Testamentum instituerit; & sic verisimile est, quod materiam & formam & præceptum hujus Sacramenti pro tunc assignaverit. Fundatur autem hæc opinio in traditione Apostolicâ, ut habet Fabianus Papa Epist. 2. ad Orientales cap. 1. quæ scripta est ante mille quadringentos annos, in quâ sic habet, *In illa die Dominus Iesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit pedes eorum, Chrisma conficere docuit, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt.* Ob hanc causam quotannis Ecclesia novum Chrisma consecrat feriâ quintâ in cœnâ Domini.

Objicies, Hoc Sacramentum non fuit in usu, nisi post descensum Spiritus sancti in die Pentecostes, neque à Christo, neque ab Apostolis: ergo signum est non fuisse anteà institutum. Resp. negando consequentiam; & ratio cur non fuit in usu ante Pentecostem, est, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quam dari non expediebat, donec Jesus esset glorificatus, secundùm illud Joannis 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Quæstio IV.

Quænam sit materia remota Confirmationis?

Caietanus, Soto & Navarrus putant, solum oleum olivarum esse materiam remotam hujus Sacramenti, credentes quod si cum oleo admisceatur Balsamum, hoc est tantùm ex præcepto Ecclesiæ. D. Thomas & alii sentiunt Chrisma confectum ex Oleo & Balsamo esse materiam essentialem ipsius.

Conclusio.

Materia remota essentialis hujus Sacramenti est Chrisma confectum ex Oleo & Balsamo. Sic Concilium Florentinum decreto de Armenis sic loquens; *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & Balsamo quod odorem significat bonæ famæ.* Quòd autem Concilium loquatur de materiâ essentiali, patet; quia ibidem recensens in particulari materias Sacramentorum, in omnibus aliis nihil ponit, quod non sit materia essentialis cujuslibet: ergo à pari in isto, ubi dicit Chrisma confectum ex Balsamo esse materiam Confirmationis, loquitur de materiâ essentiali. Si dicant adversarii, admixtionem Olei esse in Confirmatione, sicut est admixtio aquæ in Eucharistiâ, quæ est tantùm de præcepto; hoc negatur, & colligitur ex Concilio Florentino; quando enim loquitur de materiâ calicis, non dicit esse quid mix-

tum ex vino & aquâ, sed esse vinum simpliciter: quandoquidem ergo, loquens de materia Confirmationis, dicit esse Chrisma confectum ex Oleo & Balsamo, non putat admixtionem Balsami esse tantùm ex præcepto; aliàs mentionem non feciſſet talis unctionis, sicut nec in Eucharistia commemorat mixtionem aquæ.

Objicies, Innocentius tertius, aliàs consultus, an unctus solo oleo deberet iterum confirmari, respondit, nihil iterandum esse; sed quod omissum est cautè supplendum: ergo Confirmatio erat valida sine mixtione Balsami. Resp. negando consequentiam; hoc enim confirmat nostram conclusionem; quia si mixtio Balsami sit tantùm necessaria ex præcepto, sicut aqua in calice, sequeretur non esse posteà supplendum necessariò Balsamum; si quis enim oblitus fuisset admiscere aquam vino, nullus diceret, quòd talis mixtio debeat suppleri post consecrationem: cùm ergo Innocentius determinaverit supplendum esse cautè Balsamum; per hoc voluit, quòd Balsamum esset necessarium ad validitatem Confirmationis: Difficultas ergo tota supereſt, quòd dixerit nihil esse iterandum; sed loquitur tantùm de iteratione ceremoniarum, quæ non debent iterari, sed tantùm unctio cum Oleo & Balsamo.

Objicies, Balsamum esse rariſſimum: ergo non congruit divinæ bonitati, quòd assignaverit pro materiâ Sacramenti aliquid quod vix reperiri poteſt. Resp. hanc rationem fore validam, si Confirmatio esset absolutè necessaria, tanquam medium ad salutem. Deinde, ex

ipsis adversariis constat, quòd admixtio Balsami sit necessaria ex præcepto, & consequenter sub pœnâ peccati mortalis: ergo pari jure posset dici, quòd non congruat divinæ bonitati aliquid præcepisse sub peccato mortali, quod sine difficultate non potest obtineri. Tandem dicendum est, quòd hæc ratio non obstet; quia modicum Balsami requiritur: unde Fabianus Papa reprehendit Episcopos Orientales, quòd defectu Balsami renovarent tantùm Chrisma singulis trienniis, quasi esset excusatio ficta; ad essentiam enim Chrismatis non requiritur, ut singulæ partes ejus contineant formaliter aliquid Balsami, sed sufficit quòd toti mixto saltem insit tantùm Balsami, ut omnes Chrismatis partes alterentur recipiendo in se ejus odorem.

Quæstio V.

Quanam sit materia proxima Confirmationis?

Materia remota, ut diximus, est Chrisma, quod debet esse consecratum ab Episcopo, sicut voluit traditio Ecclesiastica, & Concilium Romanum, sub Sylvestro primo, statuens nullum Presbyterum posse Chrisma conficere, non quidem inducendo novam prohibitionem; sed declarando quæ jure divino erant prohibita. Ratio quare Chrisma debet esse consecratum, est, quia materia externa Sacramentorum, quâ Christus usus fuit, consecrata est antequam ad usum Sacramenti

applicetur; ideò nec Aqua in Baptismo, nec Panis in Eucharistiâ consecranda sunt, quia talia consecravit Christus usu suo; in Ordine autem, materia, quæ sunt vasa sacra, consecratur, & Oleum in Sacramento Extremæunctionis: in Pœnitentiâ verò & Matrimonio materia non consecratur, quia non est quid extrinsecum, sed sunt ipsi Pœnitentes aut Contrahentes. An autem potestas consecrandi Chrisma possit delegari simplici Sacerdoti ex dispensatione, aliqui credunt, alii probabiliùs negant; Concilium enim Florentinum postquam docuit Ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, docet simplicem Sacerdotem ex concessione posse illud ministrare, sed cum Chrismate per Episcopum benedicto. Ex quo patet, Ecclesiam nunquam dispensasse, quòd posset simplex Sacerdos Chrisma consecrare. Ex his ergo habetur, Chrisma compositum ex Balsamo & Oleo, & benedictum ab Episcopo, esse materiam remotam essentialem hujus Sacramenti; unde supereſt tantùm quòd assignetur materia proxima ejus.

Conclusio.

Materia proxima hujus Sacramenti est unctio seu applicatio Chrismatis in fronte Baptisati: debet, inquam, illa unctio fieri in fronte, & in formâ crucis, & hoc ex necessitate Sacramenti, quod probatur ex communi usu & praxi Ecclesiæ; quæ verè confirmatum non censet illum, qui non fuerit taliter unctus Chrismate. Ratio quam allegat Concilium Florentinum, est, quia hoc Sacramentum datur ad fidem Christi, audacter & sine verecundiâ

profitendam; frons autem est veluti sedes verecundiæ: ergo illa pars debet consignari, & in eâ fieri unctio cum signo crucis, ut scilicet confirmatus sine metu fidem seu crucem Christi fateatur, quæ est Judæis scandalum, gentibus autem stultitia.

Objicies, Apostoli confirmabant primos Christianos per impositionem manuum, ut habetur pluribus in locis sacræ Scripturæ: ergo non ungebant; & proinde unctio Chrismatis non est materia proxima hujus Sacramenti. Resp. Apostolos dupliciter manus imposuisse; primò, quando dabatur Spiritus sanctus visibiliter cum dono linguarum, & hoc faciebant per solam manuum impositionem, quod non habebat rationem Sacramenti; non enim erat ceremonia permanens; & hanc potestatem dandi Spiritum sanctum visibiliter, voluit emere Simon Magus. Secundò Apostoli manus imponebant, quando volebant conferre Sacramentum Confirmationis; & pro tunc cum impositione manuum ungebant frontem recipientium, ut habetur ex traditione Apostolicâ & ab antiquis Patribus, qui vocabant hoc Sacramentum, Sacramentum unguenti, & Sacramentum Chrismatis.

QUÆSTIO VI.

Quanam sit forma Confirmationis?

EX antecedentibus liquet de necessitate Sacramenti hujus esse, quòd adsit Chrisma

confectum ex Oleo & Balsamo, quod quidem debeat necessariò eâdem necessitate Sacramenti esse consecratum ab Episcopo; ita quòd benedictio Episcopi non sit minus de essentiâ Sacramenti, quàm Balsamum cum Oleo: Quænam autem forma debeat conjungi cum illâ unctione quæ fit ex Chrismate, asseret

CONCLUSIO.

FORMA Sacramenti Confirmationis sunt hæc verba, *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: hoc patet ex Concilio Florentino in decreto unionis, ex Pontificali Romano, & ex praxi Ecclesiæ. Quòd autem hæc forma legitima sit, patet, quia ibi significatur causa principalis, scilicet Trinitas, cùm dicitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Secundò, indicatur causa ministerialis, nimirum ille qui confert, per hæc verba, *consigno, & confirmo.* Tertiò, denotatur persona quæ confirmatur, per pronomen, *te.* Quartò, tandem innotescit effectus duplex hujus Sacramenti, quorum unus est facere aliquem Christi militem, ipsum insigniendo crucis signo, unde dicitur, *consigno te signo crucis*: alius verò est dare robur ad sustinendos impetus adversariorum, confirmando scilicet; unde additur, *confirmo te Chrismate salutis.* Porrò, hæc verba sunt de essentiâ Sacramenti; unde qui diceret tantùm *signo te*, non addendo *signo crucis*, aut *confirmo te*, non specificando *Chrismate salutis*: aut qui diceret tantùm, *signo te signo crucis*, tacendo, *& confirmo te Chrismate salutis*, aut vice versâ, non fieret Sacramentum; non esset etiam validum,

si supprimerentur verba *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quæstio VII.

Quis sit Minister hujus Sacramenti?

Vuicleffus improperat Ecclesiæ Romanæ, quæ vult solum Episcopum esse ministrum ordinarium hujus Sacramenti, arguens Romanos, quòd sint in errore Donatistarum, qui dicebant valorem Sacramenti pendere à dignitate Ministri: sed maximè fallitur; Donatistæ enim ideò damnati sunt, quòd dicerent, valorem Sacramenti procedere à bonitate Ministri, & Sacramenta non validè conferri ab improbis; quod nos ipsi damnamus, licet asseramus Ministrum hujusce Sacramenti debere esse ad Episcopatus dignitatem evectum.

Conclusio Prima.

Solus Episcopus est ordinarius Minister hujus Sacramenti; sic Concilium Florentinum in decreto de Armenis, & Tridentinum Sessionis 7. can. 3. de Confirmatione, ubi dicitur; *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, Anathema sit.* Jus etiam Canonicum capite *manus*, de Consecratione, distinct. 5. hoc habet, *Manus quoque impositionis Sacramentum ab aliis perfici non potest, quam à summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur*

aut scribitur peractum esse. Ratio congruentiæ, est D. Bonaventuræ quia Episcopus in Ecclesia est veluti dux in exercitu : sicut ergo ducis est consignare suos milites ; sic etiam ad Episcopum pertinet consignare Christianos, qui per Confirmationem sunt veluti milites Christi.

Objicies Actuum 9. Ananias qui erat tantùm Sacerdos (ut ait Augustinus) imposuit manus super Paulum, ergo hoc non spectat tantùm ad Episcopos. Respondeo, Ananiam imposuisse manus super Paulum, non ut ipsum confirmaret, quia nondum Paulus erat baptisatus; sed ut illi visum restitueret, & sic pertinet tantùm ad Episcopum confirmare : hoc autem facere potest, modò sit consecratus, etiamsi sit excommunicatus, suspensus & hæreticus ; character enim Episcopalis semper remanet, & administratio Confirmationis est actus solius Ordinis Episcopalis.

Conclusio Secunda.

Quilibet Sacerdos potest ex commissione Summi Pontificis hoc Sacramentum conferre. Nec est quòd Soto imputet Scoto hoc negasse; iste enim in 4. dist. 7. q. 1. in solutione dubii tertii dicit, quod Minister est Episcopus vel alius cui committi poterit : hoc concessit Presbyteris Sardiniæ, quando desunt autem constat, quia Gregorius Magnus hoc Episcopi : Gregorius etiam 13. refertur dispensasse cum Sacerdote in Indiâ : Concil. denique Florent. in decreto Eugenii dicit, aliquando per dispensationem Apostolicæ Sedis id concessum fuisse ; propter hoc tamen non mutatur essentia hujus Sacramenti, quia essentia-

lis Minister illius, non est solus Episcopus, nisi ordinarius, sed hic & ille Sacerdos habens dispensationem summi Pontificis, qui solus dispensare potest in favorem Presbyteri solius, non alterius qui sit ipsi inferior.

Objicies, De commissione Episcopi confirmare possunt simplices Sacerdotes ex Conciliis Tolet. & Arausic. & ex Innocentio Papâ, dicentibus, quòd nemo audeat Chrismare præsente Episcopo, nisi ab eo illi fuerit præceptum. Respondeo hæc Concilia & ipsum Innocentium non loqui de Chrismatione Confirmationis; sed Concil. Arausic. loquitur de unctione, quâ ungebantur hæretici, dùm convertebantur ad Ecclesiam, quos in istis locis ungebant, ut supplerent ceremonias quas hæretici omiserant in baptismo. Concil. Tolet. loquitur de unctione quæ fit in baptismo in vertice baptisandorum, aliàs enim non licebat simplici Sacerdoti ungere baptisandum Chrismate, immò nec baptisare, nisi absente Episcopo, ut habet D. Leo Epist. 88. in fine ubi scribit, *Id neque coram Episcopo, licet Presbyteris, in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare.* Quoad Innocentium tandem, loquitur de unctione, quâ, ungi solebant Energumeni, ut ab illis depelleretur Dæmon.

Quæstio VIII.

Qui possint confirmari?

Non quæritur hîc, quinam debeant accipere hoc Sacramentum, nullus enim ad hoc tenetur, cum non sit necessarium necessitate medii; aliàs Ecclesia curaret, ut qui moriuntur, illud reciperent: non est etiam necessarium necessitate præcepti, nisi pro ordinandis; nullum enim extat præceptum nec divinum nec Ecclesiasticum quoad omnes, sed solùm pro illis qui saltem tonsuram clericalem recipere cupiunt; ut habetur ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. de Reformatione. Quòd si Scotus videatur dicere, hoc Sacramentum esse necessarium sub peccato mortali; hoc debet intelligi, quòd si omitteretur ex contemptu, revera esset peccatum mortale; immò sentiunt communiter Doctores, quòd in casu necessitatis recipienda sit Confirmatio, quando v. g. aliquis versatur intra hæreticos; indiget enim virtute quâdam speciali ad protestandam & defendendam fidem, & hoc robur per Confirmationem accipitur: remanet ergo tantùm, ut videamus quinam possint confirmari.

Conclusio.

Licet Confirmatio possit dari omnibus baptisatis, tùm infantibus, tùm adultis; convenientius tamen est, ipsam differre ad rationis ætatem: sic Catech. Rom. dicens, post Baptismum Sacramentum Confirmationis posse

miniſtrari; ſed minùs tamen expeditè hoc fieri, antequam pueri uſum rationis habuerint: undè alii aſſerunt expectandum eſſe duodecimum annum, meliùs tamen alii ſeptimum. Ex dictis poteſt colligi, amentes perpetuos poſſe confirmari: ſi enim infantes ante uſum ratiomis poſſint recipere hoc Sacramentum; ergo & amentes perpetui qui ſunt veluti infantes: quoad illos qui aliquando rationis uſum habuerunt, & in amentiam ſunt lapſi poſteà, ſi non conſtet illos in ultimo actu ſanitatis fuiſſe in peccato mortali, poſſunt confirmari, etiamſi anteà non expetierint hoc Sacramentum.

Quæstio IX.

Quoſnam effectus producat Confirmatio?

HOc jam cenſetur explicatum ex his quæ diximus agendo de Sacramentis in genere, ubi aſſeruimus quodlibet Sacramentum producere gratiam habitualem, ſivè in entitate, ſivè in augmento, & gratiam Sacramentalem, quæ actualis eſt: inſuper etiam aſſeruimus, Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem conferre caracterem in ſuſcipientibus: Quia tamen hîc explicare tenemur quæ pertinent ad Confirmationem, nobis explicandum incumbit qui ſint ipſius effectus.

Conclusio.

CONFIRMATIO confert caracterem, augmentum gratiæ habitualis, & gratiam acramentalem. Primum patet ex jam dictis de

Sacramentis in genere : dicam tantùm hunc caracterem consignare Christianum in militem Christi, & illum deputare partim ad agendum, scilicet profitendam fidem; partim ad patiendum, nimirùm ad receptionem tonsuræ clericalis & sacrorum Ordinum: hic autem caracter distinguitur realiter à caractere baptismi, quia sunt duo Sacramenta distincta, quæ debent habere consequenter effectus distinctos. Secundum patet ex se, quia omnia Sacramenta conferunt gratiam suo modo: Sacramenta scilicet mortuorum conferunt gratiam in se; Sacramenta autem vivorum conferunt gratiam in augmento ordinariè & per se, licet per accidens aliquando possint causare gratiam in se, v. g. quando quis habens solam attritionem, putat se esse debitè absolutum, licet non sit reverà, defectu intentionis Ministri, & posteà ut talis accedit ad Eucharistiam, vel ad Confirmationem, mediante uno horum Sacramentorum recipit gratiam habitualem in se consideratam, non verò augmentum gratiæ, quia illam anteà non habebat. Tertium tandem evidens est; quia cùm quodlibet Sacramentum habeat finem specialem, confert gratiam specialem suo fini accommodatam; & ea quæ confertur per Confirmationem, est protectio Spiritus sancti, quâ aliquis conservat fidem Catholicam, & illam intrepidus protestatur publicè.

Quæstio X.

Quid requiratur in confirmando?

Quoniam diximus duos esse præcipuos effectus Confirmationis, nimirum caracterem, & gratiam; nunc loquendum venit de dispositionibus quæ requiruntur, ut uterque effectus producatur in illo, qui Confirmationem suscipit.

Conclusio.

Ut caracter recipiatur, sufficit voluntas recipiendi Sacramentum; ut verò confirmandus recipiat augmentum gratiæ habitualis, exigitur ut præexistat in gratiâ. Ratio primi est, quia caracter est compatibilis cum peccato; & sic ad recipiendum caracterem Confirmationis, non requiritur gratia præexistens, sed sufficit voluntas recipiendi illum: sicut, ut baptisatus recipiat caracterem baptismi, sufficit quòd voluntatem habeat recipiendi baptismum: hoc etiam debet intelligi tantùm de adultis; quandoquidem enim diximus, Confirmationem posse conferri infantibus, qui propriâ intentione carent: in illis ergo non requiritur propria voluntas, sed aliena saltem sufficit, sivè sit Ecclesiæ, sivè sit parentum, aut aliorum qui puerum confirmandum exponunt. Quoad secundum, evidens est; quia Sacramenta vivorum gratiam præsupponunt, & illam augent: ergo requiritur, ut ille qui confirmandus est, jam in gratiâ existat, ut possit recipe-

re augmentum ejus; augmentum enim alicujus qualitatis præsupponit illam qualitatem jam existentem in suo esse. Quoniam ergo ad recipiendam Confirmationem requiritur gratia, ideò ille qui confirmandus est, si peccaverit post Baptismum, indiget contritione, aut saltem attritione cum confessione, aliàs poneret obicem; non requiritur autem confessio per se, quia nullum extat præceptum, nisi quando confirmandus est conscius peccati; unde qui sine confessione susciperet hoc Sacramentum, putans se esse contritum, cùm sit attritus tantùm, reciperet gratiam per Confirmationem; quia quodlibet Sacramentum habet vim faciendi ex attrito, contritum.

Quæstio Ultima.

Quinam sint ritus hujus Sacramenti?

Sacramentum hoc cùm possit tantùm conferri à Ministro solemni, elevato scilicet ad dignitatem Episcopalem, non potest etiam dari vel saltem non debet, nisi cum certis quibusdam ceremoniis, quarum aliæ præcedunt; aliæ concomitantur, aliæ denique subsequuntur illius administrationem.

Conclusio.

Ritus antecedentes collationem Confirmationis sunt hi. Conficitur Chrisma, ad cujus consecrationem Episcopus primò benedicit oleum & balsamum. Secundò idem Episcopus halat super os ampullæ continentis oleum, &

& post eum duodecim Sacerdotes, ad denotandam Spiritûs Sancti plenitudinem olim datam per insufflationem, Joann. 20. ubi Christus insufflauit, & dixit Apostolis, *Accipite Spiritum Sanctum*. Tertiò miscetur balsamum cum oleo. Quartò Episcopus Chrisma confectum salutat, sine mitrâ dicens ter, *Ave sanctum Chrisma*, submissâ voce in primis, deinde paulò altiori, Quintò hoc fit quotannis feriâ quintâ in cœnâ Domini.

Quoad ceremonias comitantes collationem Confirmationis; primò destinatur tempus, quod communiter erat in vigiliâ Pentecostes, quia eo tempore Apostoli roborati sunt, & nunc est quodlibet aliud; quolibet enim tempore confirmare solent Episcopi, nimirum temporibus suæ visitationis. Secundò debet fieri in loco honesto, licet extra Ecclesiam. Tertiò Episcopus debet esse in Pontificalibus. Quartò debet esse aliquis qui confirmandum offerat. Quintò ex decentiâ tam confirmans, quàm confirmatus debent esse jejuni ob reverentiam Sacramenti. Dixi, ex decentiâ, non ex præcepto; mos enim invaluit, ut post prandium confirment Episcopi.

Quoad sequentes ceremonias. Primò, frons confirmati ligatur vittâ, nè Chrisma aliis rebus adhæreat, vel ut significetur, gratiam Confirmationis esse conservandam. Secundò, Episcopus levi alapâ confirmatum percutit, ut confirmatus reminiscatur se hoc Sacramentum recepisse, nè scilicet iteretur Confirmatio quæ est Sacramentum irreiterabile; quandoquidem confert indelebilem caracterem: percutitur

etiam confirmatus, ut discat in posterum forti animo omnes injurias, immò & mortem pro Christi fide esse tolerandas. Sunt & aliæ ceremoniæ, de quibus consulendum est Rituale Episcoporum.

CAPUT TERTIUM.

De Sacramento Eucharistiæ.

DOCTORES, qui communiter tractationem Sacramentorum aggrediuntur, præponunt Eucharistiam Pœnitentiæ; & hoc jure, quia quandoquidem Eucharistia in moralibus, correspondet nutritioni in naturalibus, & ad nutritionem vel in nutritione morbus aliquando accidat: sic etiam Eucharistia, quæ est nutritio quædam spiritualis, à nobis præponenda est Pœnitentiæ, quæ est veluti remedium à Christo præparatum ad medendas animas, si fortè in peccatum lapsæ fuissent. Antequàm ergo de Sacramento Pœnitentiæ loquamur, nobis explicandum incumbit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Eucharistia, quotuplex, & quando instituta fuerit?

SICUT natura Dei uno & eodem nomine explicari non potest, sic & mysteria divina pluribus nominibus indigent, ut perfectè concipiantur: unde Eucharistia, quæ est mysteriorum nostræ religionis præstantissimum, pluribus insignitur. Dicitur primò Eucharistia, idest gratiarum actio, vel bona gratia; quia Christus, hoc Sacramentum instituendo gratias egit; vel quia nos illud recipiendo, gratias agere debemus; vel tandem quia continet Christum gratiarum omnium fontem. Dicitur secundò Synaxis, idest collectio, & latinè communio vocatur; non quòd sit necessarium Eucharistiam pluribus simul administrare, ut volunt hæretici; sed quia unit homines Christo, tanquam capiti, & inter se illos conjungit, ut membra cum membris. Tertiò dicitur Viaticum, quia est viatorum cibus & præsertim infirmorum, qui illo roborantur ex hâc vitâ ad Dei tribunal progredientes. Quartò dicitur Sacrificium & Hostia, quia non solùm habet rationem Sacramenti, sed & Sacrificii, ut dicetur suo loco.

CONCLUSIO PRIMA.

EUCHARISTIA est Sacramentum quod sub speciebus panis & vini continet corpus & sanguinem Christi ad conservationem vitæ

spiritualis. Dicitur primò *Sacramentum*, & hoc constat tùm apud Catholicos, tùm apud Hæreticos. Dicitur secundò *sub speciebus panis & vini*, ad explicandam materiam, quæ est panis & vinum; ponendo etiam, *sub speciebus*, innotescit vis consecrationis, per quam desinit esse panis, & succedit corpus Christi. Additur tertiò, quòd Eucharistia *conjunctivè contineat corpus & sanguinem Christi*, ut explicetur natura integra hujus Sacramenti quoad significationem; significat enim refectionem quæ integratur ex potu & cibo, licet quantùm ad substantiam Sacramentum integrum sit sub unâ tantùm specie. Subjungitur tandem, *ad conservationem vitæ spiritualis*; & in hoc denotatur effectus & finis hujusce Sacramenti.

Conclusio Secunda.

Sacramentum Eucharistiæ non est unum, si sumatur materialiter; sed est unum, si formaliter accipiatur. Ratio primi est, quia ibi sunt plura Sacramenta materialiter, ubi sunt plures res sensibiles, quarum una potest significare & conferre gratiam sine aliâ; sed in Eucharistiâ sunt plures materiæ, scilicet panis & vinum; sunt plures formæ etiam, scilicet *Hoc est corpus meum*, *hic est calix sanguinis mei*, & quodlibet horum potest conferre gratiam sine alio, ut patet ex laicis qui recipiunt tantùm unam speciem; ergo sunt plura Sacramenta materialiter. Ratio secundi est, quia Eucharistia significat refectionem spiritualem animæ; sed refectio perfectiùs denotatur in speciebus panis & vini simul, quàm in specie solius panis, vel solius vini, licet Christianus

æquè reficiatur ex sumptione unius speciei tantùm, quàm duarum, quoniam quælibet carnem & sanguinem Christi continet: ergo Eucharistia formaliter sumpta est tantùm unicum Sacramentum, quoniam significat unicam refectionem.

Conclusio Tertia.

Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum in nocte cœnæ, post comestionem scilicet Agni Paschalis. Hoc est conforme D. Paulo qui ad Corinth. scribens narrat quòd Christus *in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens benedixit ac fregit, dedítque discipulis dicens, accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Ratio convenientiæ hujus est, quia testamenta solent confirmari imminente morte: cùm ergo Christus per suam passionem nobis legare voluerit gloriam cœlestem, tanquam hæreditatem; voluit paulò ante mortem nobis dare suum corpus & sanguinem, tanquam pignus vitæ æternæ. Errant ergo qui dicunt Christum nobis suo testamento reliquisse corpus; sed dicendum est quòd nobis legaverit gloriam æternam, faciendo nos suos hæredes & cohæredes Christi, in cujus glóriæ pignus & assecurationem nobis reliquit corpus & sanguinem suum, tanquam viaticum aliquod, quo perduceremur ad illam hæreditatem capessendam. Quoad ordinem autem quem tenuit Christus in institutione hujus Sacramenti, hunc affert Maldonatus. Primò facta fuit cœna legalis consistens in comestione Agni Paschalis; secundò facta est cœna communis; tertiò lotio pedum; quartò institutio Eucharistiæ; quintò

discessio Judæ ; sextò concio Domini.

Quæstio II.

Ex quibus constet Sacramentum Eucharistiæ ?

Non loquimur hîc de Sacramento Eucharistiæ in fieri, quia constat ipsum, sicut alia Sacramenta fieri per materiam, quæ est panis & vinum ; per formam, quæ consistit in verbis, & per ministrum, qui est Sacerdos : sed loquimur de Eucharistiâ in facto esse, & ut est quid permanens ; & de ipsâ sic sumptâ quærimus quænam sint ea ex quibus constat.

Conclusio.

Sacramentum Eucharistiæ, tanquam totum aliquod morale, constituitur ex corpore & sanguine Christi & speciebus, seu, ut dicit Scotus, ex corpore & sanguine Christi, quatenus dicunt relationem ad species : non consistit enim hoc Sacramentum in materiâ & formâ, scilicet in pane & verbis, quia Eucharistia tamdiu est Sacramentum, quandiu corpus & sanguis Christi in eâ permanent, panis autem & verba non remanent, quando adsunt corpus & sanguis Christi : ergo Eucharistia in facto esse non constituitur ex illis: Non constat etiam hoc Sacramentum ex solo corpore & sanguine, quia ad Sacramentum requiritur signum visibile : Denique solæ species non faciunt etiam Sacramentum, quia ad ra-

tionem Sacramenti requiritur, quòd sit signum visibile rem invisiblem continens: ergo remanet, ut constituatur ex utroque, nimirum ex speciebus, quæ sunt signa visibilia, & ex corpore & sanguine Christi, quæ sunt res sacra.

Objicies, Eucharistia ex Tertulliano est figura corpus Christi; sed figura involvit absentiam rei figuratæ: ergo hoc Sacramentum non constat corpore Christi. Respondeo, Tertullianum velle corpus Christi in Eucharistiâ esse figuram corporis Christi extensi in arâ crucis, unde Eucharistiâ vocatur memoriale passionis Christi: Non ergo est figura corporis Christi simpliciter, nisi sit figura plena significato, non verò vacua; sicut Verbum dicitur figura substantiæ Patris; figura inquam plena, est enim eadem Patris substantia. Nec quis dicat, nihil esse simul Sacramentum, & rem Sacramenti, proindéque corpus Christi non esse Sacramentum, quoniam est res Sacramenti, quia producitur per verba Resp. enim Sacramentum Eucharistiæ habere hoc speciale, quòd sit simul tùm Sacramentum, tùm res Sacramenti: corpus inquam Christi est res Sacramenti, quia producitur per verba Sacramentalia, & est Sacramentum, quia cùm speciebus producit gratiam.

Quæstio III.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium?

Quia multoties locuti fuimus de necessitate tùm medii tùm præcepti, tædiosum esset, hîc rursus explicare, quid sit utraque necessitas; sed videndum tantùm est, quâ necessitate Eucharistia sit necessaria.

Conclusio Prima.

Eucharistia non est necessaria absolutè necessitate medii, est tamen medium ita utile, vt dicatur quasi moraliter necessarium.

Probatur primum, quia Eucharistia non est medium institutum ad justificationem; sive remissionem peccati mortalis; immò receptio Eucharistiæ præsupponit justificationem ut licitè fiat; & sic non est necessaria, nec in re, nec in voto, quia votum de aliquâ re faciendâ non est necessarium, nisi ipsa res sit necessaria: unde cùm susceptio Eucharistiæ non sit necessaria, consequenter votum ejus non erit necessarium. Quòd si dicatur aliquando necessaria necessitate medii; hoc est secundariò, ratione scilicet præcepti adjuncti, observatio enim mandatorum Dei & Ecclesiæ est medium necessarium ad salutem, conformiter responsioni Christi, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Probatur secundum, certum enim est ex

Concil. Trid. sess. 6. Canone 22. nos non posse diu in gratiâ perseverare, sine specialibus auxiliis Dei, ad quæ possidenda Sacramentum hoc est efficacissimum. Deinde, Eucharistia est præcipuus animæ cibus, & non potest diu vita persistere nisi mediante cibo: ergo est medium ita utile, ut sit quasi moraliter necessarium.

Objicies, Pœnitentia, Baptismus & Eucharistia sunt ejusdem necessitatis, ut patet ex Script. quæ iisdem verbis hæc Sacramenta præcipit: de Baptismo enim dicit, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* de Pœnitentia ait, *Nisi pœnitentiam egeritis, &c.* & de Eucharistiâ, *Nisi manducaveritis, &c.* ergo sicut Baptismus & Pœnitentia sunt necessaria necessitate medii, sic & Eucharistia. Resp. negando consequentiam; quia necessitas Sacramentorum non pendet tantùm ex modo loquendi Scripturæ, sed ex ipsorum naturâ & institutione; unde cùm Baptismus & Pœnitentia sint instituta ad infusionem gratiæ quæ absolutè necessaria est, ideò sunt necessaria necessitate medii; quia verò Eucharistia destinatur tantùm ad augmentum gratiæ, non est necessaria medii necessitate.

Instabis, Eucharistia est instituta ut cibus animæ; sed necessarius est absolutè cibus pro vitâ corporali: ergo & Eucharistia pro vitâ spirituali. Respondeo, cibum animæ non esse ita necessarium, ac cibum corporis; quia cibus animæ potest suppleri per actus amoris, & per bona opera. Quod si aliqui Patres legantur communicasse infantes: ex hoc non potest in-

ferri Eucharistiæ necessitas absoluta, sed hoc tantùm fiebat, quia erat usus hujusce temporis, & hoc ratione præcepti.

Conclusio Secunda.

Hoc Sacramentum est necessarium necessitate præcepti, tùm divini, tùm Ecclesiastici.

Quoad præceptum divinum habetur Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Quoad tempus autem quo obligat hoc præceptum; hoc est quando Eucharistia judicatur necessaria ad conservandam vitam spiritualem gratiæ contra tentationes: hæc enim est differentia inter præcepta affirmativa & negativa, quòd prima obligent tantùm, quando urget necessitas finis propter quam sunt instituta; secunda verò obligent semper & pro semper: præceptum ergo Eucharistiæ obligat primò in articulo mortis, tunc enim tentationes solent esse graviores; secundò in reliquâ vitâ, quoties opus est remedio ad perseverandum in gratiâ, ut in gravioribus tentationibus: tertiò, quando quis prudenter putat se non amplius habere occasionem communicandi in totâ vitâ; tunc enim debet se præmunire contra tentationes futuras.

Quoad præceptum Ecclesiasticum, semper extitit in Ecclesiâ. Initio nascentis Ecclesiæ omnes qui intererant sacrificio missæ, tenebantur communicare: cùm ille fervor charitatis minueretur, Fabianus Papa jussit ter communicare quolibet anno, in Nativitate Domini scilicet, in Paschate & Pentecoste; ubi Soter Papa adjecit feriam quintam in Cœnâ Domi-

ni : nunc ſtatutum eſt, ut omnes ſaltem in Paſchate communicent. Quòd ſi propter rationabilem cauſam non poſſint ſumere Euchariſtiam in Paſchate, controvertuntur authores, an teneantur communicare in primâ occaſione ; negant enim Soto, Antoninus & Sylveſter, putantes hoc manere liberum ; quia, inquiunt, communio Paſchalis eſt præceptum affirmativum, quod obligat tantùm pro tempore præſcripto ; meliùs tamen alij affirmant.

Quæstio IV.

Quanam ſit Materia Euchariſtiæ?

Cum locuti fuerimus de Materiâ proxima internâ & permanenti Euchariſtiæ, quæ conſiſtit in ſpeciebus ſub quibus continentur corpus & ſanguis Chriſti ; nunc agendum eſt de materiâ remotâ externâ & tranſeunte, quæ deſinit eſſe per verba conſecratoria, & ex quâ fit hoc Sacramentum.

Conclusio Prima.

Materia Euchariſtiæ ſunt panis & vinum. Matth. enim 26. Marci 14. Lucæ 22. & ad Corinth. 2. legimus Chriſtum accepiſſe panem in confectione hujus Sacramenti, & calicem in quo erat vinum ; ut patet ex verbis ſequentibus, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* ; & juſſit facere quod fecit, dicens, *hoc facite :* ergo tenere debemus Materiam hujus Sacramenti eſſe panem & vinum ;

& hoc est conforme tùm Conciliis, tùm Patribus, quos superfluum esset recensere. Nulla dari potest ratio convincens de hâc veritate, quia Christus in quâcunque aliâ materia potuit instituere Eucharistiam, saltem manducabili & potabili; sed potest assignari ratio congruentiæ, quia scilicet sicut panis & vinum sunt congrua corporis alimenta, sic Eucharistia sub speciebus panis & vini congruum est alimentum animæ. Quòd si canones permittant afferri uvas, oleum & incensum; hoc est tanquam oblationes & ceremonias ad honorem Dei & Sanctorum, & etiam in Sacerdotum alimenta.

Conclusio Secunda.

Panis, qui est materia hujus Sacramenti, debet esse triticeus. Sic Concilium Flor. & Catechismus Concil. Trid. ubi habetur, traditionem Ecclesiæ esse, ut in pane triticeo consecratio fiat; unde non sufficit ut fiat in hordeo, avenâ, milio, frumento nigro; sed requiritur, quòd secundùm judicium peritorum habeat veram rationem tritici, sivè ita vocetur, sivè non: & quando dubium erit an sit verè triticum, necnè, materia erit dubia, & in eâ non debet confici Sacramentum; maximè cùm Eucharistia non sit absolutè necessaria. Quoad selicam seu secalam, aliqui putant esse materiam propriam Eucharistiæ, dicentes non differre specie à tritico, sed esse triticum inferius: meliùs tamen dicendum est, esse materiam dubiam, in quâ non licet fieri consecrationem sine peccato mortali. Porrò, panis ille triticeus debet macerari ex aquâ purâ & elementari, & concoqui ad ignem, massa enim cruda farinæ aquâ subactæ non est

cibus usualis. Tandem panis ille igne coctus non debet iterum oleo vel byturo esse frixus, quia non esset panis usualis, sed potiùs placenta aut aliquid simile.

Conclusio Tertia.

Panis ille triticeus potest esse vel azymus vel fermentatus: quod habeat enim fermentum, hoc est accidentale pani, & sine fermento, vel cum fermento, non est minùs panis: ergo erit semper materia propria Eucharistiæ. Hoc confirmat Concil. Florent. in decreto unionis, ubi Eugenius 4. præcepit tam Græcis, quàm Latinis, ut in hâc parte usum suæ Ecclesiæ retineant, quod habetur in praxi. Græci enim fermentato pane utuntur, & Latini azymo. Licet autem in utroque consecratio fieri possit, panis tamen azymus magis accedit ad consecrationem quam fecit Christus, qui usus fuit pane azymo; erat enim primus dies azymorum, scilicet 14. Lunæ Martii, & tunc non licebat uti pane fermentato secundùm dictum Exodi 12. *Et edent carnes nocte illâ, & azymos panes*: Hoc non impedit tamen, quin Ecclesiæ cuilibet liceat uti consuetudine suâ; immò Græci non debent uti pane azymo, nec Latini fermentato.

Conclusio Quarta.

Vinum cujuscumque speciei est materia apta hujus Sacramenti, dummodò sit vinum usuale & potabile: non potest ergo fieri consecratio in uvis non expressis, quia non sunt vinum, nec dicuntur bibi: non potest etiam fieri in liquore deprompto ex uvis agrestibus & aliis non maturis, quia ex illis non fit vinum potabi-

le, sed Omphacium: non potest etiam fieri consecratio in liquore expresso ex uvis siccis, si possit aliquis exprimi; quia pro tunc sunt corruptæ, & talis liquor non esset vinum: non potest etiam fieri consequenter in aceto, non est enim amplius vinum, sed vinum corruptum; potest tamen fieri in musto, idest, in vino recenter ex uvâ expresso, licet non debeat fieri, nisi sit depuratum & coctum: potest etiam fieri in vino congelato, quia species congelatæ possunt retinere sanguinem qui ante congelationem consecratur: ergo & ipsum sanguinem recipere possunt, & proinde in eo fieri consecratio; quia est actu vinum & de facili potabile; non sic in Baptismo, quia ad Baptismum actualis ablutio requiritur.

Conclusio Quinta.

Parum aquæ debet admisceri vino, non quidem de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ. Sic Concil. Trid. in Catechismo cap. de Eucharistiâ. Ecclesia autem hoc præcipiens secuta est exemplum Christi, qui consecravit in vino aquâ diluto, ut habet Concil. Carthag. can. 24. ut etiam ait Clemens Rom. lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 12. Si tamen hoc fecit Christus, non jussit ut fieret à nobis, ut patet ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. dicente præceptum fuisse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino miscerent; & sic talis mixtio non est de necessitate Sacramenti, nec præcepti Divini, sed Ecclesiastici; quod ortum habuit ab Apostolis, ut scilicet repræsentetur sanguis & aqua è latere Christi fluentes, & unio Ecclesiæ cum Christo; per aquas enim populi significantur.

Quæstio V.

Vtùm Materia consecranda debeat esse præsens, sensibilis & determinata?

EX dictis in præcedenti quæstione constat, panem triticeum esse materiam Eucharistiæ, nec refert an sit fermentatus aut azymus quoad valorem Sacramenti, licet esset peccatum non servare morem suæ Ecclesiæ; quamquam verum sit dicere, quòd Græcus apud Latinos existés possit in azymo celebrare, secundùm hoc dictum *cùm fueris Romæ, Romano vivito more*. Constat etiam vinum esse materiam, etiamsi fuerit miraculosè productũ: ut vinum nuptiarum Canæ in Galileâ; non tamen vinum satis coctum erit materia propria, quia mutavit speciem vini. Quoad quantitatem panis & vini consecrandi, neminem latet, quamlibet magnam quantitatem panis & vini posse consecrari; quia non est repugnantia ex parte Materiæ, cùm sit apta ad consecrari, sicut & quælibet minima pars: non est etiam repugnantia ex parte Formæ, quia verba consecrationis possunt proferri super quamlibet quantitatem: nec denique repugnat ex parte Ministri, cùm possit habere intentionem consecrandi quamlibet quantitatem. Hoc tamen licitè fieri non potest; qui enim in tantâ quantitate consecraret, quæ non posset in tempore oportuno sumi, graviter peccaret; faceret enim injuriam tanto Sacramento, cùm species possent corrumpi & Sacramentum desi-

nere sine usu, qui est secundarius finis Eucharistiæ; ubi productio corporis Christi est finis primarius. An autem fieri possit talis consecratio in minimâ parte panis aut vini, resolvet

Conclusio Prima.

Quæcumque pars quantumvis parva panis, potest esse Materia consecrationis, modò sit sensibilis. Ratio primi est, quia quælibet parva quantitas est panis, & panis est materia apta. Ratio secundi est, quia si tam exigua esset, ut non posset videri aut tangi, non posset designari à Sacerdote, & sic non posset dicere, *Hoc est corpus meum.* Deinde, ex definitione Sacramenti, Sacramentum debet esse signum sensibile: ergo & materia ejus sensibilis; si tamen minima pars manet unita toto, etiamsi esset ita exigua, ut non posset tangi & videri, sub eâ posset recipi & conservari corpus Christi, quia illa esset semper sensibilis, si non respectu sui, saltem respectu totius. Sic etiam dicendum est de minimâ guttulâ vini: Non verò idem est sentiendum de minimâ guttâ aquæ respectu Baptismi, quia Baptismus consistit in ablutione, quæ non potest fieri ex unâ guttâ, nisi motu violento, ut diximus. Porrò, quando dixi, materiam debere videri aut tangi, sufficit ad hoc, quòd ex suâ naturâ sit sensibilis, ut patet quando Sacerdos plures hostias consecrat, quarum aliæ sub aliis delitescunt; ut patet etiam quando calix est coopertus palâ aut patenâ, & quando cæcus consecrat, ut aliquis fecit in Concilio Tridentino ex dispensatione summi Pontificis; in his enim occasionibus

materia semper est moraliter sensibilis, & moralia moraliter sunt accipienda.

CONCLUSIO SECUNDA.

MATERIA consecranda debet esse moraliter præsens, ita quòd designari ac demonstrari possit per particulam, *Hoc*: quanta autem debeat esse illa moralis propinquitas, attendendum est judicium prudentum; hoc tamen est certum apud omnes, quòd debeat esse in conspectu Ministri; Unde Sacerdos non potest consecrare quæ sunt à tergo, nisi habeat illa præ manibus, & illud æquivalet conspectui; potestque illa materia designari per pronomen, *Hoc*: Certum est etiam, vinum in dolio præsenti inclusum posse consecrari, dicitur enim de illo ut continetur in dolio vel amphorâ *hoc vinum est bonum*; sicut & de pecuniâ inclusâ in crumenâ, *hæc pecunia est mea*: Certum est tertiò, non requiri tactum; sufficit enim præsentia materiæ ad horum verborum veritatem, *Hoc est corpus meum*: Certum est quartò, non posse consecrari hostiam post parietem existentem, nec in tabernaculo, quia non videtur humano modo præsens: Certum est quintò, hostias contentas in cibario appositò super altari posse consecrari: Certum est denique; non fieri consecrationem si materia nondùm est præsens, quando verba inchoantur; quia non demonstratur per pronomen, *Hoc*.

CONCLUSIO TERTIA.

MATERIA debet esse determinata, quia intentio requiritur in ministro; & non est intentio sine cognitione, nec cognitio sine determinatione; nisi ergo determinetur mate-

ria in particulari, non fiet consecratio. Unde certum est primò, quòd ille qui ex decem hostiis vellet tantùm quatuor consecrare, non determinando quas vellet, nullam consecraret. Certum est secundò, quòd qui vellet unam partem vini aut panis consecrare, non determinando qualem partem, non consecraret, benè autem si determinaret illam aut illam partem; licet difficile esset partem consecratam à non consecratâ discernere, graviter tamen peccaret. Certum est tertiò quòd qui tres hostias teneret, putans esse tantùm unam, quia simul junctæ sunt, omnes consecraret; præsumitur enim ex virtuali intentione quam habet, consecrandi quod tenet; deinde habent rationem unius: si haberet tamen intentionem explicitam consecrandi tantùm hostiam quam videt, aliæ duæ non essent consecratæ. Certum est tandem, quòd si Sacerdos multas ad altare tulerit hostias cum animo illas consecrandi, & dùm consecrat intendit consecrare eam quam habet præ manibus, non cogitando de alijs, omnes consecrat propter virtualem intentionem actu contrario non revocatam.

Quæstio VI.

Vtrùm necessariò debeant simul consecrari panis & vinum?

Hæc quæstio non intelligitur de necessitate Sacramenti; si quis enim tantùm panem consecraret aut vinum, esset verum &

perfectum Sacramentum, quia contineret corpus Christi & ipsius sanguinem; esset inquam perfectum in primariâ significatione, quia Christum præsentem significaret; non in secundariâ, quoniam significat secundariò refectionem quæ in corporalibus fieri solet ex potu & cibo: loquimur ergo de necessitate præcepti.

Conclusio.

De præcepto, tùm diuino tùm etiam Ecclesiastico, debent consecrari simul panis & vinum. Primum conceditur ab omnibus, excepto Navarro & certis quibusdam, & ratio nostra est, quia de jure divino debet fieri sacrificium quotiescumque fit consecratio, ut patet ex his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi Christus ostendit sacerdotem debere consecrare offerendo & consecrando, secundùm Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. sed sacrificium non esset perfectum sine consecratione; ad sacrificium enim requiritur mactatio hostiæ, unde sicut Christus mactatus fuit in morte, & ipsius sanguis à corpore separatus; ita in Sacrificio Missæ fieri debet eadem separatio; unde vi verborum solum corpus est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini, licet per concomitantiam corpus & sanguis sint sub utrâque specie: ergo non potest fieri consecratio ex solo pane. Secundum verò habetur ex jure Canonico cap. *Comperimus* de Consecratione dist. 2. ubi habetur quòd conficiens sub unâ tantùm specie committat sacrilegium grave; non est autem peccatum nisi per violationem præcepti: ergo

consecratio in pane & vino est necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici.

Objicies: Si Sacerdos non posset consecrare unam tantùm speciem, non posset etiam communicare in unicâ specie, sed potest hoc sicut & Laïcus: ergo & illud. Respondeo concedendo sequelam majoris, quia sacrificium non perficitur solâ oblatione, sed & consumptione; unde ut perfectum sit sacrificium, debet sumere utramque speciem: ad minorem verò dico, quòd Sacerdos non celebrans possit communicare sub una specie sicut Laïcus, & pro tunc Eucharistia est tantùm Sacramentum, non verò sacrificium. Unde ex dictis patet, quòd Sacerdos habens tantùm panem & non vinum, non debeat consecrare panem ad communicandum infirmum; tale enim præceptum tantùm obligat, quando est commoditas sine aliquo peccato. Si quis dicat, Christum consecrasse sub solâ specie panis in Castello Emmaüs; Respondendum est, quòd hoc potuit facere ex potestate excellentiæ, quæ non competit alteri à Christo. An autem summus Pontifex possit in hoc casu dispensare; alii hoc probabile tenent, sed melius alii negant.

QUÆSTIO VII.

An aqua admixta vino convertatur immediatè in sanguinem?

DIXIMUS, quòd ex præcepto debeat admisceri aqua cum sanguine, saltem necessitate præcepti, an autem illa aqua conuertatur in sanguinem immediatè, vel primò in vinum & posteà in sanguinem: aliqui primum tenuerunt, dicentes, quòd si aqua admixta sit vino in tantâ quantitate, ut non sit conversa in vinum ante verba consecrationis, transubstantietur immediatè in sanguinem per ipsa verba: alii contrarium probabilius tenent.

CONCLUSIO.

AQUA non convertitur immediatè in sanguinem, quia materia hujus Sacramenti non est aqua, sed vinum, ut diximus; & sic aqua non est consecrabilis: unde debet infundi in calicem in quantitate ita modicâ, ut facilè ante consecrationem in vinum mutari possit; quod si non mutetur, ut potest accidere propter vini tenuitatem & nimiam aquam, pro tunc remanet aqua pura in calice. Ubi notandum est, quòd licet aqua non convertatur in vinum ante consecrationem; possit tamen converti in illud post illam, quia species consecratæ vini in quibus admixta est aqua, possunt tam diu remanere sine consumptione, quòd ipsa aqua per virtutem specierum vini

desinat esse aqua & fiat vinum, quoniam in illis speciebus consecratis remanet virtus ad generandum vinum, ac si substantia vini adesset, Deo scilicet supplente aliquid ex parte specierum, sicut supplet reverà, quando ex speciebus corruptis vini acetum generatur, & ex speciebus panis generantur vermes: & sic non est dicendum, quòd post consecrationem aqua, quæ non potuit anteà converti in vinum, posteà convertatur in sanguinem Christi; quia verba consecratoria jam prolata sunt, & nil manet quod possit illam aquam transsubstantiare in sanguinem.

Objicies, Si aqua quæ ante consecrationem non mutatur in vinum remaneret aqua, totum illud quod est in calice non posset adorari. Respondeo, quòd adoratur tantùm illud quod est consecratum; unde nec musca adoraretur si incidisset in calicem. Si dicas, ergo si remaneret aqua, Sacerdos hauriens sanguinem cum illâ aquâ non esset jejunus, & ideò non posset celebrare alias Missas in Nativitate Domini; Respondebitur, præsumi semper jejunum, quia aqua præsumitur conversa in vinum ante consecrationem.

Quæstio VIII.

Quanam sit forma Eucharistiæ?

Lutherani & Calvinistæ putarunt recitandam esse historiam Eucharistiæ institutionis, quæ sic incipit, *Ego enim accepi à Domino*

quod & tradidi vobis, &c. Differunt tamen Calviniſtæ in eo quòd proferunt ea verba per modum concionis & inſtructionis, ut audientes habeant in memoria id quod fecit Chriſtus; Lutherani verò proferunt per modum conſecrationis, quia efficiunt id quod ſignificant.

Conclusio Prima.

Forma conſecrationis panis ſunt hæc verba: *Hoc eſt corpus meum.* Quoad particulam, *enim*, eſt tantùm ex inſtitutione Petri, volentis conjungere hæc verba cum præcedentibus. Ratio eſt, quia talibus verbis uſus eſt Chriſtus, & per illa conſecravit. Deinde, illa verba ſunt forma Euchariſtiæ, quæ faciunt corpus Chriſti præſens in illâ: verba autem allata hoc faciunt; ſignificant enim corpus Chriſti ibi eſſe præſens, & verba conſecratoria faciunt id quod ſignificant. Quoad iſta verba antecedentia, *Qui pridiè quàm pateretur*, non ſunt verba Chriſti, ſed Apoſtolorum, quæ enuntiant, quomodo & quando conſecraverit Chriſtus. Quoad iſta, *Accipite & manducate*, non ſunt de eſſentiâ formæ, quia omittuntur à Lucâ; qui tamen ea omitteret, peccaret graviter.

Objicies, Si hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, efficiunt corpus Chriſti præſens; vel hoc efficiunt ut ſunt vera, vel ut ſunt falſa; non ut ſunt falſa; aliàs corpus Chriſti non eſſet præſens; non etiam ut ſunt vera, quia ſequeretur corpus Chriſti eſſe præſens antequam proferrentur verba; propoſitio enim vera, eſt ea quæ enuntiat objectum eſſe tale quale enuntiatur. Reſpondeo, hanc propoſitionem operari ſuum

effectum in quantùm est vera, non quidem veritate antecedente verborum prolationem, sed veritate concomitante & immediatè sequente talem prolationem: est enim hæc differentia inter propositionem speculativam & practicam, quòd prima supponat objectum esse tale antequam enuntietur, secundà verò faciat objectum tale: illa autem propositio, *Hoc est corpus meum*, est effectiva, non speculativa tantùm. Ex dictis patet, verba præallata requiri necessariò, & non debere in illis fieri mutationem substantialem; unde nil fit dicendo, *Hoc est corpus Christi*, quia illa verba non proferuntur in personâ Christi, quod requiritur. Nihil fit etiam dicendo, *Accipite hoc corpus meum*, quia hæc verba non denotant productionem corporis Christi, supponitur enim anteà productum esse. Nil fit etiam dicendo, *Hoc sit corpus meum*; non denotatur enim productio. Nec valet dicendo, *Hic panis est corpus meum*, vel *hoc fit corpus meum*, vel *conficio corpus meum*; mutatur enim sensus formæ, quæ debet exprimi in facto esse, ut fecit Christus. Isti autem modi loquendi essent validi, *Hic cibus est corpus meum*, *istud est corpus meum*, *hic est corpus meum*; *hic est corpus meus*, *hic est corpus meus*: modo, *Hic* non sumatur adverbialiter, sed loco pronominis; modò etiam istæ pronuntiationes incongruæ fiant solùm ex imperitiâ, & non ex pravâ intentione ministri.

CONCLUSIO SECUNDA.

HÆC sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*, sunt forma respectu vini; sic Scotus contra D. Thomam & aliquos,

aliquos, qui dicunt verba sequentia usque ad ista, *Hæc quotiescumque feceritis*, esse de essentiâ Sacramenti. Ratio nostra est, quia per verba sola prælallata redditur sanguis præsens; verba enim consecrationis faciunt id quod significant, sed hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, significant sanguinem Christi esse præsentem: ergo in illis consistit præcisè forma; quia tamen supra hoc est dissentio inter Theologos; ideò quando quis consecrat non debet habere intentionem cum solis primis verbis, vel cum omnibus necessariò, ne se exponat periculo: sed debet intendere consecrationem facere cum illis verbis quæ instituit Christus, sivè sint sola prima, sivè sint etiam sequentia. Nec dicat D. Thomas, hæc verba sequentia *Novi & æterni testamenti*, esse determinationes prædicati, ac proinde essentiales: licet enim per illas determinationes specificetur quòd sanguis qui est in calice sit idem ac ille qui effusus est; hoc tamen non est essentiale ad Eucharistiam, & sic cum solis primis potest fieri consecratio. Quòd si, dum proferuntur hæc omnia verba, teneatur calix præ manibus, hoc non importat, quòd sint de essentiâ Sacramenti; aliàs particula, *enim*, esset etiam de essentiâ; sed hoc fit ad majorem explicationem formæ præcedentis. Adde quòd in Ecclesiâ Græcâ fuerunt viri pietate insignes qui talia verba sequentia omiserunt.

Ex dictis constat, quòd si quis diceret, *Hic Calix est novum testamentum in meo sanguine*, ut Lucas & Paulus dixerunt, fieret consecratio; non enim mutatur sensus substantialis, sed

idem est, ac si diceretur, *Hic est calix Christi, quo novum testamentum sancitum est*; qui tamen sic ageret, graviter peccaret contra usum Ecclesiæ & determinationes Conciliorum. Porrò, quando dicitur, *Hic est calix meus*, hoc est per metonymiam, ubi sumitur continens pro contento, ita ut sit sensus: *sanguis meus est in calice.*

CONCLUSIO TERTIA.

VERBA quæ profert Sacerdos proferuntur in personâ Christi, non tantùm recitativè, sed effectivè, & per pronomina *Hoc* & *Hic*, non significantur, nec panis, nec vinum, nec corpus, nec sanguis, nec species, sed significatur confusè contentum sub speciebus. Ratio primi est, quia si Sacerdos verba proferret in nomine suo, corpus Christi non esset, sed corpus Sacerdotis dicentis, *Hoc est corpus meum.* Ratio secundi est, quia si verba proferrentur tantùm recitativè, non efficerent corpus Christi esse sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini: ergo proferuntur, nedum significativè, sed insuper effectivè: significativè quidem, ut insinuetur quid fecit Christus; effectivè verò, faciendo scilicet quod Christus ipse fecit & transubstantiando panem & vinum in corpus & sanguinem Christi. Ut autem hæc verba verè significent, sufficit quòd in fine prolationis verborum corpus & sanguis adsint. Quoad alias partes conclusionis; per *hoc*, non intelligitur panis, quia panis non est corpus Christi; non intelligitur etiam corpus Christi, quia hoc faceret hunc sensum, *Hoc corpus meum est corpus meum*; non etiam intelliguntur species, quia non est verum dicere, quòd species sint cor-

pus Christi; remanet ergo quòd per pronomen, *Hoc*, designetur quod est confusè contentum sub speciebus; ita ut sit sensus, *quod continetur sub speciebus est corpus meum*, seu *hoc corpus est corpus meum*, sicut quando dicitur, *hic homo est Petrus*; & tunc non est propositio identica, quia procedit de magis confuso ad minus confusum. Notandum tamen est, quòd si particula, *Hoc*, supponat pro contento sub speciebus, vel pro corpore indeterminato, illud intelligendum est non pro eo tempore quo ipsa particula profertur, sed pro eo tempore quo omnia verba proferuntur; unde quando pronomen, *Hoc*, profertur, est particula vaga, quæ habet significationem suspensam, donec determinetur à prædicato, nempè *corpus meum*, & pro tunc vera esse incipit hæc propositio, *hoc corpus est corpus meum*; hæc est enim natura propositionum effectivarum.

QUÆSTIO IX.

An Corpus Christi sit in Eucharistiâ?

CAPHARNAITÆ concipere non valentes hanc veritatem, dixerunt de Christo promittente se daturum suam carnem manducandam & suum sanguinem potandum, *quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad mandandum*; multi hæretici post illos insurrexerunt in Ecclesiam, præsertim Berengarius Archidiaconus Andegavensis, & nostro penè sæculo Calvinus & Lutherus, cum hoc discrimine;

quòd Calvinus credat, Christum esse in Eucharistiâ figuratum, & Lutherus impanatum; id est, primus asseruit nos habere tantùm figuram corporis Christi in Sacramento, non verò realitatem; secundus autem, qui tenet corpus Christi esse realiter in Eucharistiâ, credit substantiam panis remanere cum substantiâ corporis Christi: uterque Hæresiarcha refutatur in præsenti quæstione & in sequenti.

CONCLUSIO.

CORPUS Christi verè & realiter est in Eucharistiâ. Ioann. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est*; ibidem, *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: non potest autem manducari, nisi sit præsens in Sacramento. Rursùs ibidem, *caro mea verè est cibus*: idem habent verba institutionis Eucharistiæ 1. ad Corinth. 11. *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*. Nec hoc explicent adversarii de figurâ corporis Christi; Primò, quia Calvinus dicit scripturam esse ita intelligibilem, ut explicari non debeat; cùm ergo Christus dicat, *Hoc est corpus meum*, quomodo hoc explicat Calvinus de figura? Secundò, quia Christus hoc dixit cùm esset moriturus: ergo debebat perspicuè loqui, & non uti figuris, ut ipse promisit Ioann. 12. *Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis*. Tertiò, quia Eucharistiæ institutio erat testamentum Christi, vel saltem confirmatio sui testamenti, ut habetur Lucæ 22. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, sed testamentum debet fieri verbis perspicuis, & clausulæ ejus debent sumi ad litteram, ut habet Paulus ad Galatas dicens, *nemo*

superordinet testamento hominis, id est, glossam non imponat; maxima ergo temeritas est Calvino, dum præsumit explicare testamentum Christi. Quartò, quia si testator legasset alicui amico suam domum, nonne esset ridiculum, si executor testamenti prætenderet testatorem voluisse tantùm legare figuram suæ domûs? Quintò, quia si Eucharistia esset tantùm figura corporis Christi, nihil haberet Eucharistia supra manna, quod fuit certè figura corporis Christi. Sextò, quia si Christus voluisset tantùm loqui de figurâ corporis sui, videns Capharnaïtas sese scandalizare ex suis dictis, debuisset, ad tollendum scandalum, explicare suam mentem, & dicere, se daturum non corpus suum realiter, sed figuram corporis sui: & per talem explicationem, Capharnaïtæ rediissent ad Christum, à quo per prima verba recesserant; attamen ex scripturâ patet, quòd Christus non explicuerit suum dictum, immò illud per juramentum confirmavit, subjungens, *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Septimò, quia non est recurrendum ad figuras, ubi nulla est repugnantia; non autem repugnat, quòd Christus dederit realiter suum corpus. Octavò, quia leges à prudentibus & sapientibus latæ debent ferri per verba clara, nè quis ex verborum ambiguitate legem violet; Christus autem Sacramentum instituens legem tulit, dicens Apostolis, *hoc facite.* Nonò, quia rex verax & probus qui seriò promisisset pecuniam & daret tantùm figuram ejus, illuderet: sed Christus, qui est rex regum & veritas ipsamet, seriò

promisit carnem suam, Ioann. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est*: ergo si daret solum panem, qui esset figura carnis suæ, illuderet Ecclesiam. Decimò, quia Christus egisset indignè cum Ecclesiâ, quam vocat suam sponsam, si reliquisset illam in errore per spatium quindecim sæculorum & ultra, usque scilicet ad tempus Calvini, & hoc ex occasione suorum verborum, quæ Ecclesia Romana nudè & litteraliter & sine ullâ explicatione voluit credere, tanquam sponsa fidelissima, verbis sui sponsi. Undecimò, quia in nostrâ mente Catholicâ fuerunt Patres cujuscumque sæculi, quos recensere prolixius esset, & eò inutiliùs quò de facili videri possunt apud Bellarminum tomo 2. fol. 403. Duodecimò tandem, quia veritas nostræ fidei habetur ex liturgiis cujuscumque Ecclesiæ, ut videre est apud eumdem Bellarminum præcitatum.

Objicies 1. ex Matth. 4. *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*: ergo non sunt credendi illi, qui dicunt Christum esse in Sacramento. Resp. Matthæum loqui de Pseudochristis, idest, de perversis hominibus, qui se dicunt Christum; non de Christo in Eucharistiâ. Dices, ergo sensus nostri falluntur, si non sit panis, sed Christus. Resp. non falli, quia vident accidentia panis; sed falleretur intellectus, si non obstante dicto Christi, crederet sub accidentibus panis non esse corpus ejus. Dices, *quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, quod non est dicendum de corpore Christi. Respondeo, corpus Christi non ejici, quia desinit esse eo instanti quo spe-

cies corruptæ sunt, sed ejicitur id in quod conversæ sunt species post sui corruptionem. Dices, indignum est, Christi corpus manibus impuri hominis tractari; Respondeo dignum esse charitate suâ.

Objic. 2. hæc verba, *Hoc est corpus meum*, debere intelligi per fidem, & non realiter carnem Christi manducari, Ioann. enim 6. habetur, *Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat, verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Respondet Chrysostomus Homil. 26. in Ioann. hoc non dici de ipsâ carne Christi, aliàs non profuisset in morte, sed de his qui carnaliter accipiunt; quasi sit sensus, cognitio carnalis & habita per sensus, nil prodest ad hoc mysterium capiendum, sed fides requiritur; quando etiam dicit Christus, *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*; si per hoc intendisset demonstrare, corpus suum esse in pane per solam fidem, aut figuram; per hanc explicationem placasset animos discipulorum, quod tamen non fecit; quia abierunt; sed hoc dixit, ut refelleret Capharnaïtas, qui putabant, Christum carnem suam daturum modo cruento & sensibili, sicut carnem communem.

Objicies 3. Christum in institutione Eucharistiæ loquutum fuisse per figuras, quia quando loquitur de sanguine, loquitur de calice, accipiens continens pro contento: ergo etiam in pane usus fuit figurâ. Respondeo, quod sit reverà usus figurâ respectu calicis, sed illa figura omnibus constat, & est modus loquendi usitatus apud homines, qui tradentes lagenam plenam vino, dicunt, accipe vinum. Dices ex

1. ad Corinth. 10. *Patres nostri*, inquit Paulus, *eamdem escam manducaverunt*, sed Iudæi habuerunt tantùm figuram corporis Christi: ergo & nos habemus tantùm figuram. Respondeo manducaverunt eamdem escam inter se, concedo: ac nos, nego. *Aliud est enim*, inquit Augustinus, *Pascha quod celebrat Iudæus in ove, aliud quod sumimus in corpore & sanguine.*

Objicies 4. verbum, *est*, sumitur in scripturâ pro significat, ut Genes. 41. *Septem spicæ sunt septem anni*; Lucæ 3. *Semen est Verbum Dei*, id est, significat, sicut quando Christus dicit, *Ego sum ostium, vitis, Pastor.* Respondeo reverâ, quòd particula, *est*, aliquando idem sit ac significat, non quòd Christus in allatis exemplis significet ostium vel vitem, quia figuratum est nobilius figurâ, sed quia ostium est figura Christi; aliquando tamen non sumitur, *est*, pro significat, ut quando Pater dixit, *hic est Filius meus dilectus*; sic etiam in consecratione, hoc verbum substantivum sumitur propriè secundum Concilia, & Patres cujuscumque sæculi. Porrò hæc particula, *est*, sumitur pro significat in parabolis, & parabolæ scripturæ dignoscuntur per applicationem factam in antecedentibus vel subsequentibus verbis; nulla autem sunt verba antecedentia vel subsequentia, quæ indicent Christum loqui parabolicè, quando dixit; *Accipite & manducate.*

Objicies 5. Christus porrigens calicem dedit tantùm vinum potandum: ergo dedit tantùm panem manducandum. Antecedens patet ex verbis Christi dicentis, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*: ergo erat vinum. Respondeo

1. Christum accepisse duabus vicibus calicem, secundùm dictum Lucæ cap. 22. Primò, accepit calicem in cœnâ communi, & pro tunc dixit, *non bibam amodo*, &c. secundò, accepit calicem quem consecravit, & pro tunc non protulit illa verba. Quod si ex Matthæo, Christus dixerit hæc verba, dum protulit calicem quem prætendimus consecratum; hoc est quia iste Evangelista non exprimit diffusè ea quæ fecit Christus. Respondeo secundò; vocare potuit Christus suum sanguinem, genimen vitis seu vinum. Primò, quia ex vino factus est. Secundò, quia accidentia vini in illo remanserunt. Quòd si Christus dixerit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc non debet intelligi quasi Eucharistia sit memoria Christi absentis, sed quia est repetitio ejusdem sacrificii incruenti, quod fecit Christus.

Objicies 6. ex Tertull. lib. 1. contra Marcionem. *Christum repræsentare in pane corpus suum*, & alibi *nobis dedisse figuram corporis sui*, & alios Patres idem sentientes. Resp. Christum repræsentare corpus, id est, præsens exhibere, sicut dicitur quòd Pater in Thabor filium repræsentaverit; quòd si vocent figuram corporis; hoc est, figuram plenam figurato; nam aliquando stat veritas cum figurâ, ut ad Hebræos 1. *Christus dicitur figura substantiæ Patris*, licet Christus esset ipsamet substantia Patris. Si dicat Aug. tract. 25. in Ioann. *Quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti*; Respondendum est, quòd Augustinus per primam partem suæ propositionis, voluerit refutare cruentam manducationem Capharnaïtarum, docens cor-

pus Christi non atteri dentibus: Per secundam verò insinuavit, fidem esse necessariam ad effectum hujus Sacramenti. Quòd autem Augustinus, super quem malè interpretatum fundantur hæretici, non excludat realitatem, patet, in Psalmum enim 98. habet, *Christus ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit*, & concione 1. super Psal. 33. *Ferebatur*, inquit, *manibus suis, quando, ait, accipite hoc est corpus meum*; quòd si autem Patres obscurè locuti fuerunt in hac materiâ, hoc consultò fecerunt, ne proderent arcana nostræ religionis infidelibus, qui ad eorum cognitionem non erant idonei; unde Theodoretus dialogo 1. dicit, non esse consentaneum loqui apertè, nam hîc fortè sunt aliqui infideles qui forsitan illos vocassent infanticidas & idololatras, colentes Bacchum & sanguinem.

Quæstio X.

An corpus Christi sit in Sacramento per impanationem, annihilationem, aut transsubstantiationem?

Lutherus primum asseruit, ut diximus; Durandus putavit formam substantialem panis conversam esse in formam substantialem corporis Christi, remansisse tamen materiam, sicut in conversionibus communibus fit, alii tenuerunt, non remanere materiam aut formam panis, sed totum panem annihilari, & posteà produci totum corpus Christi, ita quòd essent

duæ actiones. Alii tandem transſubſtantiationem admittunt, dicentes, panem non annihilari, ſed totum converti in corpus Chriſti: hoc aperietur in ſequentibus.

Conclusio Prima.

Corpus Chriſti non eſt in Euchariſtiâ per impanationem, quia nec totus panis remanet, ut vult Lutherus, nec materia prima panis, ut vult Durandus. Ratio noſtra contra primum petitur ex verbis Chriſti dicentis, *Hoc eſt corpus meum*: ſi enim ibi eſſet panis, falsò diceret, *Hoc eſt corpus meum*; panis enim non eſt corpus Chriſti, nec corpus Chriſti eſt panis; deinde ſi eſſet ſubſtantia panis in Euchariſtiâ, homo poſt ſumptionem non eſſet jejunus. Ratio contra Durandum ſumitur ex Concilio Tridentino ſeſſionis 13. can. 2. ubi habetur, *Si quis dixerit, in Sacramento Euchariſtiæ, ſubſtantiam panis & vini remanere, negaveritque mirabilem illam conuerſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, remanentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, Anathema ſit.* Quoniam ergo ſpecies panis & vini remanent, nec panis nec materia ejus ſuperſunt. Quòd ſi Euchariſtia dicatur panis apud Paulum, *Quotieſcumque manducabitis panem hanc, &c.* Dicitur primò panis tranſitivè, id eſt, id quod anteà erat panis. Secundo dicitur panis extrinſecè, quia remanent accidentia panis. Tertiò dicitur panis analogicè, quia ſicut panis nutrit corpus, ſic Euchariſtia nutrit animam Quòd ſi Gelaſius Papa dicat manere naturam panis; id eſt, proprietates, quæ vocantur natura, ſicut illi qui agunt de proprietatibus plantarum, dicuntur

agere de plantarum naturâ. Si Chrysostomus dicat, in hac conversione sunt quæ erant; hoc est, quoad speciem externam, non quoad substantiam. Si Durandus dicat, in omni mutatione manere subjectum commune; id est, materiam; hoc verum est in mutatione naturali. Si dicat Damascenus lib. 4. de fide cap. 4. mutari panem in carnem, sicut in nutritione hominis, ubi remanet materia; hoc dicit analogicè, ut ostendat esse mutationem realem, non tamen est omnimoda similitudo, ibi enim est transformatio, & hîc est transsubstantiatio.

CONCLUSIO SECUNDA.

CORPUS Christi non est in Eucharistiâ per annihilationem panis, sed per transsubstantiationem. Ratio primi est, quia essent duæ actiones, per quarum primam annihilaretur panis, & per secundam produceretur corpus; communiter tamen assignant Catholici unam tantùm, quam transsubstantiationem vocamus. Deinde, terminus ad quem annihilationis est purum nihil, & in consecratione terminus ad quem, est corpus Christi in quod panis convertitur. Tandem, si panis non mutaretur totaliter in corpus Christi, non esset vera transsubstantiatio. Non tamen negamus, quin in transsubstantiatione virtualiter includatur desitio unius, nempe panis, & positio alterius, nempe corporis Christi; sed quia productio corporis Christi fit ex pane, ideò non est propriè creatio, quæ debet ex nihilo fieri; & quia etiam destructio panis non terminatur ad purum nihil, sed ad corpus Christi, ideò non est formalis annihilatio. Ratio secundi sumitur ex

dictis, quia si corpus Christi non sit in Eucharistiâ per impanationem, nec per annihilationem & creationem, supereſt illud ibi esse per transſubstantiationem, ut habet Concilium Tridentinum seſſ. 13. can. 2. Sic & antiqui patres, docentes, subſtantiam panis & vini converti in corpus & sanguinem Chriùi, remanentibus solis speciebus. Quòd si illi Patres non utantur explicitè hoc nomine transſubstantiationis, utuntur tamen significatione nominis, dicentes, solas species panis & vini remanere; si enim solæ species remaneant, nihil remanet de subſtantiâ panis, quando autem tota subſtantia unius in totam subſtantiam alterius mutatur, hæc converſio jure vocatur transſubstantiatio.

QUÆSTIO XI,

Quæ sint in Eucharistiâ vi verborum, & quæ per concomitantiam?

DE fide est, Christum esse in Sacramento Eucharistiæ, & consequenter sunt in eo corpus ejus, anima, sanguis, & divinitas; postquam enim resurrexit, jam non moritur: cùm sit ergo vivus in Eucharistiâ, debet habere animam, sanguinem & corpus; corpus autem, sanguis, & anima, non sunt sine divinitate, quod semel enim assumpsit Verbum divinum, nunquam dimisit: sed quærimus, quænam sint præcisè tùm sub specie panis, tùm sub specie vini, vi verborum, & quæ per concomitantiam.

Conclusio.

Sub specie panis vi verborum est solum corpus Christi, & sub specie vini solus sanguis; per concomitantiam verò sub specie panis est sanguis, & sub specie vini est corpus, & sub utrâque specie est anima & divinitas. Sic Concilium Trid. sess. 13. cap. 3. *Statum*, inquit, *post consecrationem, Domini nostri corpus, ejusque sanguinem, sub panis & vini specie, unà cum ipsius animâ & divinitate existere, docet fides Catholica, sed corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ unionem hypostaticam.* Positâ hac determinatione, nulla requiritur ratio probativa nostræ conclusionis, quia Catholici non possunt repugnare Concilio, & hæretici non disputant de hac veritate, non credentes ipsum Christum esse præsentem in Eucharistiâ; posset tamen hæc assignari ratio, quòd scilicet verba ex propriâ suâ virtute faciunt tantùm id quod significant; sed verba quæ proferuntur super panem, significant tantùm præsentiam corporis Christi, & verba prolata super vinum, denotant tantùm præsentiam sanguinis: ergo hoc tantùm efficiunt, & sic ex vi verborum est solum corpus sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini; unde si Apostoli consecrassent in triduo, sanguis & anima Christi, non fuissent sub hostiâ, licet fuisset

divinitas, quæ non dimisit corpus in sepulchro, nec animam in lymbo. Deinde, si ex vi verborum sanguis esset cum corpore, Christus non esset in Sacramento ut immolatus; ideò enim in Eucharistiâ est sacrificium, quia mysticè separantur corpus & sanguis Christi, vi verborum scilicet; talis tamen separatio, quæ fit vi verborum, non impedit quin hæc omnia sint simul, corpus, sanguis, anima & divinitas, quia est idem Christus in Sacramento ac in cælo.

Objicies, Anima est forma corporis: ergo si corpus sit sub specie panis vi verborum, anima etiam erit. Respondeo, animam non esse formam corporis, sed esse formam hominis; sine animâ enim corpus habet formam corporeitatis, quæ ponitur reverà in Sacramento vi verborum cum organis suis corporalibus, unde corpus Christi in Eucharistiâ est organicum, non tamen Christus est organicè in Sacramento: est inquam organicum, quia habet omnia organa quæ habet in cælo; non est tamen organicè, quia non potest uti organis suis, non est enim extensum extrinsecè. Dices, Sanguis requiritur ad rationem corporis: ergo vi verborum, ubi est corpus, ibi est sanguis. Respondeo, distinguendo; est de ratione corporis vivi, conc. immolati, nego. In Sacramento autem est ut immolatum, unde nec sanguis est illi necessarius, nec alii humores. Dices, ergo corpus Christi est bis in Eucharistiâ, scilicet vi verborum sub specie panis, & per concomitantiam sub specie vini: respondeo esse bis, sed diversomodo.

Quæstio XII.

An Christus sit in singulis partibus hostiæ ante divisionem?

Constat, Christum esse sub singulis partibus hostiæ post divisionem ejus: quantumcumque enim dividatur hostia, modò partes sint sensibiles, manet semper Christi corpus totum sub qualibet: an autem sit etiam in illis partibus singulis ante divisionem, quæritur.

Conclusio.

Corpus Christi est totum sub qualibet parte ante divisionem, quia si esset una pars corporis in unâ parte hostiæ & alia pars in alterâ parte, frangeretur corpus ad fractionem hostiæ. Deinde, ex hoc sequeretur, quòd esset commensurativè in hostiâ, quia una pars corresponderet uni parti hostiæ, & altera alteri, & tunc esset major in magnâ hostiâ, & minor in parvâ. Tandem, corpus Christi est totum in qualibet parte hostiæ post divisionem: ergo & antè; quia non possunt esse plures præsentiæ corporis Christi, nisi sint plures prolationes verborum super plures materias; nec est eadem ratio de specie reflectente in speculo, quæ est tota in toto & tota in qualibet parte post divisionem, non antè; quia multiplicatio faciei procedit ex reflectione specierum in corpore lucido, unde quia ante divisionem erat tantùm unum corpus lucidum continuum, erat tantùm una reflexio; postquam autem separatum est

ſpeculum, corpus tot producit reflexiones, quot ſunt corpora lucida: in propoſito autem nulla eſt productio de novo, quando hoſtia eſt diviſa in partes: quoniam ergo videtur, quòd corpus Chriſti ſit totum ſub qualibet parte poſt diviſionem hoſtiæ, debuit eſſe totum ſub qualibet parte ante divionem, aliàs eſſent plures præſentialitates corporis Chriſti novæ ſine novâ prolatione verborum.

Objicies, ſi corpus Chriſti ante diviſionem hoſtiæ, ſit in qualibet parte totum: ergo eſt multoties in hoſtiâ. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia numerus non reſultat niſi poſt diviſionem; non enim anima eſt pluries in corpore, licet ſit tota in toto & tota in qualibet parte: dicendum ergo eſt ſic de Chriſto, quòd ſit tantùm ſemel in hoſtia; eſt enim in Euchariſtiâ ad modum ſubſtantiæ ſpiritualis, quoniam denudatur omni quantitate externâ.

QUÆSTIO XIII.

Vtrùm corpus Chriſti habeat ſuam quantitatem in Euchariſtia?

CORPUS Chriſti non exiſtit ſub Sacramento circumſcriptivè; quia præſentia circumſcriptiva eſt quando una pars locati reſpondet uni parti loci, & alia alteri; licet poſſit dici eſſe circumſcriptivè, ratione ſpecierum quæ ſunt in loco circumſcriptivè. Non eſt etiam definitivè in Euchariſtiâ, quia quod eſt definitivè in uno loco, non eſt in alio; ſed di-

citur esse sacramentaliter, id est modo quodam admirabili & ineffabili per modum substantiæ spiritualis, quoniam est totum sub totâ hostiâ, & totum sub qualibet parte; ita tamen ut sit actualiter in pluribus aliis locis eodem modo; An habeat autem quantitatem in Eucharistiâ, antequam solvatur, sciendum est esse duplicem quantitatem, internam nimirum & externam; prima distinguit partes à partibus in ordine ad se, easque ordinat, ita ut non confundantur; secunda verò, extendit substantiam & ejus partes in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, & alia alteri.

Conclusio.

Christus non habet in Sacramento quantitatem externam, benè autem internam; non enim est extensum corpus Christi in ordine ad locum, quasi una pars ipsius corporis correspondeat uni parti hostiæ, aliàs non esset totum sub qualibet parte, ut diximus, & sic non habet quantitatem externam: habet tamen internam, in quantùm corpus Christi est animatum & organicum; & proinde in certâ quantitate, saltem intrinsecâ, in quantùm partes ejus non confunduntur, sed distinguntur; caput enim non est humerus, nec humeri brachia, sicut nec brachia pedes; licet ubi sit unum, ibi sit aliud: Alii hanc veritatem explicant, dicentes, Christum habere quantitatem in Eucharistiâ, non modum quantitativum, intelligentes per quantitatem, extentionem partium in ordine ad se; & per modum quantitativum, extensionem in ordine ad locum,

Objicies, Si Christus habet aliquam quantitatem, erunt duæ quantitates simul, quia species sub quibus est corpus Christi, habent suam propriam quantitatem. Respondeo duas quantitates posse simul esse, quando una est interna, & alia externa, ut in proposito: & exemplum habetur de hac penetratione dimensionum, seu quantitatum, quando corpus Christi exivit de sepulchro; erat enim quantitas lapidis penetrati cum quantitate corporis Christi penetrantis.

Quæstio XIV.

Quanam prædicata verificentur de Christo in Eucharistia?

Quædam sunt prædicata quæ concernunt motum & existentiam, ut esse sursum, deorsum, in sacrario, &c. Alia sunt prædicata, quæ sunt propria & absoluta specierum, ut esse albæ, rotundæ, &c. Alia tandem quæ ostendunt actionem & passionem, ut v. g. generare vermes, & lacerari. Quænam debeant dici de Christo vel de corpore Christi, assignabit.

Conclusio.

In prædicatis quæ concernunt existentiam & motum specierum, quæ dicuntur de speciebus, dicuntur de corpore Christi; & sic, sicut species dicuntur esse in sacrario, sursum, deorsum, deferri ad infirmum, ore sumi, trajici ad stomachum, hæc omnia dicuntur de

Christo & de corpore ejus; quia moto continente movetur contentum, moto dolio movetur vinum. Prædicata quæ sunt propria & absoluta speciebus, licet competant illis, non tamen affirmantur de corpore Christi; unde quoniam albedo, rotunditas, sapor, sunt veluti qualitates absolutæ specierum, quæ conveniunt illis, ideò dicuntur albæ, rotundæ, & sapidæ; non tamen conveniunt corpori Christi, quod non debet vocari, nec rotundum, nec album, nec sapidum. Prædicata quæ important actionem aut passionem, conveniunt speciebus, non corpori Christi; & sic licet species dicantur generare vermes, & atteri dentibus & lacerari, hoc non debet dici de corpore Christi. Ad tales enim actiones & passiones requiritur extensio localis, quam non habet corpus Christi: potest tamen impropriè & per denominationem extrinsecam dici, quod corpus Christi frangatur; sic in sacrificio missæ celebrato ritu D. Ambrosii, Sacerdos dicit ad Christum, *Corpus tuum frangitur ô Christe!* Si quis quærat rationem, quare species possunt dici rotundæ, & non corpus Christi; est, quia istæ locutiones & ista prædicata non supponunt pro contento sub speciebus, sed tantùm pro ipsâ quantitate panis, quæ est subjectum accidentium.

Quæstio XV.

Vtrùm corpus Christi dicatur agere, pati, & moveri?

Omnis actio vel est sensitiva, ut est visio, auditio, &c. vel spiritualis, ut intellectio & volitio. Quærimus, utrum tales actiones possit elicere Christus; & insuper, utrùm possit esse subjectum aliquarum actionum nostrarum: v. g. videri, aut tangi, & consequenter pati. Quærimus denique, an corpus Christi possit de loco in locum moveri.

Conclusio Prima.

Actiones intellectivas potest elicere Christus, ut est in Sacramento; non verò sensitivas, nisi de potentiâ Dei absolutâ. Ratio primi est, quia anima Christi intelligit sicut Angelus, independenter à sensibus; talis enim dependentia tollitur in beatis; unde licet Christus in Eucharistiâ sit modo inextenso, potest elicere actionès vitales spirituales. Ratio secundi est, quia sensus externi agunt per species, quæ sunt materiales & quantæ, & sic debent recipi in organo quanto & divisibili; sicut autem corpus Christi non est extensum in Eucharistiâ, sic nec organa habet extensa: ergo nec videre, nec audire potest, ut est in Sacramento; licet Christus in Sacramento videat per operationem quàm habet in cælo, quoniam est unum & idem corpus numero in cælo ac in Sacramento; & hoc est quod dicunt com-

muniter authores, Christum operari per concomitantiam in Sacramento. Ratio tertii est, quia nulla est contradictio, quin per absolutam Dei potentiam possit Deus imprimere species objectorum spoliatas sua quantitate externâ in organa inextensa Christi.

Conclusio Secunda.

Corpus Christi, ut est in Sacramento, non potest alterari ab agentibus naturalibus, nec videri ab oculo corporeo, nec intelligi cognitione naturali. Primum dicitur, quia alteratio requirit contactum corporeum & quantitativum; sed corpus Christi non potest tangi per modum quantitativum, quandoquidem est inextensum: ergo nec alterari. Secundum asseritur propter eamdem rationem, quia oculus corporeus tendit tantùm in res quæ divisibili modo existunt. Tertium tandem affirmatur eodem argumento, quia cognitio naturalis ortum habet à sensibus: si ergo corpus Christi non potest percipi sensu corporeo, nec consequenter poterit cognosci naturaliter. Super visionem Christi in Eucharistiâ, D. Thomas asserit, quòd quando apparet visibiliter, miraculosè tamen, figura Christi, Christum non videri in se, nec ejus sanguinem aut carnem, sed tantùm colorem & figuram ipsum referentem, & pro tunc non sunt consumendæ species illæ, sed servandæ in loco decenti, & novus panis iterum consecrandus est, ut perficiatur sacrificium.

CONCLUSIO TERTIA.

CORPUS Christi movetur quidem ad motum specierum, non tamen à Sacerdote, quasi Sacerdos movens species, moveat & corpus; sed movetur à Deo, qui statuit, quòd quotiescumque moverentur species, ipse moveret corpus; & hoc per idem miraculum continuatum, quo univit corpus Christi cum speciebus ex suâ solâ voluntate; sic Scotus, cujus ratio hæc est: Quando aliqua duo conjunguntur tantùm contingenter per voluntatem superioris, si unum illorum sit proportionatum volenti, & aliud improportionatum, movens movendo proportionatum, non propter hoc movet aliud per accidens, sed est ipsum superius, quod univit cum alio quod etiam movet aliud, scilicet improportionatum, ad motum proportionati; sed corpus Christi unitur contingenter cum speciebus per voluntatem Dei tanquam superioris, & corpus illud est improportionatum illi qui movet species, quandoquidem est inextensum; ergo quando sacerdos movet species; non est ipse qui movet corpus, sed est Deus qui movet illud. Exemplificat Scotus de Angelo, qui vult se unire lapidi per voluntatem; qui fert illum lapidem, non fert Angelum, sed est ipse Angelus qui se movet ad motum lapidis.

Objicies, Moto aliquo, movetur per accidens quod est in illo: ergo Sacerdos movens species movet per accidens corpus Christi. Antecedens est verum, quando contentum est in continente, vel ut forma, vel ut pars, vel est

necessariò conjunctum illi, aut contingenter per voluntatem alterius, non verò per suam propriam voluntatem: Christus autem est conjunctus speciebus per voluntatem suam, & Dei concurrentis cum illo; unde si moveatur, non movetur per accidens à sacerdote.

Dices, homo in navi est conjunctus navi per voluntatem, attamen navis movet illum per accidens: ergo, &c. Respondeo, hoc esse verum, quia virtus fluctuum maris movens navim, posset hominem seorsim movere, & sic movet hominem per accidens; sacerdos verò non posset seorsim movere corpus Christi, quia est inextensum: deinde corpus Christi non est sub speciebus tamquam in contento; est enim æqualiter in superficie specierum ac in profunditate, & hoc solvit utramque objectionem.

Dices, Movetur anima ad motum corporis, licet sit improportionata moventi. Respondeo, hoc fieri quia facit unum per se cum illo; corpus autem & species non faciunt unum physicum, sed tantùm unum morale: unde non debet unquam dici, quòd corpus moveatur à Sacerdote, quia motio corporis fit per membra organica quæ habent extensionem.

Quæstio XVI.

An accidentia sint sine subjecto in Eucharistia.

Duplex est subjectum accidentium, mediatum scilicet & immediatum; mediatum est substantia cui inhæret tota collectio accidentium; substantia enim dicitur, & à substistendo per se, & à sustentando accidentia. Immediatum verò est quantitas cui insunt alia accidentia; calor enim, sapor, odor, & rotunditas insunt quantitati.

Conclusio.

Accidentia in Eucharistiâ sunt sine subjecto mediato, non verò omnia sunt sine immediato. Primum patet, quia nulla substantia ibi est subjectum accidentium; non remanet enim substantia panis in qua sint; nec etiam corpus Christi est subjectum illorum, quoniam non est modo divisibili & quantitativo in Eucharistiâ: ergo accidentia non habent subjectum mediatum. Secundum dicitur, quia omnia accidentia inhærent quantitati, tamquam subjecto immediato, & ipsa quantitas est sine ullo subjecto.

Objicies, non potest accidens esse sine substantiâ: ergo non sunt sine subjecto in Eucharistiâ. Nego antecedens; quia accidentia habent aliquam entitatem absolutam distinctam ab entitate substantiæ, quam Deus potest conservare sine entitate subjecti, & de facto conservat, non eodem concursu quo conservabat

illa accidentia in subjecto, quia illud est naturale; sed alio quod est supernaturale & omninò miraculosum: & ex his patet, inhærentiam saltem actualem non esse de essentiâ accidentis.

Quæstio XVII.

Quamdiù maneat corpus Christi sub speciebus?

Incipit reverà esse sub illis eo instanti quo completur prolatio verborum, quia tunc est sub speciebus, quando verba significant ibi esse corpus Christi, quoniam verba efficiunt id quod significant: quærimus autem quamdiu duret in illis.

Conclusio.

Tamdiu conservatur corpus Christi sub speciebus, quamdiu conservaretur substantia panis, si ibi adesset; quia Christus ex institutione Sacramenti succedit in locum panis: sicut ergo per quamlibet alterationem specierum non desinit corpus, nisi per eam tantùm, per quam desineret panis; non etiam desinit eo ipso quo in os recipitur, aut in ventrem trajicitur, quia non ita statim desineret substantia panis; desinit autem, quando ex ipsis speciebus generantur vermes. Quod si una pars specierum corrumpatur quibus vermes succedant, & alia pars specierum remaneat; desinit corpus Christi sub illis accidentibus, non verò sub istis quæ remanserunt. Quid autem fiat si vinum consecratum misceatur cum

non consecrato. Respondent Doctores, quòd si misceatur cum vino ejusdem speciei, tamdiu remaneat sanguis, quamdiu remanet illud vinum; ita quod, si una gutta consecrati misceatur cum magnâ quantitate non consecrati, manebit sanguis Christi sub accidentibus illius guttæ; quia si in illâ guttâ esset substantia vini, non destrueretur illa gutta per magnam quantitatem ejusdem vini, quoniam corruptio fit tantùm à contrario. Vnde major pars Doctorum dicit, quòd illa quantitas vini, cui admixta est gutta consecrata, debeat conservari ad pios usus, ob reverentiam debitam speciebus consecratis; licet aliqui dicant, posse administrari laïcis; quia illa gutta habetur pro amissâ, cùm ignoretur quænam illa sit. Quòd si illa gutta vini consecrati misceatur cum alio vino alterius speciei, verbi gratia cum vino albo, quod à multis censetur esse diversum specie à rubeo, dicunt, quòd desineret esse sanguis Christi eo instanti quo desinerent esse species vini rubei, & ex illis fieret vinum album. Porrò, an in illo casu debeat dici, quòd sanguis Christi admisceatur cum vino: respondetur negativè; quia licet species vini consecrati misceantur cum vino non consecrato, substantia tamen sanguinis non miscetur, quia ea tantùm misceri dicuntur, quorum extremitates conjunguntur; conjunctio autem sit tantùm inter res quæ habent extensionem localem: cum ergo sanguis sit inextensus, non potest dici, quòd misceatur cum vino.

Quæstio XVIII.

Quomodo ex speciebus generetur aliquid?

Species Sacramentales possunt nutrire, ut docet experientia : ex illis ergo potest produci sanguis, cum nutritio nihil sit aliud quàm conversio alimenti in sanguinem, & sanguinis in substantiam aliti : ex speciebus etiam alteratis & corruptis generantur vermes ; & sic quærimus, quomodo hoc possit fieri, quia omnis generatio præsupponit materiam in qua forma substantialis rei genitæ recipiatur, ibi autem nulla est materia.

Conclusio.

Quando ex speciebus producitur substantia, hoc fit ab agente supernaturali, scilicet à Deo, qui eodem instanti quo species ita sunt alteratæ, ut non posset naturaliter sub eis conservari panis substantia, si esset ; & consequenter quo desinit esse corpus Christi, ibi creat materiam, eique unit quantitatem panis & vini & alias qualitates quæ inhærent illi pro eo instanti quo materia illa jam est ultimò dispositа ad susceptionem illius formæ substantialis, quam Deus producit, & quam produxisset panis corruptus si priùs fuisset. An autem creetur eadem materia panis quæ anteà fuit deperdita in consecratione, an alia de novo producatur ? utrumque potest fieri.

Quæres, quænam sit unio inter species sacramentales, & ipsum Christum. Respondeo,

non uniri unione ſubſtantiali, quia hæc reperitur tantùm inter ſubſtantias, & hîc uniuntur accidentia: Non uniuntur etiam unione accidentali, quia accidentia panis non afficiunt corpus Chriſti: Non uniuntur unione ſuſtentantis ad ſuſtentatum, quia non corpus Chriſti, ſed Deus ſuſtentat illa accidentia: Sed uniuntur tantùm unione extrinſecâ procedente ex divina voluntate, quæ ordinavit, ut eſſet corpus Chriſti, ubi eſſent ſpecies Sacramentales.

QUÆSTIO XIX.

Quoſnam effectus producat Euchariſtia?

FORMA Sacramenti Euchariſtiæ producit præſentiam corporis Chriſti; verba enim prolata à Sacerdote faciunt Chriſtum præſentem in altari; ſed non loquimur de illo effectu formæ, benè autem de effectu producto per ſpecies conſecratas. Prænotandum tamen eſt, Chriſtum in Euchariſtia tribus modis poſſe ſumi: Primò, ſacramentaliter tantùm, ſeu materialiter, ut quando quis peccati conſcius Euchariſtiam ſumit: Secundò, ſpiritualiter tantùm, quomodo dicuntur ſumere Chriſtum illi, qui per effectum Chriſto uniuntur, & actu ipſum ſuſcipere cupiunt: Tertiò, ſumitur materialiter ſimul & ſpiritualiter, quando quis cum diſpoſitione prævià recipit Sacramentum, & rem ſeu effectum Sacramenti. Hîc ergo loquimur de effectu qui producitur per Euchariſtiam tertio modo ſuſceptam.

Conclusio Prima.

Eucharistia non confert per se primam gratiam, potest tamen conferre per accidens; sed per se confert augmentum gratiæ. Tres sunt partes, quarum probatur prima, quia sumptio Eucharistiæ supponit hominem in gratiâ, unde vocatur sacramentum vivorum: deinde est cibus & alimentum animæ, cibus verò non dat vitam, sed illam conservat & fortiorem reddit; & hoc quadrat Divo Paulo dicenti primæ ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, &c.* ideſt tollat peccatum, nè sit reus corporis & sanguinis Domini: si ergo tollat peccatum, ante sumptionem Eucharistiæ, gratia præcedit: ergo illam non confert per se. Secunda pars est omnium doctorum existimantium, quòd ille qui bonâ fide se existimat contritum, & est tantùm attritus, vi Sacramenti Eucharistiæ remittatur illi peccatum; quia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ergo illam producunt, ubi non ponitur obex; sed qui credit se esse contritum, vel attritum, & benè absolutum, & tamen non est contritus, nec benè absolutus, defectu jurisdictionis & intentionis ministri, non ponit obicem: ergo illi confertur prima gratia, & tollitur ab eo peccatum mortale, per receptionem Eucharistiæ, per quam fit de attrito contritus. Quoad tertiam partem, constat; quia Eucharistia sumitur per modum cibi, juxta Ioannem dicentem, *Caro mea verè est cibus, &c.* cibus autem conservat vitam corporalem & corroborat: ergo & Eucharistia vitam spiritualem gratiæ: Sic Concilium Tridentinum

& omnes doctores, asserentes, Sacramenta mortuorum conferre gratiam ipsam. Quòd si Eucharistia dicatur delere peccata, ut habetur in consecratione calicis, *effundetur in remissionem peccatorum*; hoc intelligitur de cruentâ effusione sanguinis Christi.

CONCLUSIO SECUNDA.

EUCHARISTIA delet peccata venialia, aliquam pœnam peccati tollit, & gratiam Sacramentalem seu actualem confert. Sunt adhuc tres partes. Ratio primæ est, quia Eucharistia excitat nos ad actus Charitatis, & per tales actus Charitatis delentur peccata venialia; & sic illa tollit, mediatè saltem: Aliqui insuper Theologi addunt, quòd tollat peccata venialia immediatè ex opere operato. Pro secundâ parte, diximus, quòd tollat aliquam pœnam peccati, quod potest intelligi dupliciter: Si enim Eucharistia sumatur pro sacrificio expiatorio, tollit ex opere operato pœnam debitam peccatis, & tantam tollit, quantam vult Deus, vel Ecclesia quæ applicat sacrificium; si verò sumatur ut Sacramentum, non aufert pœnam ex opere operato, sed ex opere operantis, juxta valorem actuum amoris & charitatis quos in nobis excitat; non remittit tamen totam aliquando, alias non esset injungenda pœnitentia illis qui recipiunt Eucharistiam, sicut nec injungitur adultis baptisatis; nec etiam concedendæ essent indulgentiæ, ad relaxandas pœnas illorum qui communicant. Tandem pro tertiâ parte diximus, quòd Eucharistia conferat gratiam Sacramentalem; hoc est enim commune omnibus Sacramentis, &

conforme Concilio Tridentino, dicenti, *ea conferre auxilia ad vitanda peccata & tentationes superandas.*

Quæstio XX.

Quandonam Eucharistia producat suos effectus?

EX dictis patet, quòd Eucharistia plurimos effectus conferat; in quo autem tempore conferuntur? an in illo in quo hostia ab ore trajicitur in stomachum? an in illo quo species manent in stomacho? an denique post consummationem specierum?

Conclusio.

EUCHARISTIA confert effectum, non quando recipitur in ore, sed quando trajicitur in stomachum; facta enim est promissio gratiæ, manducantibus, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Manducatio autem non fit quando recipitur vel retinetur alimentum in ore, nec quando alimentum est concoctum & digestum, sed quando defertur cibus in stomachum, ergo gratia communicatur in manducatione; in manducatione inquam primâ, quando scilicet prima pars hostiæ; vel una species deglutita est; in eâ enim totus Christus residet. Ex quibus sequitur, quòd qui tam diu retinent hostiam in ore, ut corrumpantur species, antequam deglutiantur, non recipiant fructum Eucharistiæ; nam gratia datur man-

ducanti Sacramentum ; non manducatur autem Sacramentum , quando non trajiciuntur ſpecies in ſtomachum : ergo gratia non confertur. Quamdiu ſpecies manent in ſtomacho non confertur major gratia ex opere operato , etiamſi creſcat diſpoſitio & fervor ſubjecti ; gratia enim confertur ex opere operato manducanti : poteſt tamen conferri ex opere operantis , in quantùm per illud opus elicitum in gratiâ meretur augmentum gratiæ. An autem qui ſumpſit Euchariſtiam in peccato , & conteritur antequam ſpecies ſint digeſtæ in ſtomacho , recipiat gratiam virtute Sacramenti ; videtur quòd non , quia per ſolam manducationem confertur. An tandem qui manducando aliquam partem hoſtiæ eſt in peccato , & antequam alias partes , vel aliam ſpeciem deglutiat , producit actum contritionis , recipiat gratiam ex vi Sacramenti , controvertitur inter doctores ; negat enim Bonacina , quia totus , inquit , effectus Sacramenti producitur per ſumptionem primæ partis : alii contrarium tenent , & in majori numero , ſicut & conferri majorem gratiam , quando poſt ſumptionem unius ſpeciei magis diſponitur ſubjectum , ante ſumptionem alterius , ſic Caietanus , Suares , Soto , Reginaldus & cæteri.

Quæstio XXI.

Quanam dispositio requiritur in suscipiente?

Ad hoc ut suscipiatur effectus hujus Sacramenti tres in communi dispositiones requiruntur: prima ut suscipiens sit Baptisatus, quia Baptismus est janua Sacramentorum; secunda ut habeat intentionem recipiendi illud; tertia ut non sit conscius peccati mortalis, hoc enim Sacramentum vocatur Sacramentum vivorum.

Conclusio.

Non sufficit contritio de peccato antequam aliquis sumat Eucharistiam, sed debet ex præcepto Ecclesiæ præmittere confessionem, si adsit copia confessarii; & hoc est conforme Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. immò docent Patres apud Suarem, hoc præceptum esse divinum, latum scilicet à Christo, dicente apud D. Paulum, *Probet autem seipsum homo.* Quòd si copia confessarii desit, debet præmitti contritionis actus cum proposito confitendi in primâ occasione, & ille qui communicat tantùm cum attritione cognitâ, peccat mortaliter; ponit enim obicem gratiæ conferendæ per Eucharistiam: qui verò Eucharistiam sumit cum contritione tantùm existimatâ, vel cum attritione quam ex ignorantiâ invincibili sufficere putat, recipit effectum Sacramenti, quia bona fides excusat à peccato, & sic non ponit obicem; quia autem cum illâ

contritione verâ vel existimata, debet includi votum de confessione faciendâ in primâ occasione, reverà debet illud votum impleri; hoc enim habet expressè Concilium Trident. dicens, *Quòd si sacerdos absque præviâ confessione, necessitate urgente, celebraverit; quamprimùm confiteatur.* Porrò, qui sumit Eucharistiam, debet esse jejunus, nedum jejunio Ecclesiastico, quod consistit in unicâ comestione; sed & naturali, consistente in abstinentiâ à quocumque cibo à mediâ nocte: Ratio hujus est, quia Corpus & Sanguis Christi debent esse primus fidelium cibus, ideò nullus cibus ante eum debet sumi, neque per modum alimenti, neque medicamenti. Quomodo autem frangatur jejunium, vel non frangatur, docetur potiùs ex usu, quàm ex scientiâ. Illud autem præceptum est Ecclesiasticum, non Divinum; ut patet ex Christo qui communicavit post cœnam, & ex primitivâ Ecclesiâ, ubi aliquando sumpta fuit Eucharistia feria 5. in Cœnâ Domini post cœnam, ad repræsentationem Cœnæ Dominicæ, quod postea tamen revocatum est in Concilio Toletano. Quia antea diximus, neminem peccati mortalis conscium posse sumere Eucharistiam; ideo deneganda est communio peccatori publico eam petenti.

Quæstio XXII.

Quis sit minister Eucharistiæ?

IN aliis Sacramentis confectio & administratio Sacramenti ad eumdem pertinent; qui conficit enim Sacramentum, dicitur minister ejus: respectu autem Eucharistiæ alius potest esse minister conficiens, alius distribuens.

Conclusio Prima.

SOLUS Sacerdos potest conficere Eucharistiam, solis enim Sacerdotibus dixit Christus, *hoc facite*, per quod declarati sunt Sacerdotes; unde Angelus non potest conficere, nisi ex speciali dispensatione divinâ: sicut autem solus Sacerdos potest conficere Eucharistiam, sic etiam omnis potest, sive sit excommunicatus, degradatus, & hæreticus; habet enim semper ordinem Sacerdotalem, & consequenter potestatem supra corpus Christi reale, quam accepit in susceptione ordinis. Quòd si jus canonicum dicat, consecrationes hæreticorum esse irritas: idest, quòd prohibeatur ab illis recipere Eucharistiam: deinde sunt irritæ, quando pravam habent intentionem. Quia autem diximus, quòd quilibet Sacerdos possit Eucharistiam conficere; hoc Sacramentum potest confici à pluribus simul, si eodem instanti verba proferant: si autem non proferant simul; qui primus profert, conficit Sacramentum. Qui autem profert verba cum alio Sacerdote, v. g. ordinati cum Episcopo, isti debent

habere intentionem consecrandi, non absolutam, sed conditionatam; supposito scilicet, quòd simul cum Episcopo verba proferant, quia si haberent absolutam intentionem consecrandi, & Episcopus primò absolveret verba; tunc ordinari proferrent verba super materiam consecratam, quod est Sacrilegium: si verò priùs absolverent verba, Episcopus non consecraret, & sic non sacrificaret; licet Caietanus alio modo respondeat, quòd ordinati non proferant verba formaliter cum intentione consecrandi; sed tantùm materialiter, ut instruantur quòd potestatem hoc faciendi receperint.

CONCLUSIO SECUNDA.

SOLUS Sacerdos est ordinarius minister circa distributionem hujus Sacramenti; ut autem possit licitè ministrare illud, debet habere jurisdictionem. Primum patet ex communi lege Ecclesiæ, quæ statuit ut solus Sacerdos ministraret Eucharistiam: potest tamen hæc distributio committi Diacono in necessitate, unde reverà Diaconi antiquitùs ministrabant, quod non est nunc in usu, ob copiam Sacerdotum: an autem hoc licitum sit aliis à Diacono, aliqui credunt laïcum in mortis articulo in necessitate expositum, posse se ipso sumere Eucharistiam, aut alteri ministrare, sicut fertur factum fuisse à reginâ Scotiæ, quæ proxima Martyrio sese communicavit, & factum fuit in primitivâ Ecclesiâ, ubi Eucharistia dabatur laïcis in sudario, sumenda scilicet, dum proximum esset martyrium. Hoc posse adhuc fieri, maximè quando judicatur

Eucharistia multum necessaria, tenetur à pluribus doctoribus; sed alii & probabiliùs & in majori numero contrarium tenent; sic inter alios sentit Bonacina. An autem Sacerdos non sacrificando, possit se communicare extra diem veneris sanctam, in qua est speciale privilegium; hoc illi conceditur; sicut & Diacono in extremâ necessitate, ubi deessent Sacerdos & Diaconus. Secundum constat etiam ex vocabulo Pastoris, qui tali nomine insignitur, quia ipsi incumbit pascendi officium; & sic ille qui ministrat hoc Sacramentum, debet esse Pastor & habere jurisdictionem ordinariam, qualem habent Episcopi, parochi & alii quibus animarum cura incumbit ex officio; vel saltem ab illis licentia debet concedi: unde peccant qui sine privilegio administrant Eucharistiam non subditis, & hoc mortaliter; nisi credatur fore ut Pastor hoc sciens; approbaturus sit & daturus licentiam.

Quæstio Ultima.

An sumenda sit necessariò Eucharistia sub utraque specie?

Hæc difficultas præcisè oritur pro laïcis; nullus enim dubitat, quin Sacerdos sacrificando debeat illam sub utrâque specie sumere: pro laïcis ergo nos continuò objurgant hæretici, dicentes, quòd contra institutionem Christi faciamus, dividentes Eucharistiam, & unâ parte fraudantes laïcos: ut autem justificetur Ecclesiæ Catholicæ usus, erit

Conclusio.

Non est necessarium ut sub utrâque specie recipiatur Eucharistia; Concilium enim Trident. sess. 21. cap. 1. prohibet talem administrationem laïcis sub excommunicationis pœna. Prima ratio est, quia Ioann. 6. habetur, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et ibidem, *Hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*; ubi scriptura tribuit omnem vim sanctificandi & justificandi, Eucharistiæ sumptæ sub specie unicâ; quod non faceret, si altera species esset necessaria ad salutem. Secunda ratio petitur ex Lucæ 24. ubi sub una specie Christus dedit Eucharistiam discipulis Emmaüs; per panem enim quem benedixit, fregit & illis porrexit, intelligunt August. Hieronymus, Theophilactus, Chrysostomus & alii, panem Eucharisticum: & non possunt respondere hæretici, quòd, licet scriptura loquatur tantùm de pane, hoc non impediat, quin calicem porrexerit; statimatque enim panem dedit, evanuit ab oculis eorum. Quòd si respectu aliorum non liceat consecrare sub unâ specie tantùm, hoc licet tamen Christo, qui est supra legem. Tertia ratio sumitur ex Actuum. 2. ubi Apostoli erant perseverantes in communicatione fractionis panis: quòd autem Lucas hîc locutus fuerit de Eucharistiâ, fatentur Lutherus sermone de Eucharistiâ, Calvinus cap. 17. institutionum ss. 35. sicut & Plessæus libri primi de Eucharistiâ capite primo. Nec dicant hæretici, per fractionem panis intelligi etiam benedictionem calicis,

quia Apostoli non potuissent consecrare sub unâ specie: talis enim responsio gratis fingitur, & ejus ratio nulla est, quia ibi non loquitur Lucas de Apostolis consecrantibus, sed de recenter conversis, quibus frangebatur panis, licet Apostoli consecrassent anteà sub utraque specie, ut fit communiter. Quarta ratio habetur ex primitivâ Ecclesiâ, ubi non erat licita congregatio Christianorum, & dabatur Eucharistia laïcis sub solâ specie panis, ut ferrent illam in proprias domos & ibi sumerent, vel in necessitate, vel ex pietate: viris quidem in concava manu, & mulieribus in linteo: sic Tertullianus libri. 2. ad uxorem capite 5. Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum; Cyprianus sermone de lapsis; Basilius in Epistolâ ad Cæsariam Patritiam; Hieronymus in Epistolâ contra Iovinianum; Augustinus sermone 152. Quinta ratio hauritur ex S. Leone qui sermone 4. de Quadragesimâ loquens de Manichæis, asserit eos qui Romæ habitabant & sumebant communionem cum Catholicis, nunquam sumere calicem, quia erant in hoc errore quòd crederent vinum esse fel draconis; hoc autem non feciissent publicè, nisi licitum fuisset communicare sub unâ specie, vel sub utrâque simul. Sexta tandem ratio potest repeti ex motivis, quæ impulerunt Ecclesiam Catholicam, ut alteram speciem removeret; hæc autem fuerunt: primò, quia non minùs sub unâ specie totus Christus continetur cum sanguine; secundò, quia non minor gratia datur sub unâ quàm sub duabus, quoniam gratia non datur per species, sed per contentum sub

illis; tertiò, quia sunt multi abstemii à vino; quartò, quia vinum multis in locis deest in tantâ quantitate; ut vix tot homines communicare possent; quintò, quia esset periculum effusionis.

Objicies 1. Ioannis 6. habetur, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis*; ergo ut gratia concedatur, debet quilibet Christianus sumere sanguinem sub specie vini. Resp. non ibi, esse præceptum de sumptione specierum; sed tantùm præcipitur, ut quis manducet corpus & bibat sanguinem; utrumque autem fit sumendo solam speciem panis, quia tunc sanguis dicitur bibi quoad substantiam, quoniam sumitur res potabilis, licet non dicatur propriè bibi quoad modum. Quòd si Matth. 26. dixerit Christus, *Bibite ex hoc omnes*; hoc dictum fuit Apostolis solis, addit enim Marcus, *& biberunt ex eo omnes*. Quòd si dixerit Christus, *Quod vobis dico, omnibus dico*; ibi loquitur Christus de vigiliâ; dixit enim, *vigilate & orate, &c.* & illicò subjunxit, *quod vobis dico, omnibus dico*.

Objicies 2. Debemus sumere Eucharistiam, sicut illam instituit Christus: sed Christus instituit illam sub utrâque specie: ergo, &c. Resp. neg. maj. aliud enim est institutio Eucharistiæ facta à Christo, aliud est præceptum ejus; si enim deberemus nos conformare absolutè Christo, deberemus sumere Eucharistiam post cœnam. Nec instare debent hæretici, quòd hoc iusserit Christus dicens, *hoc facite*, id est, *distribuite sub utraque specie, sicut ego*; hoc enim est falsum, quia dixit tantùm, *hoc facite*, post

porrectionem corporis; ad calicem autem dixit, *hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem*, ad ostendendum quòd posset fieri receptio Eucharistiæ, & non bibi species vini. Dices, Ergo frustra instituit Christus sub utrâque specie: Negatur, instituit enim Eucharistiam, non tantùm ut Sacramentum, sed & ut sacrificium, ad quod requiritur consecratio & sumptio utriusque speciei.

Objicies 3. D. Leonem exprobrantem Manichæos, qui nolebant sumere speciem vini: sed ad hoc jam respondimus, quòd scilicet crederent Manichæi, sanguinem esse fel Draconis: non ergo illos objurgat quòd noluerint recipere speciem vini, sed quòd noluerint ob superstitionem & errorem. Sic etiam intelligendus est Gelasius Papa. Quòd si dicat Cyprianus sermone de Cœnâ Domini, *lex esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur*: intelligitur de bibitione secundum substantiam, non de bibitione secundum modum. Si quis dicat, perfectior est Eucharistia sub utrâque specie, quàm sub unâ; Respondemus ut aliàs, esse perfectiorem in significatione secundariâ, quia Eucharistia significat perfectam refectionem, quæ sicut in corporalibus fit ex pane & vino; in spiritualibus etiam debet fieri ex corpore & sanguine Christi.

CAPUT QUARTUM.

De Sacrificio Missæ.

ANTEQUAM descendamus ad explicationem Sacrificii Missæ, præsciendum est, quid & quotuplex sit Sacrificium in se, sic autem definitur: Est oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro, soli Deo facta, per realem immutationem hostiæ, ad testandum illius summum dominium. *Oblatio* tenet locum generis; ponitur postea, *rei sensibilis*; & sic oblatio interna, qua quis se & sua offert, non est sacrificium. Dicitur *à legitimo ministro*; ideſt à Sacerdote, qui solus offerre potest; licet Agnus Paschalis in veteri lege fuerit immolatus à quolibet Patrefamilias, erat enim institutum ante legem Mosaïcam, & sic servabatur ordo legis naturæ, ubi Patres-familias erant Sacerdotes; licet alii speciali Dei instinctu sacrificaverint, ut Abel, Abraham & Melchisedech. Dicitur, *soli Deo facta*; quia Sacrificium pertinet ad cultum Latriæ, qui soli Deo debetur. Additur, *per realem immutationem hostiæ*; occidebantur enim animalia, carnes eorum cremabantur, & aliæ hostiæ immutabantur, ut oleum & sanguis, quæ fundebantur super altare, sic etiam de cæteris. Quòd si dicatur, Christum non se occidisse; non minùs tamen à seipso Sacerdote sacrificatus est, quia se occidit moraliter, tradendo se voluntariè Judæis: licet autem Martyres se tra-

dant, non se tamen sacrificant propriè, quia non sunt Sacerdotes veri, & non moriuntur ad testandum summum Dei dominium, sed ad testandam fidem.

Sacrificium dividitur tripliciter; primò ratione materiæ, secundò ratione formæ, tertiò ratione finis. Ratione Materiæ dividitur Sacrificium in victimam, immolationem & libamen; in Victimâ offerebantur animalia: per Immolationem res inanimatæ solidæ offerebantur, ut panis, simila, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum; quæ omnia levabat sacerdos & immutabat diversimodè; scindendo panem in frusta, cremando similam, vel in sartagine aut clibano, urendo sal & triticum, denique & adolendo thus: in Libamine tandem offerebantur res inanimatæ liquidæ, sicuti sunt vinum, sanguis, oleum & aqua, quæ omnia effundebantur super altare.

Dividitur Sacrificium ratione Formæ, in holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Quando Sacrificium erat Holocaustum, tota res consumebatur sine reservatione: quando erat Hostia pro peccato (scilicet externo) una pars erat in alimentum Sacerdotis, & aliæ erant consumptæ: quoad Hostiam pacificam, dividebatur in tres partes, quarum una consumebatur, altera erat pro Sacerdote, & alia pro offerentibus: si hostia offerebatur in gratiarum actionem, partes reservatæ debebant comedi eodem die; si verò erat pro beneficio accipiendo, poterant reservari in sequentem, & non ulteriùs.

Dividitur tandem Sacrificium, ratione Finis,

in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium & Propitiatorium. Primum erat solùm ad Deum colendum; secundum ad gratias agendum; tertium ad accipiendum beneficium aliquod; quartum ad obtinendam relaxationem pœnarum peccatis debitarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Sacrificium Missæ, & à quo institutum fuerit?

ALIA erat Missa Catechumenorum, quæ durabat usque ad offertorium, ubi tunc recedebant; alia fidelium, quæ erat ab offertorio ad finem, quo dimittebantur, dum diceret Sacerdos, *Ite Missa est*; alia est tandem Missa, quæ utramque complectitur: dicendum nobis est quid sit ea.

Conclusio Prima.

MIssa secundum nomen, venit à verbo Hebraïco, quod significat oblationem; vel à verbo latino, mitto, quia per consecrationem nobis veluti mittitur Christus à Deo, & per oblationem & sumptionem remittitur à nobis Deo. Missa verò secundùm rem est actio sacra, qua conficitur Christi corpus, Deo offertur, & à Sacerdote sumitur. Quòd autem Missa sit Sacrificium, patet; quia in eâ reperiuntur omnia, quæ requiruntur ad Sacrificium: scilicet primò Sacerdos qui offert, nempe Christus, qui est principalis offerens; secundò Hostia seu Christus sub specie panis & vini;

tertiò Deus cui offertur ; quartò Ecclesia pro qua offertur ; quintò altare in quo offertur ; & sextò, actio Sacrificantis : Eucharistia ergo est simul Sacramentum, quarenus sub signo visibili, nempe sub speciebus; continet rem invisibilem, scilicet Christum, & gratiam quam confert ; & Sacrificium etiam, quatenus offertur Deo Christus in illâ existens.

Objicies, Christus non mactatur in Missâ : ergo Missa non est Sacrificium. Respondeo, Christum non mactari realiter & actu, quia Christus est impassibilis ; mactatur tamen mysticè, in quantùm vi verborum consecrationis ; corpus à sanguine separatur; unde Christus est in altari ut immolatus, licet per naturalem consecutionem & per concomitantiam, vivus & totus reperiatur sub qualibet specie. Nec dicant adversarii, nos non indigere alio Sacrificio à Sacrificio Crucis quod infinitum est : respondetur enim, quòd sit unum & idem Sacrificium ; & sic non indigemus alio Sacrificio, sed tantùm repetitione ejus, ut Sacrificium Crucis, quod infinitum est, nobis applicetur, vel illis pro quibus offertur Missa.

Conclusio Secunda.

Sacrificium Missæ, quantum ad substantiam, fuit institutum à Christo in ultimâ cœnâ, ubi consecravit panem in corpus, & vinum in sanguinem, in quo consistit præcisa ratio Sacrificij, ut dicemus ; & sic sacrificavit & tulit legem de illo Sacrificio, ut duraret in perpetuum, dicens Apostolis, *Hoc facite*, &c. Ratio congruentiæ, cur Christus instituerit hoc Sacrificium, est, quia ad novæ legis authorem

pertinebat instituere substantialia legis, cujusmodi est Sacrificium. Quoad cæremonias quæ adjungi solent Sacrificio Missæ, institutæ sunt & compositæ ab Ecclesiâ. Si quis dubitaret, an Christus sacrificaverit, posset convinci ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. & ex D. Paulo ad Hebr. 7. ubi Christus vocatur *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*: sicut ergo Melchisedech sacrificavit in pane & vino, sic Christus debuit sacrificare sub speciebus panis & vini, Si etiam quis dubitet, an Apostoli Missam celebraverint: respondebitur affirmativè ex Actuum 13. ubi enim Latinè habetur, *ministrantibus illis*, textus Græcus habet λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, idest, *ipsis celebrantibus Missam Domino*, Liturgia enim & Missa idem sunt. Deinde ad Corinth. 10. scribit Paulus, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est*? hoc autem est celebrare Missam.

Quæstio II.

Quid offeratur in Missa, & à quo?

In omni sacrificio requiritur Hostia quædam quæ offeratur Deo ad protestandum ipsius summum dominium, & exigitur Minister quidam offerens illam hostiam: cùm ergo Missa sit sacrificium, ut diximus, dicendum est quid in illâ offeratur, & à quo.

Conclusio.

IN sacrificio Missæ offertur Christus, seu corpus & sanguis eius, quatenus sunt sub speciebus, & hoc offertur à Christo tanquam ab offerente principali, & à Sacerdote tanquam ab offerente minus principali; licet insuper Ecclesia & fideles suo modo offerant.

Probatur prima pars ex Patribus, qui communiter docent, Christum in hoc Sacramento immolari: ergo ipse est hostia quæ offertur. Idem habetur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & ratio est, quia sacrificium Crucis & Missæ non differunt, nisi accidentaliter; in quantùm scilicet actiones sacrificandi sunt diversæ, & per unam Christus passibilis immolatur, per aliam Christus impassibilis: sicut ergo Christus fuit hostia immolata in cruce, sic etiam immolatur & offertur in Eucharistiâ, vel ejus corpus & sanguis, ut subsunt speciebus; non enim immolatur Christus, ut est in cœlo, quia debet fieri immutatio hostiæ; & Christus, ut est in cælo, non immutatur: ergo immutatur & immolatur ut est sub speciebus panis & vini, quia vi verborum sanguis est separatus à corpore.

Secunda pars tres alias habet, quarum prima habetur ex Concil. Later. Christum esse in hoc mysterio Sacerdotem & hostiam, & sic Christus est offerens: est autem offerens principalis, non quia illud instituit, aut fundatur in eius meritis; sed quia Ministri offerunt illud in personâ Christi, & illud consecrant: si enim proferrent hæc verba. *Hoc est corpus meum* nomine proprio, facerent panem corpus suum,

suum, & non corpus Christi; & sic Sacerdos se gerit in hoc ministerio ut Legatus, qui repræsentat personam principis, nempe Christi; & hoc sufficit ut Christus sit principalis offerens: qui enim dat eleemosinam per famulum, est principalis donans; unde sicut donatio principis est grata illi cui fit, licet famulus sit iniquus; sic hoc Sacrificium est Deo gratum, licet Minister sit immundus; quia principalis offerens mundus est, & Sacrificium mundum. Alii addunt, Christum esse principalem offerentem, quia prævidens omnia Sacrificia particularia quæ offerenda essent, illa obtulit Patri, & nunc quotidie offert. Quoad secundam partem, est conformis Concil. Nicæno & rationi, quia sacrificium & Sacerdotium sunt connexa: unde solus Sacerdos propriè offerre potest Sacrificium. Quilibet autem potest offerre, sive sit excommunicatus, sive degradatus, sive hæreticus; hoc enim pendet ab ordine. Quòd si Gratianus dicat, extra Ecclesiam non esse Sacrificium; hoc verum est de efficaci, & utili ipsi offerenti. Tertia tandem pars habetur ex Canone Missæ, ubi dicit Sacerdos; *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt:* ergo quilibet fidelis potest offerre Sacrificium Missæ suo modo, concurrendo scilicet ad Missam per opus externum; sive inserviendo, sive afferendo panem aut vinum, sive dando stipendium celebranti.

Objicies contra primam partem, Hostia præsupponitur actioni sacrificandi: sed non præsupponitur Christus sub specie panis & vini ad actionem sacrificantis: immò per eam ponitur

sub utràque specie : ergo Christus, ut est sub speciebus, non est hostia. Respondeo, hoc verum esse in sacrificiis animalium, ubi res oblata erat nobilior antequam offerretur, quàm post; antea enim erat vivens, & postea fit mortua; non sic autem de Eucharistiâ, ubi id quod sequitur ad destructionem panis, nempe Christus, est nobilior ipso pane.

Quæstio III.

In qua actione consistat essentia hujus sacrificii?

Plures sunt actiones in Missâ, scilicet oblatio panis & vini ante consecrationem, ipsa consecratio, oblatio corporis & sanguinis post consecrationem, fractio hostiæ & commixtio cum sanguine & tandem distributio laïcis. Non potest consistere sactificium in primâ Oblatione, quia nondum est Christus; non potest etiam consistere in secunda, quia pro tunc non immutatur hostia; non consistit tertiò in Fractione, quia si casu aliquo hostia in calicem caderet, omittenda esset fractio, & sumenda species panis cum calice; quartò non consistit in Distributione laïcis, multæ sunt enim Missæ, ubi Sacerdos solus communicat: superest ergo difficultas, an essentia hujus Sacrificii consistat in Consecratione, vel in Sumptione hostiæ.

CONCLUSIO.

SACRIFICIUM Missæ præcisè consistit in solâ Consecratione, non in Sumptione: non consistit inquam in Sumptione, quia de fide est, ut habet Concilium Tridentinum, quòd Christus sacrificaverit in nocte cœnæ, licet non sit de fide ipsum sumpsisse suum corpus & sanguinem; communior tamen pars doctorum hoc sentit. Deinde sacrificium est actio Sacerdotis, ut Sacerdos est, ad quam habet potestatem præcisè, ex vi suæ ordinationis, Sumptio autem non est actio Sacerdotis, nisi in quantùm fidelis est: ergo sacrificium non consistit in Sumptione: superest igitur ut in Consecratione consistat: diximus enim quòd Christus est principalis offerens in hoc sacrificio; ergo sacrificium consistit in illâ actione, quæ fit in personâ Christi, & Consecratio sola fit in personâ ejus, ubi Sacerdos nomine Christi, dicit, *Hoc est corpus meum*, & sic in Consecratione consistit Sacrificium Missæ. Adde quod Sacrificium consistit in illâ actione quæ immutat & destruit hostiam: hoc autem fit per Consecrationem, ubi Christus ponitur ut immolatus, quoniam separatur corpus à sanguine vi verborum.

Objicies, Sacrificium debet esse sensibile, ut patet ex definitione ejus; sed Consecratio seu mystica separatio corporis à sanguine, non est sensibilis: ergo, &c. Resp. esse sensibilem ratione Formæ, seu verborum quæ sensibiliter proferuntur, & quæ, quantum est in seipsis, idest mysticè, separant corpus & sanguinem. Dices, Ergo post Consecrationem potest non sumi Hostia, quod omnes negant. Respondeo,

duplicem esse finem hujus sacrificii, unus est intrinsecus scilicet gloria Dei, ad quam Missa destinatur; alius est extrinsecus, nempe utilitas sacrificantis: propter finem ergo extrinsecum non debet fieri Consecratio sine sumptione hostiæ.

Objicies ex 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur; hic est Calix qui pro vobis effunditur*; illa autem fractio & effusio fiunt in sumptione. Respondeo, quòd corpus frangitur, non in Sumptione, ubi franguntur tantum species, non corpus; sed in Consecratione, ubi ponitur corpus Christi ut immolatum & divisum à sanguine. Dices, Si sacrificium consistat tantùm in mysticâ fractione hostiæ: ergo hoc Sacrificium non est reale, sed tantùm mysticum. Respondeo, esse reale simul & mysticum; mysticum quidem, quia mysticè tantùm mactatur hostia; est tamen reale, quia continet realiter Christum qui Deo offertur. Dices, si sacrificium perficitur in solâ Consecratione, Sacerdos in consecrando deberet applicare suam intentionem pro vivis & defunctis; solet tamen Ecclesia facere memoriam defunctorum post consecrationem calicis. Respondeo, quòd effectus qui habetur per Missam ex opere operato, applicetur in ipsâ Consecratione; effectus autem qui applicatur dum Sacerdos facit memoriam defunctorum, est tantùm ex opere operantis; unde intentio ministri debet exprimi, vel paulò ante Missam, vel saltem ante Consecrationem.

Quæstio IV.

An Sacrificium Missæ sit propitiatorium & impetratorium?

Non dubitatur, quin sit Latreuticum seu Honorarium, in quantùm offertur ad cultum Dei qui summè honoratur per hoc Sacrificium: non est etiam difficultas, quin sit Eucharisticum seu Sacrificium laudis, in quantùm potest offerri in actionem gratiarum pro beneficiis à Deo acceptis: sed potest suboriri aliqua difficultas, an sit Impetratorium & Expiatorium: hoc ultimum negant hæretici; quia dicunt, quòd si Eucharistia esset Expiatoria, hoc cederet in injuriam Passionis Christi, qua Christus satisfecit abundantissimè pro omnibus peccatis, ut habetur ad Hebr. cap. 9. & 10. contra eos tamen erit

Conclusio.

Sacrificium Missæ est Expiatorium & Impetratorium: Expiatorium quidem, in quantùm, ut habet D. Paulus ad Hebr. 5. præcipuum munus Sacerdotis, est offerre sacrificium pro peccatis; non quòd formaliter peccata remittantur per hoc sacrificium, quia supponit gratiam: ergo offertur pro expiatione peccatorum. Deinde, in veteri testamento erant sacrificia propitiatoria, quæ vocabantur Hostiæ pro peccato, & quæ auferebant peccata legalia, & pœnam ipsis debitam: ergo Sacrificum Missæ expiat etiam peccata, & pœnas

illis debitas tollit, vel saltem partem earum. Per hoc tamen non fit injuria Passioni Christi, quia non est Sacrificium Missæ, quod nobis præcisè relaxat pœnam debitam peccatis; sed per Sacrificium Missæ nobis applicatur efficacia Sacrificii Crucis, sicut per quodcumque Sacramentum & per quamcumque actionem meritoriam efficacia crucis nobis applicatur. Quòd autem Sacrificium Missæ sit etiam Impetratorium, patet ex Liturgiis DD. Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi & aliorum, qui offerebant illud pro pace, & fructibus terræ impetrandis. Ratio est, quia si Sacrificium Missæ potest placare Deum ut peccata condonet, poterit etiam impetrare à Deo bona temporalia. Deinde sicut sacrificia veteris legis erant impetratoria, ut patet ex secundi Regum cap. 24. ubi David obtulit hostiam pacificam pro peste avertendâ; sic etiam nostrum sacrificium, quod est longè nobilius, erit impetratorium.

QUÆSTIO V.

Quis sit effectus Sacrificii Missæ?

NON loquimur de effectibus quos habere potest ex opere operantis; sicut enim per quodlibet opus bonum, homo in gratiâ constitutus, potest mereri augmentum gratiæ, auxilia actualia, satisfacere pro se & pro aliis, quoad pœnam temporalem, & sibi etiam & aliis multa impetrare; sic hoc potest etiam fieri

per Sacrificium Missæ, quod est actus præstantissimus orationis : loquimur ergo tantùm de effectibus qui procedunt à Sacrificio Missæ ex opere operato.

CONCLUSIO.

SACRIFICIUM Missæ non confert gratiam habitualem in se, nec in augmento immediatè; potest tamen utrumque facere mediatè. Non producit primò gratiam habitualem in se, quia supponitur jam producta, tùm in sacrificante, tùm in illis pro quibus Sacrificium meritoriè offertur. Non producit secundò augmentum gratiæ per se, quia crescceret gratia in infante, amente & dormiente, si pro illis offerretur; producere tamen potest utramque gratiam mediatè, impetrando scilicet actualia auxilia, mediantibus quibus peccator poterit resurgere à peccato, & sic recipere gratiam habitualem in se; impetrando etiam auxilia actualia justo, mediantibus quibus poterit elicere actum charitatis, & mediante illo actu crescere in gratia. Eodem modo dicendum est de remissione peccati ac de gratia; quòd scilicet non remittat peccata mortalia immediatè; sed tantùm mediantibus auxiliis actualibus, quibus homo à peccatis resurgit; & etiam venialia sic remittit, mediante scilicet speciali auxilio, excitante ad actum perfectum amoris divini, quo peccatum veniale remittitur : specialior ergo effectus Sacrificii Missæ est, quòd impetret gratias prævenientes, quibus peccatores ad pœnitentiam excitentur & justi ad majorem perfectionem; & quòd causet etiam relaxationem

pœnæ temporalis debitæ peccato, sive secundùm se totam, sive secundùm partem.

Quæstio VI.

An valor Sacrificii Missæ sit finitus vel infinitus?

Locuti fuimus in præcedenti quæstione de effectu Sacrificii Missæ, qui non tam se extendit ad gratias habituales procurandas, quàm ad impetrationem gratiarum prævenientium, quibus resurgant illi pro quibus offertur, & ad impetrationem etiam relaxationis pœnæ debitæ peccato; & tandem ad impetrationem beneficiorum temporalium. An autem hi effectus impediantur à ponentibus obicem, seu ab existentibus in peccato morrali; distinguendum est: si enim loquamur de relaxatione pœnæ temporalis, ille effectus non conceditur nisi justis, & non peccatoribus: An autem reviviscat ille effectus, quando quis resurgit à peccato, nihil certi affirmari potest, licet hoc credat Henriques: Quoad beneficia etiam temporalia, non est verisimile, quòd Deus illa conferat iis, qui illi sunt odio per peccatum. Si autem sermo sit de gratiis prævenientibus, collatio earum non impeditur per peccatum mortale; immò ideò offertur, ut per pœnitentiam remittantur peccata: potest tamen quis per obstinationem se reddere indignum, ut recipiat majores gratias, quas Deus daturus esset, si per insignem malitiam peccatoris non impediretur. Postquam autem hæc omnia dicta

sunt de effectu hujus Sacrificii, videndum nobis est, an valor & effectus ipsius, sit Finitus vel Infinitus : ubi per valorem Sacrificii intelligimus moralem dignitatem quam habet ex re oblatâ, vel ex parte offerentis ; per effectum verò intelligimus id quod datur intuitu talis dignitatis : & illa tandem dignitas repeti potest, vel ex parte offerentis principalis, qui est Christus, vel minùs principalis, qui est Sacerdos.

CONCLUSIO.

SACRIFICIUM Missæ ut est à Christo, est Infiniti valoris, & Finiti ut est à Sacerdote, & effectus illius simpliciter Finitus dici debet. Ratio primi est, quia Christus, qui est hostia & principalis offerens, est infinitæ dignitatis, ratione unionis ipsius cum Verbo Divino : ergo valor Missæ, ut ab utroque repetitur, est Infinitus : non quod habeat hoc Sacrificium potentiam merendi aliquid, aut operandi novam satisfactionem ; quia Christus qui beatus est, non est amplius in statu merendi : sed hoc Sacrificium dicitur Infinitum, quia habet vim infinitam impetrandi quòd Passio Christi applicetur nobis ; & sic hoc Sacrificium non facit injuriam Sacrificio Crucis, quia non habet suum effectum, nisi in ordine ad Passionem Christi, quam nobis applicat. Ratio secundi est, quia si spectetur Sacrificium Missæ, in quantùm à simplici Sacerdote offertur, vel ab Ecclesiâ, valor ille est Finitus, quia sanctitas utriusque est finita, & in oblatione magis consideratur donatio offerentis, quàm res oblata, quando res oblata non facit ditiorem illum cui offertur. Quòd si aliquis dicat, hoc

sacrificium esse infinitum in valore : hoc debet intelligi mediatè, quatenus impetrat peccatori gratias prævenientes, quibus deletur peccatum quod est aliquo modo infinitum. Ratio tandem tertii est, quòd si Sacrificium Missæ haberet effectum infinitum, tam prodesset omnibus quàm singulis, & Ecclesia uno Sacrificio Purgatorium vacuare posset ; & sic non deberet curare, quòd anniversaria pro eâdem animâ dicerentur: immò non deberet permittere, quòd pro unâ personâ particulari Missa celebraretur, iret enim contra charitatem, celebrando pro unâ, si sine diminutione effectûs, ita prodesset omnibus quàm uni : ex hoc etiam sequeretur, quòd qui accipisset centum eleemosinas pro centum missis à centum personis, posset satisfacere, si tantùm diceretur una Missa ; quia tam prodesset illis centum, quàm uni solùm, quod est pravum & erroneum sentire.

Objicies ex dictis, Principalis offerens est Christus, hostia oblata est ipsemet, & Sacerdos nihil facit nisi in personâ Christi; quoniam ergo hæc omnia sunt infinita, valor hujus Sacrificii erit infinitus, & effectus infinitus. Resp. quòd aliud est loqui de valore, aliud de effectu; posset enim valor seu dignitas Sacrificii esse infinita & producere effectum finitum ; non sufficit enim quòd aliquid sit infinitum in se, nisi offerens instituat illud ad effectum infinitum ; quodlibet enim opus Christi erat sufficiens ut redimeret genus humanum ; quia tamen Deus instituerat, ut sola mors Christi nostram salutem operaretur, ideò aliæ actione

pœnales non habuerunt effectum infinitum, nisi quatenus dicunt ordinem ad ipsius mortem: quia ergo Christus non instituit hoc Sacrificium, ut haberet fructum infinitum; ideò effectus ipsius remanet semper finitus. Deinde, omne opus meritorium mensuratur ab acceptatione divinâ; idest, in tantùm valet apud Deum, in quantùm acceptatur ab illo qui nemini tenetur: quoniam ergo Deus non acceptat Sacrificium Missæ, ut habeat effectum infinitum, ideò remanet finitus in effectu. Quòd autem Deus non acceptet illud pro infinito, habetur ab Ecclesiâ, quæ plura Sacrificia pro eâdem personâ offert.

Objicies secundò, Si plures Sacerdotes consecratent eamdem hostiam, & quilibet sibi applicaret fructum ejus, vel alteri, quilibet haberet tantum fructum, ac si unus consecraret, ut tenent communiter doctores; quod signum est Sacrificium Missæ habere effectum infinitum. Resp. verè quidem singuli haberent tantum fructum, quantum unus, sed hoc non procedit ex infinitate effectûs Sacrificii Missæ, sed ex eo quòd pro tunc essent plura Sacrificia, tot scilicet; quot essent Sacerdotes; quia singuli consecrant per se independenter, ut totales ministri, & Sacrificium consistit in actione consecrantis, quæ pro tunc esset multiplex, si proferrent verba eodem instanti. Quòd si hostia sit unica, hoc non impedit multiplicationem Sacrificiorum, sicut nec multæ hostiæ ab eodem Ministro consecratæ, faciunt plura Sacrificia.

Quæstio VII.

Pro quibus possit celebrari Sacrificium Missæ.

Triplex fit communiter applicatio Missæ. Prima est generalis, quæ fit ab Ecclesia applicante Sacrificium generaliter pro vivis & defunctis, & singulariter pro Summo Pontifice, Rege, Episcopo & aliis, quorum meminit Sacerdos, ut habetur in canone. Secunda est specialis, quæ competit illis, pro quibus Sacerdos intendit specialiter offerre Sacrificium. Tertia est specialissima, & hæc fit Sacerdotis: de secundâ nobis est quæstio.

Conclusio.

Sacrificium Missæ potest offerri pro omnibus viventibus, qui sunt intra Ecclesiam, sive sint justi, sive peccatores; sunt enim capaces fructuum hujus Sacrificii, dum sunt in hac vitâ: immò Sacerdos non potest aliquem excludere à tali oblatione; quia si hoc fieret palam, esset scandalosum; si clam, signum esset odii occulti. Non potest autem offerri pro excommunicatis excommunicatione majori, hoc enim prohibetur in Jure Canonico; potest tamen offerri pro infidelibus, qui sunt extra Ecclesiam, quia nulla lex prohibet; econtrà Paulus, jubet fieri orationes pro Regibus Gentilibus qui erant extra Ecclesiam: ergo Sacrificium Missæ, quod est præstantissimum genus orationis, potest illis applicari. Si Augustinus dicat, non debere offerri pro peccatoribus; hoc

est pro peccatoribus mortuis. Si Concil. Bracharense idem dicat de Catechumenis; loquitur de illis qui mortui sunt sine Baptismo. Quando Concil. Melid. dicit, non esse offerendum pro Energumenis; se explicat dicens, non debere nomina eorum recitari in publicâ oratione. Quoad mortuos, non potest offerri pro beatis, ut est Latreuticum, quia sic soli Deo offerendum est; nec ut Satisfactorium, quia non habent pœnam luendam; nec ut Impetratorium, quia nullo bono carent, quoniam summo bono fruuntur; potest tamen offerri pro illis, ut est Eucharisticum, agendo Deo gratias pro beneficiis, quæ Deus illis contulit; hoc enim cedit in eorum gaudium accidentale, videndo quòd in sui memoriam offeratur Deo Sacrificium. Quoad animas damnatas, pro illis non potest offerri; sunt enim fructuum ejus incapaces; quoniam *in inferno nulla est redemptio*; unde quod de Trajano & aliis ab inferno liberatis dicitur, reputatur fabulosum. Tandem quoad animas in Purgatorio existentes; potest illis applicari, ut est Satisfactorium; relaxat enim pœnas earum, applicando illis satisfactionem Christi: quomodo autem illis prosit, dicendum est, quòd prosit tantùm illis, quibus applicatur Sacrificium, & non aliis; ut pecunia quæ solvitur pro uno, & non pro alio: & ratio petitur ex hoc quòd satisfactio Christi applicetur ex intentione offerentis: unde Sacrificium Missæ non est ut lucerna accensa pro principe, quæ illuminat nedum illum, sed & alios qui sunt in comitatu, ut aliqui voluerunt.

Quæstio Ultima

De quibusdam circumstantiis ad Missam requisitis.

Quamplurimæ sunt circumstantiæ quæ Sacrificium Missæ concernunt; sed quia potiùs à Canonistis, quàm à Scholasticis exquiri debent, de solemnioribus tantùm dicetur aliquid, quæ videntur magis necessariæ: an v. g. Sacerdos celebrare teneatur; quâ horâ, quo loco, quibus vestibus celebrare possit, & debeat; & hæc omnia explicabuntur.

Conclusio.

Quoad necessitatem celebrandi, probabile est, quod Sacerdotes vi ordinationis suæ teneantur celebrare aliquoties in vitâ; licet aliqui sentiant contrarium, dicentes, de hoc nullum esse præceptum, nec divinum, nec Ecclesiasticum; unde explicant verba Christi dicentis, *hoc facite*, quòd scilicet per ea Christus voluerit obligare non singulos Sacerdotes, sed Ecclesiam totam, vel saltem prælatos, qui sunt successores Apostolorum, quibus Christus dixit, *hoc facite*; unde addunt, quòd Sacerdos per ordinationem acceperit quidem potestatem Sacrificandi, non obligationem; & quòd possit non Sacrificare, sicut potest non absolvere. Contrarium tamen tenetur communiter; & asseritur, quòd Sacerdos vi sui officii acceperit onus intercedendi pro populo apud Deum, sicut faciebant Sacerdotes veteris legis, & pro-

pter hanc causam teneatur offerre Sacrificium; si enim non sacrificaret, faceret, ut in vanum gratiam Dei recepisset, cùm in ordine potestatem consecrandi receperit: Deinde, nunquam sacrificando, daret occasionem scandali; tandem Pius V. videns Cajetanum dicentem Sacerdotem tantùm peccare venialiter, qui nunquam sacrificat; curavit hanc opinionem deleri ex commentario supra D. Thomam. Quoties autem teneatur sacrificare Sacerdos, hoc non expressè dicunt doctores, sed solùm affirmant quemlibet teneri, saltem aliquoties in anno celebrare.

Quoad horam celebrandi Sacrificium Missæ, non licet hoc facere ante auroram; cujus rei duplex affertur ratio: una mystica, quia offertur in Missâ Christus qui est candor lucis æternæ; & alia litteralis, quia ante crepusculum diei non sunt homines ad tam pium opus dispositi. Excipitur tamen ab hac regulâ nox Nativitatis Domini, & olim excipiebatur etiam nox Resurrectionis, in qua Missa celebrabatur, quia Christus in nocte surrexit; nunc autem cessavit illa consuetudo, & illa Missa anticipatur & dicitur in Sabbato Sancto. Quòd si Telesphorus determinaverit, Missam non esse celebrandam, nisi horâ tertiâ, loquitur de Missis Cathedralibus & Conventualibus. Si etiam loquatur de aliis, hoc communi consuetudine revocatum est. Missa etiam non debet regulariter post meridiem inchoari; dixi regulariter, per privilegium enim licet aliquando etiam post meridiem celebrare.

Quoad locum hujus Sacrificii, debet fieri

celebratio in Ecclesiâ, ob reverentiam; potest tamen Episcopus sine ullâ necessitate, utendo solùm jure suo, dare licentiam celebrandi in domo privatâ, & oratorio non consecrato; modò habeatur semper altare portatile. Quoad Ecclesiam violatam, non licet in eâ celebrare. Sex autem modis potest violari Ecclesia: primò, propter voluntarium homicidium; secundò, propter injuriosam sanguinis effusionem; tertiò, propter seminis humani effusionem, non occultam; quartò, per sepulturam fidelis excommunicati; quintò, per sepulturam infidelis; sextò, quando parietes comburuntur, vel ita destruuntur, ut integrè reædificari debeant. Qui in Ecclesiâ violatâ celebrat, peccat mortaliter; non tamen fit irregularis, sicut qui celebrat in Ecclesiâ interdictâ. Potest dare Episcopus licentiam celebrandi in loco violato, quia potest dare licentiam consecrandi in non consecrato. Si violatio contingat ante canonem inceptum, Sacerdos debet desinere: si post, debet absolvere. Si Ecclesia sit tantùm benedicta & non consecrata, potest Sacerdos statim eam reconciliare per aspersionem aquæ benedictæ, & alias cæremonias quæ habentur in Rituali: si autem sit consecrata ab Episcopo, debet ab eo reconciliari.

Quoad ornamenta; requiruntur primò altare lapideum consecratum, sivè portatile; & in hoc non potest dispensare Episcopus, nec Papa unquam fecit, licet possit facere. Secundò, linteum super altare, quod ipsum tegat; deinde mappa, super quam ponatur

corporale; & sic ad minimùm debent esse duæ palæ extensæ, vel una duplicata. Tertiò corporale benedictum ab Episcopo, vel ab alio habente privilegium benedicendi. Quartò, debet esse lumen, sine quo peccatum mortale est celebrare. Quintò, Missalis liber, in quo sit ad minùs canon, & sine ipso celebrans peccat mortaliter, quia se exponit periculo. Sextò, requiruntur calix & patena, quæ sint aurea, argentea, vel ad minùs stannea. Septimò, tandem requiritur alba, cingulum, amictus, stola, manipulus, & casula.

CAPUT QUINTUM.

De Pœnitentiâ.

POENITENTIA, quæ secundum vim nominis, nihil aliud est, quàm pœnæ tenentia, in quantùm peccator debet in se tenere pœnam pro peccato commisso expiando; potest spectari vel ut est virtus, vel ut est Sacramentum; antequàm autem agamus de pœnitentiâ, ut Sacramentum est, quædam prælibanda sunt de eâ, ut est virtus; & tria præcipuè, nimirum quid sit pœnitentia virtus? in quibus conveniat cum Pœnitentiâ Sacramento? & tandem in quibus discrepet?

Quoad definitionem Pœnitentiæ, ut virtus est, sic traditur: Est virtus supernaturalis inclinans hominem ad detestationem peccati,

in quantùm est offensa Dei, cum voluntate satisfaciendi Deo. Primò, dicitur *virtus*; detestari enim peccatum est actus honestatis & laudabilis à pœnitentia procedens, tanquam ab habitu laudabili & honesto, maximè quando talis detestatio habetur propter Deum offensum. Ideò etiam dicitur *supernaturalis*, quia actus pœnitentiæ disponunt ad gratiam: ergo sunt supernaturales; ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Post tamen dari aliqua pœnitentia naturalis procedens à lumine naturæ, quod dictat Deum authorem naturæ non esse offendendum: sed illa pœnitentia non conducit ad gloriam. Quando postea additur, quod Pœnitentia sit virtus supernaturalis *inclinans ad detestationem peccati*; ex hoc patet quòd peccatum est objectum materiale ejus; & quando subjungitur, *ut est offensa Dei*; illa formalitas est objectum formale pœnitentiæ: quia aliæ virtutes detestantur vitium sibi oppositum, ut sibi oppositum est; pœnitentia verò detestatur peccatum, ut est Dei offensivum; & sic Pœnitentia est virtus ab aliis distincta, quæ est pars potentialis justitiæ; quoniam per pœnitentiam aliquomodò compensamus Deum pro peccato commisso. Cùm denique apponitur, quòd talis detestatio debeat fieri *cum efficaci voluntate Deo satisfaciendi*; hoc ideò adjungitur, quia talis voluntas requiritur ad remissionem peccati; Unde sciendum est, quòd Pœnitentia virtus necessaria sit absolutè, sivè implicitè, sivè explicitè, ut recipiamus effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

Quantùm ad convenientias Pœnitentiæ ut est

virtus, & ut est Sacramentum, hæ sunt. Vtraque est utilis medicina ad delendum peccatum actuale; immò si peccatum mortale sit, utraque est necessaria: Utraque versatur circa peccatum actuale: Utraque habet pro subjecto hominem adultum: Ut Sacramentum tamen est, respicit hominem baptisatum, & ut virtus, ad non baptisatum etiam pertinet. Utraque potest iterari, etiam circa idem peccatum, pluries illud detestando aut confitendo.

Quantùm autem ad differentias utriusque, dicendum est, quod disconveniant in his: quia scilicet Pœnitentia virtus est sub genere habitûs, aut actûs; Sacramentum verò sub genere signi. Deinde Pœnitentia virtus, est actus internus; licet enim aliquando ad actum externum transeat, potest tamen salvari in actu interno, quo quis in corde detestatur peccatum; ut est autem Sacramentum, præter internum dolorem addit adhuc actum externum, nempe confessionem & absolutionem. Tertiò Pœnitentia virtus, est quædam pars essentialis Pœnitentiæ Sacramenti, quæ confunditur cum Contritione; Pœnitentia verò Sacramentum, est ipsum totum Sacramentum quod involvit Confessionem, Dolorem, Satisfactionem, & Absolutionem. Tandem Pœnitentia virtus, est de iure naturali divino; dictat enim ratio naturalis detestandum esse peccatum commissum contra Deum; Pœnitentia verò, ut Sacramentum, est de jure divino positivo, scilicet de institutione Christi; antequam enim Christus instituisset Sacramenta novæ legis, Pœnitentia erat tantùm virtus, non Sacramentum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Pœnitentia Sacramentum, quando fuerit instituta, & an necessaria fuerit?

POENITENTIA potest sumi, pro retractatione voluntatis, etiamsi mala non sit; & sic illum pœnitere dicitur, qui vellet aliquid non fecisse: sumitur aliquando pro dolore de rebus malefactis; & tunc si procedat ex motivo supernaturali, dicitur pœnitentia virtus: sumitur etiam pro absolutione à censuris, & tunc non est præcisè Sacramentum; per talem enim absolutionem non remittuntur peccata, sed tantùm relaxatur vinculum & pœna imposita ab Ecclesiâ: sumitur quartò pro satisfactione impositâ à ministro absolutionis, & pro tunc non est nisi pars materialis hujus Sacramenti: tandem sumitur pro pœnitentiâ Sacramento, & de eâ sic sumptâ nobis dicendum est.

CONCLUSIO PRIMA.

POENITENTIA est novæ legis Sacramentum, consistens in actibus pœnitentis & absolventis, quod institutum fuit à Christo per modum judicij emendativi ad remissionem peccatorum. Dicitur *novæ legis Sacramentum*; quia ante Christum Pœnitentia non erat Sacramentum, ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. unde, quando in veteri testamento mentio fit de Pœnitentia cui Deus promittit remissionem peccatorum, hoc intelligendum est de Pœnitentiâ virtute, seu de contritione. Dicitur secundò,

consistens in actibus pœnitentis & absolventis; quia actus utriusque sunt materia proxima Pœnitentiæ. Dicitur quòd sit *à Christo institutum*, ut mox videbitur. Additur, *per modum judicii emendativi*; per Pœnitentiam enim, seu per absolutionem non condemnatur, sed emendatur homo. Subjungitur denique, *ad remissionem peccatorum*, ut pateat quod peccata mortalia, sint materia circa quam versatur Pœnitentia.

Conclusio Secunda.

Institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ à Christo sicut & alia, ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 10. Quantùm ad tempus, institutum fuit quando post resurrectionem dixit Apostolis Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sic Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. Quando ergo Christus Matthæi 18. dixit Apostolis, *Quæcumque alligaveritis, &c.* erat tantùm promissio facta illis de potestate absolvendi, sicut quando dixit Petro Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum.* Et talis potestatis habuit possessionem Petrus, cùm dixit illi Iesus Joann. ult. *Pasce oves meas*; pro tunc enim illum constituit Summum Pastorem, cum supremâ potestate. Quando etiam Christus dixit Apostoiis, *Pœnitentiam agite*, loquebatur de Pœnitentiâ virtute. Non audiendi sunt consequenter illi qui asserunt, Pœnitentiam fuisse institutam antequam Apostoli communicarent; quia non requiritur Pœnitentia Sacramentum, nisi post institutionem Christi; & sic ut Apostoli debitè

sumerent Corpus Christi, sufficiebat Contritio, seu Pœnitentia virtus pro illis qui erant conscii peccati mortalis, ut Judas; hoc tamen non impedit, quin inchoata fuerit Pœnitentia nocte cœnæ, quando Christus ordinavit Apostolos, deditque illis per ordinem caracterem Sacerdotalem, qui est fundamentum potestatis absolvendi; quod autem fuit pro tunc inchoatum, perfectum fuit tempore supradicto, juxta Concilium. Quòd si Christus ante resurrectionem remiserit peccata Magdalenæ & aliis, hoc non faciebat vi Sacramenti, sed propriâ virtute. Quod si etiam quis dicat, potestatem absolvendi dari cum ordine sacerdotali, & sic Christum ordinando Apostolos instituisse Pœnitentiam, hoc negandum est: recipitur enim primò actualis potestas consecrandi, cùm Episcopus dicit, *Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ*; & posteà recipitur potestas absolvendi, cùm dicit Episcopus. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* Quia tamen per prima verba confertur caracter ordinis, qui non confertur novus per alia verba, sed tantùm augetur, ideò potest dici quod potestas radicalis absolvendi tradatur per prima, & compleatur per secunda.

Conclusio Secunda.

Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium illis qui mortaliter peccaverunt post baptismum, tùm necessitate medii; quia est medium sine quo peccatum mortale actuale remitti non potest: tùm necessitate præcepti, ut habetur in Concilio Tridentino sessionis 14. cap. 2. Hujus ratio est, quia quæcumque sunt necessa-

ria necessitate medii, sunt etiam necessaria necessitate præcepti, saltem si sint in nostrâ potestate; & hoc ideò additur, quia prima gratia est necessaria necessitate medii, non verò præcepti; quia autem Pœnitentia est necessaria necessitate præcepti, ideò ille qui iam est contritus, debet adhuc confiteri peccata & absolvi ab illis; unde in Contritione virtualiter includitur Pœnitentia. Porrò, quando diximus, Pœnitentiam esse necessariam; hoc est vel in re, vel in voto; immò potest aliquando fieri, quòd virtualis Pœnitentia sufficiat; aliquis enim potest per actum amoris divini perfectam obtinere remissionem sui peccati: sed quia nullus potest perfectè Deum diligere, nisi doleat saltem virtualiter de offensis in Deum commissis, ideò talis actus amoris divini dicitur involvere votum Pœnitentiæ, saltem implicitè.

Objicies: Pœnitentia non est necessaria nisi ad tollendum id quod remansit in peccatore, transeunte actu peccaminoso; sed nihil remansit: ergo non requiritur Pœnitentia. Resp. distinguo minorem; nihil remansit quoad substantiam actus, concedo: nihil remansit quoad reatum peccaminosi actûs: nego: Vel nihil remansit physicum, concedo: morale, nego; remansit enim reatus & obligatio ad pœnam; seu remansit culpa, qua homo est ingratus Deo, & obligatio ad pœnam æternam pro peccato mortali, quæ commutatur in temporalem per Pœnitentiam; & illud morale, quod remanet post actum peccati, non est quid reale; sed est tantùm respectus rationis; ut quando

quis propter injuriam factam principi, est illi inimicus & ad pœnam deputatur, nihil reale & positivum in eo reperitur.

Quæstio II.

Quænam sit Materia Pœnitentiæ?

Materia Pœnitentiæ, vel est remota, vel proxima; vel est etiam sufficiens, vel necessaria. Materia sufficiens est ea, quæ sufficit ut conferatur absolutio; sic peccatum veniale & mortale jam confessum & remissum, sunt materia sufficiens Pœnitentiæ; peccata verò mortalia nondum confessa sunt materia necessaria, quia necessariò debent explicari, ut gratia conferatur. Quando autem dicimus, quòd peccata sunt materia pœnitentiæ; hoc intelligitur de materiâ circa quam destruendam; ad destructionem enim peccati tendit Pœnitentia.

Conclusio Prima.

Materia remota Pœnitentiæ sunt peccata actualia commissa post Baptismum: quia materia remota est ea circa quam versatur materia proxima; sed actus pœnitentis; qui sunt materia proxima, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, versantur circa peccata quæ confitemur, & de quibus dolemus: ergo peccata sunt materia remota. Dixi, commissa post Baptismum; ea enim quæ committuntur ante Baptismum, & non sunt expiata per illum, propter obicem & fictionem, non sunt materia Pœnitentiæ;

Pœnitentiæ; quia sunt commissa ab illis qui sunt extra Ecclesiam; quia verò pœnitentia est judicium, & non potest fieri judicium, nisi in ea quæ subduntur Ecclesiæ; dicendum est, quòd illa peccata quæ sunt commissa ante Baptismum fictè receptum, remittuntur per ipsummet baptismum præcedentem, quando scilicet removetur obex: fictio verò quæ est peccatum concomitans & subsequens Baptismum, est Materia Pœnitentiæ; & sic licet baptisatus non teneatur confiteri peccata ante Baptismum fictè receptum commissa, tenetur tamen confiteri fictionem & alia peccata quæ sequuntur. Quia diximus peccata esse Materiam Pœnitentiæ, nedum mortalia, sed etiam venialia ipsi subsunt; cum hoc discrimine, quòd mortalia sint Materia necessaria Pœnitentiæ, venialia autem sunt tantùm Materia sufficiens; Unde quis potest confiteri tantùm unum aut duo peccata venialia & alia reticere; quoad peccata verò dubia, non sunt materia neque necessaria, neque sufficiens Pœnitentiæ; Unde Sacerdos non debet impendere absolutionem, quando pœnitens est dubius si peccaverit: quòd si tamen sint quædam circumstantiæ non quidem convincentes, sed quæ magis inclinent in partem peccati, potest dari absolutio sub conditione.

Conclusio Secunda.

Materia proxima Pœnitentiæ, sunt actus pœnitentis, nimirum Contritio, Confessio & Satisfactio; Absolutio enim cadit immediatè super illos actus; & mediatè super peccata, & hi tres actus congruè requiruntur,

ut corde, ore & opere compensemus injuriam Deo factam per peccatum. Hi autem actus requiruntur, tùm pro peccatis mortalibus, tùm pro venialibus; ita quòd tamen Contritio, Confessio, & Satisfactio, cadentes supra peccata venialia & supra mortalia jam confessa, sunt materia proxima sufficiens Pœnitentiæ, cadentes verò supra mortalia non confessa, sint materia necessaria.

Objicies contra id quod diximus, peccata mortalia jam confessa & remissa, esse materiam sufficientem pœnitentiæ, quòd scilicet forma non possit bis cadere supra eamdem materiam: ergo nec absolutio duplex supra idem peccatum. Respondeo, nostram assertionem veram esse; Benedictus enim Undecimus in extravaganti primâ de Privilegiis, dicit esse salubrem talem confessionem, cujus ratio peti debet ex institutione Christi, qui ad majorem utilitatem animarum, non limitavit hoc Sacramentum ad unum actum remissionis; unde, ut respondeatur ad objectionem, dico; Quòd forma non possit quidem cadere bis supra eamdem materiam proximam; unde sacrilegium esset proferre duplicem absolutionem supra unam confessionem; forma tamen potest cadere bis super eamdem materiam remotam; ex eâdem enim aquâ potest fieri multiplex Baptismus; & sic absolutio poterit cadere supra duplicem confessionem quam aliquis faciet de eodem peccato.

Objicies secundò: Si peccatum jam remissum denuò absolvatur; Forma absolutionis qua Sacerdos dicit, *Ego te absolvo*, non erit

vera; quia non absolvit à peccato nec peccatum remittit, quoniam jam remissum est. Respondeo, quòd Sacerdos non absolvit in tali occasione absolutè, quasi remittat peccatum antea non remissum; quia prima absolutio semper manet rata, absolvit tamen proportionatè, juxta dispositionem suscipientis, augendo scilicet ipsius gratiam per beneficium absolutionis: absolutio ergo habet suum effectum, qui consistit in collatione gratiæ, qua peccatum deletur, si sit in animâ; vel qua anima magis gratificetur, si non habet peccatum; & sic forma est semper vera suo modo.

Quæstio III.

Quænam est Forma Pœnitentiæ?

Scotus ait, Pœnitentiæ essentiam consistere in verbis formæ, quamvis requirantur necessariò actus pœnitentis ad validam ejus receptionem. D. Thomas verò & alii, asserunt essentiam Pœnitentiæ constare ex actibus pœnitentis & absolutione tamquam materiâ & formâ: sed facile conciliantur; quia Scotus per essentiam intelligit id quod præcisè confert gratiam, quod attribuendum est verbis; sicut enim sola verba significant gratiam, proinde illam conferunt. Hoc non impedit autem, quominus actus pœnitentis requirantur ad faciendam essentiam completam hujus Sacramenti. Quærimus autem hìc, quænam sint verba quæ pertinent præcisè ad formam hujus Sacramenti.

CONCLUSIO.

FORMA Pœnitentiæ consistit præcisè in his duobus verbis, *absolvo te*; pronomen enim, ego, continetur sub verbo: & ratio nostra est, quia forma cujuslibet Sacramenti, consistit in illis verbis quæ significant proprium effectum ejus; sed illa duo verba significant remissionem peccati quæ est ejus effectus: ergo forma illius præcisè consistit in ipsis. Eumdem tamen effectum possent producere verba æquipollentia, & sic validè absolveret quisquis, dicendo, *remitto tibi peccata*, *impertior tibi Sacramentum absolutionis*, *libero te à peccatis tuis*, *absolvo tuam dominationem*, *absolveris à me*, *absolvatur servus Christi*, ut Græci dicunt. Potest etiam cadere absolutio super plures in necessitate, ut in periculo naufragii, vel pugnæ imminentis. Ex hac conclusione plura colligi possunt scitu dignissima.

Primò, verba quæ præcedunt aut sequuntur non esse de necessitate Sacramenti: congruè tamen præmittitur ista deprecatio, *Misereatur tui*, ad impetrandum à Deo ne sit impedimentum ex parte recipientis. Non est necessarium addere, *à peccatis tuis*; quia factâ confessione peccatorum, satis patet sententiam absolutionis applicari ad peccata confessa; jure tamen dicitur ad majorem expressionem. Frustra dicitur *ab omnibus*, quia non potest unum absolvi sine alio. Non est tandem necessarium dicere, *in nomine Patris & Filii, Spiritus Sancti*; unde Doctores sentiunt Pœnitentem esse absolutum eo instanti, quo hæc verba proferuntur, *absolvo te*,

Secundò, quòd per hæc verba, *absolvo te*, Sacerdos non tantùm declaret pœnitentem esse absolutum à Deo, ut vult Magister sententiarum; sed reipsâ Sacerdos absolvit, tùm à culpâ, tùm à pœnâ æternâ quam commutat per absolutionem in temporalem; si enim Sacerdos tantùm declararet pœnitentem esse absolutum à Deo, debuisset Christus dicere, quæcumque soluta sunt in cælis, solvetis in terrâ; contrarium tamen dixit, scilicet, *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Concil. Constant. determinavit hanc veritatem, sicut Trident. sess. 14. cap. 16. unde Martinus V. declaravit hæreticum contrarium asserentem. Quòd si Deus dicat Esayæ 43. *Ego ipse deleo peccata*; hoc est, principaliter, & Sacerdos ministerialiter.

Tertiò sciendum, Absolutionem sub conditione futurâ esse invalidam, validam verò sub conditione de præsenti; unde non potest Sacerdos dicere, *ego te absolvo*, si cras restituas; potest tamen dicere, *ego te absolvo* si doles, vel si intendas restituere. Ratio autem quare absolutio sub conditione futurâ non valet, est; quia Sacerdos non potest suspendere effectum Sacramenti; Sacramentum enim vel est validum statim atque prolata est forma, vel est validum adveniente conditione; non autem est validum dum profertur forma, quia Sacerdos non habet intentionem ipsum absolvendi, nisi positâ conditione; non est etiam validum cum ponitur conditio, quia pro tunc non est ampliùs materia, nec forma: ergo sub tali conditione futurâ invalida est absolutio: sic omnes Doctores.

Quartò notandum, absolutionem non posse dari absenti ; unde Clemens Octavus in decreto super hoc edicto statuit absolutionem absenti collatam esse invalidam, & illos affici excommunicatione Summo Pontifici reservatâ, qui absolvunt absentem, vel dicunt, aliquem posse per litteras, vel per nuntium peccata confiteri absenti, & ab eodem absolutionem obtinere. Ratio est, quia forma debet proferri voce humanâ, & ad personam præsentem dirigi, ut patet ex particulâ, *absolvo te*, quoad personas præsentes. Nec Absolutio debet dari in scriptis, nec Confessio fieri ; utraque enim debet esse verbalis, & maximè Absolutio ; licet enim Confessio defectu linguæ possit fieri signis & nutibus, non tamen sic Absolutio dari potest ; unde differt Pœnitentia à Matrimonio, quod potest confici nutu, signo, & inter absentes : quia Christus instituit Matrimonium ut contractum, cui addidit nomen Sacramenti ; sic autem potest fieri contractus. Quòd si quis dicat, Absolutionem posse dari in scriptis, hoc verum est de Absolutione censurarum, & de relaxatione reservationis casuum ; non verò de Absolutione Sacramentali, quæ tollat peccatum reservatum, vel delictum cui annexa est censura.

Quæstio IV.

Virùm per Pœnitentiam omnia peccata remittantur?

Cum locuti fuerimus anteà de naturâ Pœnitentiæ, ipsius Materiâ & Formâ, nunc dicendum est de ipsius Effectu, qui est quadruplex; quorum primus versatur circa remissionem peccatorum mortalium: Secundus circa remissionem venialium: Alter circa relaxationem reatûs seu pœnæ debitæ peccato: Ultimus tandem de revivisscentiâ meritorum & recuperatione virtutum. De his deinceps quæremus primò, an per Pœnitentiam quodlibet peccatum mortale remittatur.

Conclusio.

Omnia peccata mortalia per pœnitentiam ita remitti possunt, ut nec gravitas, nec multitudo ipsorum hanc remissionem impediat. Hoc est contra Novatianos dicentes aliqua peccata, præsertim Apostasiam à fide, & Negationem Christi in tormentis, non posse remitti. Quòd multitudo peccatorum non impediat Pœnitentiam, patet ex responso Christi ad Petrum, *Non dico tibi usque septies, sed septuagies septies*, quod omnes intelligunt de infinitis vicibus. Quod gravitas peccatorum non obstet efficacitati Pœnitentiæ, testatur Esayas cap. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Quoad opinionem

Novatianorum, contradicit scripturæ ; quoniam Petrus qui Christum negavit egit pœnitentiam, & Paulus 2. ad Timotheum 2. docet eos qui à fide defecerunt, admonendos esse, si fortè per Pœnitentiam resipiscant. Quoad rationes utriusque partis confirmativas, petuntur ex hoc quòd infinitus sit thesaurus bonitatis divinæ; quòd etiam Deus velit neminem perire, quòd insuper damnatus fuerit Caïnus dicens, *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*; quod denique homo in hac vitâ existens est semper viator, & proinde potest semper accedere ad beatitudinem, & per consequens potest semper obtinere remissionem suorum peccatorum per Pœnitentiam. Non est ergo credendum, esse quemdam numerum peccatorum ad quem perveniens peccator, non possit amplius veniam obtinere : Unde, si scriptura aliquando dicere videatur, quòd mensura peccatorum est implera; hoc intelligitur respectu punitionis temporalis, non verò æternæ; ita quod sensus sit, quòd Deus decreverit permittere certum numerum peccatorum, & postea punitionem temporalem infligere de illis.

Objicies ex ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, & reciderunt, rursus ad Pœnitentiam renovari.* Resp. hoc intelligi de renovatione per alium baptismum, qui vocatur Pœnitentia, ad differentiam multiplicis lavacri quod erat in vereri lege; vel si sit sermo de Pœnitentiâ, ibi *impossibile* sumitur pro difficili. Quòd si ad Hebr. cap. 10. dicat Paulus, *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam ve-*

ritatis non relinqui hostiam pro peccato; hoc est, non debere expectari quòd Christus iterum pro illis moriatur. Quòd si peccata in Spiritum Sanctum dicantur irremissibilia: Respondendum, quòd aliqui per peccata in Spiritum Sanctum intelligant Præsumptionem de divinâ Misericordiâ, Desperationem de illâ, Contemptum gratiæ, Invidentiam fraternæ gratiæ, & Impugnationem agnitæ veritatis; quæ omnia peccata lædunt Bonitatem divinam, quæ appropriatur Spiritui Sancto; & pro tunc illa peccata dicuntur irremissibilia, in quantum scilicet difficile est, ut remittantur: Scotus verò per peccatum in Spiritum Sanctum intelligit Impœnitentiam finalem, quæ certè irremissibilis est, quia supponitur quòd homo in illâ decedat. Sic etiam intelligendus est Joannes dicens, *Esse peccatum ad mortem*: loquitur enim de peccato, cum quo aliquis moritur, & pro tali non est orandum.

Quæstio V.

An peccata possint remitti sine Pœnitentia?

Constat primò, sine Pœnitentiâ Sacramento posse remitti peccatum cum Pœnitentiâ virtute; quando scilicet deest locus Sacramento Pœnitentiæ, secundùm Chrysostomum Homil. 23. in Matthæum, *Non est aliquod omninò peccatum quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* Constat 2. quòd ubi adest copia Pœnitentiæ Sacramenti, peccatum non remittatur

sine illâ de communi lege. Constat 3. quòd virtualis Pœnitentia, quæ consistit in dilectione Dei super omnia, possit remittere peccatum; qui enim nullo modo de peccatis cogitat, potest elicere actum dilectionis Dei, quo convertitur ad Deum, & per quem paratus est compensare injuriam Deo factam, & observare illius mandata: sed dubitatur, utrùm sine Pœnitentiâ virtute & sine Pœnitentiâ Sacramento formali aut virtuali, possint remitti peccata per absolutam Dei potentiam.

CONCLUSIO.

DE potentiâ Dei absolutâ potest remitti peccatum sine Pœnitentiâ, modò homo non actualiter inclinetur ad illud; habere enim talem affectum actualem est peccare de novo. Conclusio hæc est Scoti in quartum distinct. 14. quæst. 1. parag. *Ex his*. Cujus ratio est, quia actus peccatoris, v. g. Attritio non requiritur ad remissionem peccati, tamquam forma per se expellens peccatum, sed tanquam dispositio; atqui non repugnat Deum conferre effectum formalem absque dispositione: ergo Deus potest conferre gratiam, qua peccatum remittatur; sine pœnitentiâ & sine ullo actu pœnitentis. Non dependet enim infusio gratiæ ita absolutè à Pœnitentia hominis, ut implicet contradictionem illam dari absque ullo actu ejus. Deinde, per potentiam absolutam Deus potest ita diligere hominem in peccato, ut illum elevet ad sui visionem: ergo poterit elevare ad gratiam. Tandem non est quid minus dare suum filium peccatoribus, quam gratiam; sed Deus dedit nobis suum filium cum adhuc esse-

mus in peccato : ergo poterit dare gratiam peccatori, dummodo non adhæreat actu suo peccato.

Objicies, Tamdiu peccator in peccato manet, quamdiu illud non retractavit : ergo non potest peccatum remitti sine actu peccatoris. Resp. antecedens esse verum de lege communi, in qua Pœnitentia necessaria est; falsum tamen de lege extraordinariâ, ubi Deus altiori modo remitteret peccatum per formam contrariam ipsum expellentem, nempe per gratiam, quæ daretur sine illâ Pœnitentiâ. Dices, Ut tollatur peccatum, debet tolli conversio ad creaturam; sed illa conversio non potest tolli nisi per actum peccatoris : ergo sine actu peccatoris, idest sine Pœnitentiâ, peccatum non potest remitti. Resp. talem conversionem posse tolli per infusionem gratiæ, quæ habet vim convertendi hominem ad Deum, & proinde tollit conversionem ad creaturam.

Quæstio VI.

Vtrùm peccatum possit remitti sine infusione gratiæ?

EX præcedenti quæstione sine Pœnitentiâ & motu pœnitentis potest peccatum remitti per gratiam habitualem, quæ est forma incompossibilis cum peccato, & proinde peccatum tollit. Hic quærimus, an etiam sine ipsâ gratiâ & sine actibus pœnitentis possit peccatum remitti de potentiâ Dei absoluta.

CONCLUSIO.

SINE ullâ mutatione pœnitentis, neque extrinsecâ, quæ fiat per actus ipsius; neque intrinsecâ, quæ fiat per infusionem gratiæ, potest peccatum remitti per condonationem; modò, ut diximus, voluntas peccatoris nullo modo actualiter adhæreat peccato; quia si actu inhæreret, esset novum peccatum, & implicat peccatum remitti pro eo instanti quo committitur; quia peccatum sic esset, & non esset. Ratio est, quia Deus potest facere sine causa secundâ, quod facit cum eâ; atqui per gratiam Deus remittit peccatum: ergo sine illâ potest illud remittere, simpliciter condonando ipsum. Deinde, macula & offensa quæ incurritur per peccatum non est physica, sed moralis: ergo ut tollatur, non requiritur mutatio physica quæ fiat per gratiam, sed sufficit mutatio moralis per condonationem: illa tamen remissio peccati non erit propriè iustificatio, quia non infundetur gratia iustificans: Unde ille cui peccatum remitteretur sine gratiâ, non esset propriè amicus Dei, quia non haberet gratiam; nec esset inimicus, quia non haberet peccatum; sed amor ille, quem Deus haberet pro illo homine, esset purè naturalis, quia per eum diligeretur homo in puris naturalibus existens.

Objicies: Peccatum habituale consistit in privatione gratiæ: ergo non potest tolli sine infusione illius. Resp. negando antecedens, aliàs Angelus in puris naturalibus existens esset peccator; sed consistit peccatum in aversione à Deo, quæ involvit privationem gratiæ:

& aversio à Deo duplex adhuc est ; negativa scilicet, qua homo non est conversus ad Deum, & hæc non habet rationem peccati; & positiva, qua homo positivè est aversus à Deo & illi contrarius: si sine gratiâ peccatum remitteretur, homo remaneret auersus à Deo, idest non conversus ad illum, neq; per gratiam, neque per pœnitentiam; non esset verò aversus à Deo positivè, neque contrarius, quia non haberet peccatum. Dices, Peccatum remanet quamdiu remanet macula; sed macula non potest tolli nisi per gratiam : ergo nec peccatum. Negatur minor, illa enim macula non est forma realis & physica, quæ debeat deleri per formam realem & physicam; sed est tantùm moralis, quæ consistit in inimicitiâ Dei, quam Deus potest condonare gratis; & pro tunc esset signum & effectus amicitiæ Dei, non quidem positivæ quâ Deus conferret bonum seu gratiam, sed negativæ, qua Deus auferret malum.

Objicies, Causa formalis justificationis est gratia ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. ergo sine illâ peccator non potest justificari : ergo nec peccata ejus sine eâ remitti possunt. Resp. concedendo primam consequentiam : quia nullus reverà justificari potest sine gratiâ justificante, potest tamen remitti peccatum ejus sine justificatione, per condonationem scilicet; & sic negatur ultima consequentia. Dices, Ergo pro tunc peccata remitterentur per non imputationem, quod est Calvinisticum. Negatur consequentia, quia quando peccata non imputantur, non tolluntur reverà; si verò

condonarentur, tollerentur absolutè, licet non tollerentur per justificationem, ut fiunt de lege communi & per Pœnitentiam ordinariam, ubi Deus perfectiori modo remittit peccatum, tollendo scilicet peccata & peccatorem justificando.

Quæstio VII.

An unum peccatum mortale possit remitti sine alio?

De lege communi hoc non fit: quia enim Deus remittit peccatum mortale per gratiam, non potest remitti unum peccatum mortale per infusionem gratiæ, si remaneat aliud; pro tunc enim homo esset simul amicus Dei, per gratiam scilicet; & inimicus ejus, nempe per peccatum quod remaneret: quando ergo justificatio hominis fit per infusionem gratiæ, omnia mortalia tolluntur. Quæstio ergo nostra est de lege Dei absolutâ; & affirmativa erit

Conclusio.

De potentiâ Dei absolutâ, unum peccatum mortale sine alio remitti potest; si enim, ut diximus in præcedenti conclusione, Deus absolutè possit remittere peccata per condonationem, poterit remittere unum sine alio; quia potest condonare unum, non condonando aliud. Deinde, Deus potest statuere per quemcumque actum Contritionis peccatum condonare, & non infundere gratiam; sed po-

test quis atteri de uno peccato, agnoscens illius fœditatem, & non atteri de alio: ergo potest unum sine alio remittere. Tandem, positâ contritione de pluribus peccatis, potest Deus acceptare Contritionem pro uno & non pro altero; licet enim Contritio sit actus contrarius peccato, non expellit tamen formaliter peccatum, sed tantùm dispositivè; & non obstante tali dispositione, Deus potest absolutè negare remissionem peccati.

Quæstio VIII.

Vtrùm peccatum tollatur per solam non imputationem?

Hæreticorum aliqui voluerunt remissionem peccati fieri tantùm per non imputationem, non verò per destructionem illorum; itaut peccata remaneant in homine justo, licet Deus illa non imputet peccatori, sed ita se gerat circa illum, ac si peccatum non esset in eo. Alii autem putaverunt peccatum remitti quidem per condonationem, non infundi verò gratiam quæ formaliter inhæreat animæ, sed peccata tantùm condonari per justitiam Christi, quæ nobis imputatur: utrosque refutabit

Conclusio.

Peccata non remittuntur per solam non imputationem, nec per solam condonationem, sed per infusionem gratiæ & justitiæ habitualis qnæ nobis formaliter inhæret. Ra-

tio primi est, quia peccatum non imputari, est non remitti, sed tantùm non puniri; atqui peccata hominum remittuntur & tolluntur reverà: ergo non remittuntur per solam non imputationem. Minor habetur Joann. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Act. 3. *Convertimini ut deleantur peccata vestra.* Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Secundum habetur primo ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhæreat, anathema sit.* Ratio est, quia Christus per Pœnitentiam nobis restituit id quod amiseramus in Adamo; sed in ipso amisimus, non justitiam imputativam, sed justitiam inhærentem: ergo justitia inhærens in Pœnitentiâ recuperatur. Deinde, si peccatum remaneret in homine, licet non imputaretur, non possemus propriè vocari justi: quando enim sunt duæ formæ contrariæ, una inhærens, alia extrinseca, denominatio sumitur ab inhærente; Æthiops enim semper dicetur niger, quamvis indutus candidâ veste: ergo à pari, si justitia quâ remittitur peccatum, esset tantùm, forma extrinseca quæ nobis imputaretur, non deberemus ab illâ vocari justi, sed potiùs injusti, si peccatum non destrueretur.

Objicies ex Psalmo 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tectæ sunt peccata.* Psalmo etiam 3. *Beatus vir cui non imputavit*

Dominus peccatum. Denique 2. ad Corinth. 5. *Deus dicitur in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis peccata ipsorum.* Respondeo, quòd reverà peccata hominum non imputentur illis post Pœnitentiam; sed ideò non imputantur, quia destruuntur per gratiam habitualem; unde dicimus in conclusione, illa non remitti per solam non imputationem; sed dicuntur non imputari & tegi, non quòd remaneant; sed quia tolluntur. Quòd si 2. ad Corinth. 5. *Christus dicatur peccatum fecisse; immò & peccatum factum fuisse, ut nos efficiamur justitia Dei in illo:* Ex hoc non concludendum est, quòd non habeamus aliam justitiam præter justitiam Christi; sed ideò hoc dicitur, quia justitia Christi meruit nostram.

Quæstio IX.

An per Pœnitentiam remittantur peccata venialia?

Effectum nobiliorem Pœnitentiæ, qui est peccati mortalis remissio, sequitur alter, qui est remissio venialis: de hoc quæremus, utrùm possit remitti per Pœnitentiam; & ulterius, utrum possit remitti extra illam?

Conclusio.

Peccata venialia delentur per Sacramentum Pœnitentiæ; possunt tamen remitti extra illud, per contritionem scilicet, & per dilectionem Dei, non verò per attritionem,

nisi jungatur cum Pœnitentiâ, vel aliis Sacramentis, quæ habent vim faciendi de attrito contritum. Primum patet ex hoc quòd Pœnitentia possit remittere peccata mortalia; ergo & venialia, cùm sit minor offensa in istis. Eadem currit ratio pro secundo & pro tertio: quia si Contritio & dilectio Dei extra Sacramentum possunt remittere mortalia, à fortiori venialia. Ut tollat autem contritio extra Sacramentum, seu pœnitentia virtus peccata mortalia, debet dolere peccator de peccatis venialibus, vel in communi, vel sigillatim; non tantùm quatenus sunt offensa Dei; sed ut levis offensa Dei; dolor enim de peccatis venialibus, ut sunt gravis offensa Dei, non sufficeret ad deletionem venialium: unde actus doloris requisitus est ad delenda mortalia, quia ad delendum peccatum mortale sufficit voluntas non displicendi Deo in gravibus, & ad tollendum veniale requiritur voluntas non displicendi Deo in minimis; & sic iste amor & ista voluntas involvit priorem, quoniam non potest quis dolere de levi offensâ Dei, quin doleat de gravi; potest tamen dolere de gravi non de minima. Ut etiam dilectio Dei possit remittere venialia, debet ita perfecta esse, ut per eam homo velit placere Deo, nedum in gravibus actionibus, sed etiam in minimis. Quoad quartum, Attritio extra Sacramentum non remittit peccata venialia: quia vel remitteret homini injusto; vel homini justo; non remittere autem potest homini injusto, quia conjunguntur cum peccato mortali, quod non potest remitti per solam Attritionem; ergo nec

veniale : Nec etiam remittit homini justo, quia sequeretur nunquam peccata venialia remitti per absolutionem, quoniam absolutio præsupponit Attritionem ; & sic, si attritio deleret peccatum veniale, nihil faceret absolutio, contra mentem Doctorum, qui dicunt peccata venialia esse materiam sufficientem absolutionis,

Quæstio X.

Vtrùm Sacramentalia possint peccata venialia remittere ?

Per Sacramentalia intelligntur res, aut actiones sacræ institutæ ab Ecclesiâ, ut per earum usum peccatorum venialium obtineatur remissio. Hæ autem actiones hoc versu continentur, Orans, tinctus, edens, confessio, dans, benedicens. Per *orans*, intelligitur oratio Dominica, vel ea quæ fit in Ecclesia consecratâ, aut tonsio pectoris, ut habetur in jure canonico. Per *tinctum*, intelligitur aqua Benedicta, & unctio ceremonialis in Regem & similes ; Per *esum*, intelligitur manducatio panis Benedicti ; per *confessionem*, intelligitur Confessio generalis quæ v. g. fit publicè ante missam ; Per *dans*, intelligitur Eleemosina, vel alia opera misericordiæ, tàm corporalia quàm spiritualia. Tandem per *benedicens*, intelligitur benedictio Episcopi vel Abbatis consecrati.

CONCLUSIO.

SACRAMENTALIA delent peccata venialia; ad hoc enim instituuntur ab Ecclesiâ, ut habet traditio communis. Illorum effectus non est infallibilis; non est enim fundatus in speciali promissione Christi; sed in impetratione Ecclesiæ, quæ ob sui sanctitatem meretur exaudiri à Deo, licet aliquando non exaudiatur; oratio enim non semper habet suum effectum, maximè quando pro aliis funditur: si ergo aliquando Sacramentalia peccata venialia non deleant, hoc est ex defectu suscipientis, qui cùm multoties sit in peccato dum illa accipit, peccatum ejus impedit, quin Ecclesia audiatur. Quòd si quæratur, quomodo Sacramentalia peccatum veniale remittant; Respondendum est, illa non remittere *ex opere operato*; ea enim instituit Ecclesia, quæ instituere non potest signa sensibilia quæ remittant peccata, vel gratiam conferant *ex opere operato*: superest ergo ut deleant peccata venialia *ex opere operantis*; quatenus si sumantur ut debent & cum debitâ reverentiâ, nata sunt impetrare à Deo per preces Ecclesiæ gratias actuales quæ in nobis excitent actum contritionis incompossibilem cum peccatis venialibus, & consequenter ea tollentem: quia tamen aliquando sumuntur irreverenter, talis gratia non datur; vel si detur, rejicitur aliquando, & sic non remittuntur peccata venialia.

Hîc quæri posset, an peccatum mortale possit remitti sine veniali; an veniale possit tolli sine mortali; an unum veniale possit remitti

sine alio ; an venialia remittantur sine infusione gratiæ ; quomodo tandem peccata venialia remittantur quando quis cum ipsis moritur. Respondeo primò, peccatum mortale posse remitti sine veniali ; ad remissionem enim mortalis sufficit displicentia peccati, ut est gravis offensa ; & ad remissionem venialis requiritur displicentia ipsius, ut est levis offensa Dei ; potest autem quis displicere de gravi offensâ, & non displicere de levi : ergo mortale potest tolli sine veniali. Respondeo secundò, de potentiâ ordinariâ non potest tolli veniale sine mortali ; quia tolleretur vel per Attritionem junctam cum Sacramento, vel per Contritionem extra Sacramentum, vel tandem per Attritionem sine Sacramento. Si autem tolleretur peccatum veniale per Attritionem cum Sacramento, vel per Contritionem solam, infunderetur gratia habitualis quæ producitur per utramque, ac proinde remitteretur etiam peccatum mortale, quoniam est incompossibile cum gratiâ. Non potest etiam peccatum veniale remitti per Attritionem extra Sacramentum, quia Attritio sola non remittit, neque peccatum mortale neque veniale, ut diximus in præcedenti quæstione. Hoc tamen non impedit, quin de potentiâ extraordinariâ aliquis possit elicere actum doloris incompossibilem cum peccato veniali, quo ipsum deleretur, & Deus denegare gratiam ; & sic removeretur peccatum mortale, deleto veniali. Respondeo tertiò, quòd unum veniale possit remitti sine alio veniali ; homo enim potest elicere actum doloris de Intemperantiâ

levi admissâ, & sic habere remissionem illius; non autem dolere de levi Injustitiâ quam commisit; & sic remanebit unum peccatum veniale & remittetur aliud. Respondeo quartò, non remittti quidem veniale peccatum sine infusione gratiæ, aut ejus augmento; vel enim peccata venialia remittuntur cum peccato mortali, & tunc infunditur gratia, sine qua peccatum mortale non deletur; vel remittuntur sine mortali, respectu scilicet justi, qui habebit tantùm peccatum venialia, & tunc peccatum veniale remittitur per actum Contritionis, qui cum sit bonus & meritorius, auget proinde gratiam; & sic nunquam remittitur peccatum veniale sine gratiâ, vel ejus augmento. Ex naturâ tamen peccati venialis non requiritur gratia, ut remittatur; quia si actus Charitatis vel Contritionis de peccato veniali non mereretur augmentum gratiæ, posset tamen delere peccatum veniale, etiam si Deus non augeret gratiam. Resp. quintò, quòd alii dicant peccatum veniale cum quo quis moritur, remitti in primo instanti, quo anima exiit è corpore in quo cognoscit statum sui peccati; & habet auxilium sufficiens, quo retractet illud peccatum. Adduntque, quòd si non sit amplius in statu merendi, respectu præmii essentialis, possit tamen adhuc mereri remissionem talis peccati, quòd non potest remitti alio modo; necessarium tamen est ut remittatur, quoniam ex unâ parte *nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum*; & ex aliâ parte non est justum, quòd anima in gratiâ Dei existens semper privetur visione beatificâ. Sco-

tus verò dicit, peccatum veniale remitti per solutionem pœnæ debitæ in Purgatorio, adjuncto tamen actu Charitatis quo acceptat liberè tales pœnas, qui quidem actus potiùs delet peccatum, quàm pœna; quia ille actus est incompossibilis cum peccato & mixtus aliquo dolore; pœna verò non solvit peccatum quantum ad Maculam.

Quæstio XI.

An remissa culpa tollatur Reatus ad pœnam?

Per culpam duo contrahit homo, Maculam scilicet & Reatum pœnæ, seu obligationem ad pœnam; remissâ culpâ per Pœnitentiam tollitur quidem Macula peccati, & aufertur Reatus pœnæ æternæ; an autem remaneat Reatus seu obligatio ad pœnam temporalem, negant hæretici, affirmant Catholici, dicentes pœnam æternam mutari in temporalem, quia scilicet Deus taxavit diversas pœnas diversis peecatis: ita quòd peccato manenti in æternum assignaverit pœnam æternam; & peccato per pœnitentiam revocato assignaverit pœnam temporalem proportionatam malitiæ peccati, vel contritioni, aut attritioni; itaut si contritio fuerit major, minùs remaneat de pœnâ subeundâ; si fuerit minor, magis supererit,

Conclusio.

Remissa culpâ non semper tollitur omnis Reatus ad pœnam, sed sæpissimè remanet pœna temporalis luenda, non tamen semper; quia actus Contritionis aliquando est ita fervens, ut culpam & pœnam tollat. Hæc conclusio habetur expressè 2. Reg. 12. ubi David, ob Adulrerium & Homicidium, remissâ culpâ punitur morte filii in pœnam sui peccati; unde dixit illi Nathan Propheta, *Transtulit à te Deus peccatum tuum*, (en remissio culpæ) *veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Dei vivi, filius qui natus est tibi, morte morietur*, en pœna remanens. Deinde, licet remissum sit peccatum originale per Baptismum, remanent tamen mors, morbi, fomes peccati & aliæ pœnalitates: ergo sic dicendum est de actuali. Tandem, requirit communiter Pœnitentia in illis qui convertuntur, luctum, jejunium & eleemosinam, secundùm hæc dicta, *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & planctu*. Joël 2. & illud, *Eleemosinis redime peccata*: hoc autem denotat, pœnam temporalem luendam remanere post remissionem culpæ. Nulla tamen datur ratio hujus, nisi sola voluntas divina; sicut enim culpam & pœnam æternam gratis remittit, sic & temporalem, quod tamen non facit; jure enim tales pœnas exigere potest Deus, nè detur nimia peccandi licentia.

Objic. Ezech. 18. *In quacumque die impius se averterrit ab impietate, impietas ejus non amplius ei nocebit; sed Deus omnium peccatorum ejus oblivisetur.* Resp. hoc intelligi de pœnâ æternâ, quæ

quæ post remissionem peccati non amplius nocebit homini; & de culpâ, quàm Deus reverà obliviscitur post Pœnitentiam. Quòd si Deus multis remiserit peccata, & pœnitentiam non injunxerit; hoc factum fuit per gratiam specialem, quam Deus non omnibus impendit; & ideò taliter usus est Christus circa illos, quia excitaverat in eis tantam Contritionem, quòd per eam omnis pœna relaxari debuerit. Nec dicant adversarii, Deum infinitè satisfeciſſe pro nobis: ergo nos non indigere vlteriori Satisfactione: quia licet infinitè satisfecerit quoad oblationem pretii, debemus tamen nobis hanc Satisfactionem applicare; quod fit reverà per pœnas quas subimus post remissionem culpæ. Si dicant, ablatâ causâ, aufertur effectus; ergo, ablato peccato, tollitur pœna: Hoc verum est tantùm, ubi effectus dependet continuò à causâ suâ; aliàs, sublato patre, non remaneret filius; Reatus autem illius pœnæ non dependet à perseverantiâ peccati, sed à solo peccato, etiamsi parum duret. Dices, Contritio aufert culpam & pœnam æternam: ergo à fortiori temporalem, quæ est facilior. Resp. Contritionem neutrum tollere, sed est Deus qui tollit utrumque ex purâ Misericordiâ, statuens dare Contritioni remissionem culpæ, & relaxationem pœnæ æternæ, non verò pœnæ temporalis.

Quæstio Ultima.

Virùm merita mortificata redeant per Pœnitentiam ?

Hic est tandem quartus effectus Pœnitentiæ, de quo locuturi, prænotamus, opera nostra vel esse Mortifera, quæ mortem animæ afferunt, ut peccata; vel Mortua, quæ fiunt ab homine existente in peccato mortali, ut Eleemosina facta extra gratiam, quæ dicitur mortua, quia caret principio vitæ, nempe ipsâ gratiâ: vel Mortificata, quæ facta sunt ab homine dùm est in gratiâ, dicuntur tamen mortificari per peccatum adveniens, in quantùm stante peccato non habent jus ad gloriam: vel sunt Vivificantia, quæ vitam gratiæ animæ afferunt, ut Contritio & Attritio cum Sacramento: vel sunt tandem Viva, quia fiunt ab homine in gratiâ existente. Hoc posito, certum est, quòd opera Mortua non reviviscant, quia non anteà vixerunt, & reviviscere supponit anteà vixisse; sed quæstio nostra est de operibus Mortificatis, quæ facta fuerunt in gratiâ, & per peccatum mortificantur; quæriturque de illis, an remoto peccato per Pœnitentiam, reviviscere incipiant.

Conclusio.

Opera Mortificata redeunt per Pœnitentiam. Sic Concilium Tridentinum sess. 16. cap. 6. sic & Hieronymus in hæc verba Pauli, ad Galatas 3. *Tanta passi estis sine causâ, non ta-*

men sine causâ; super quod dicit, *qui ob Christi fidem laboraverit & postea lapsus fuerit in peccatum, non perdet merita sua, si ad priſtinam fidem & ſtudium reverſatur.* Ratio eſt, quia merita noſtra non extinguntur per peccatum, ſed ſemper manent in acceptatione divinâ, & ſolùm impeditur ipſorum efficacia propter peccatum; & ſic ablato peccato reviviſcunt, ideſt dant jus homini ad præmium æternum; tota enim ratio quare mortificantur, erat peccatum: ergo ſublato peccato vivificantur.

Objicies: Peccata remiſſa non redeunt quando quis denuò cadit in peccatum: ergo nec merita redeunt per Pœnitentiam. Reſp. negando conſequentiam; ut enim inquit Scotus, Deus promior eſt ad miſerendum, quàm ad puniendum; unde vult, quòd merita præterita redeant, non vult tamen quòd revocentur peccata. Deinde, ideò peccata non redeunt, quia deſtructa ſunt penitùs per Pœnitentiam; merita verò redeunt, quia remanſerunt in acceptatione divinâ.

Quæres, an opeta Mortificata reviviſcant ex Miſericordiâ vel ex Iuſtitiâ. Alii tenent primum cum Scoto, alii ſecundum; Utrumque tamen dici poteſt: Primum quidem, quia merita reviviſcunt per ablationem peccati, peccatum autem tollitur ex divinâ Miſericordiâ; juſtificatio enim eſt gratuita: Secundum etiam dici poteſt, quia Deus promiſit dare præmium meritis, etiam mortificatis, modò reviviſcant per gratiam; Ioëlis enim 2. Dominus pœnitentibus ait, *Reddam vobis annos, quos locuſta, bruchus & rubigo comedit*, quod

Hieronymus intelligit de reditu bonorum operum quæ impediebantur per peccata quæ vocantur Locusta & Rubigo ; & sic redeunt ex justitia fundata in promissione Dei.

Quæres secundò, an ille qui resurgit à peccato per Pœnitentiam, resurgat ad majorem gratiam ? Dissentiunt Doctores, omnes quidem dicunt, quod resurgat ad majora merita, quia ad antiqua merita mortificata quæ redeunt per Pœnitentiam, additur meritum Pœnitentiæ seu actûs Contritionis quem elicit: omnes etiam fatentur, quòd resurgat ad majorem gloriam, quia gloria datur iuxta intensionem meritorum ; cùm ergo resurgat ad maiora merita, resurgit etiam ad maiorem gloriam. An autem resurgat ad maiorem gratiam; alii respondent negativè, quia prima gratia, inquiunt, extincta est per peccatum, & merita remanent in acceptatione divinâ; & sic licet resurgat ad maiora merita, non tamen resurgit ad maiorem gratiam, nisi actus Contritionis sit ita intensus, ut per illum mereatur maiorem gratiam illâ quam perdidit: Alii verò & verisimiliùs affirmant, & hoc iuxta Concil. Trident. sess. 6. can. 16. & 33. ubi habetur, quòd recuperetur gratia per Pœnitentiam; quòd si recuperetur gratia, & addatur nova correspondens actui Pœnitentiæ, sequitur quòd per Pœnitentiam ille qui resurgit à peccato, resurgat etiam ad maiorem gratiam, sicut ad maiorem gloriam & ad maiora merita; & sic dicendum est, quod gratia maneat etiam in acceptatione divinâ, quia merita non sunt merita, nisi quatenus infor-

mantur gratiâ ; unde si merita maneant in acceptatione divina, manet etiam gratia. Nec est dicendum, quòd peccator recipiat utilitatem à peccato, si resurgat ad majorem gratiam & gloriam ; hoc enim non provenit ex peccato, sed ex pœnitentiâ & meritis præcedentibus. Nec est etiam dicendum, quòd minori Contritioni dabitur gratia major ; licet enim gratia correspondens Contritioni sit major vel minor iuxta intensionem Contritionis, attamen gratia correspondens meritis præcedentibus potest esse major, si major fuerit ante peccatum.

Quæres, an sicut merita redeunt per Pœnitentiam, sic etiam redeant per novum peccatum peccata, quæ antea remissa fuerant per Pœnitentiam. Iam respondimus negative; quia tamen hoc majori explicatione indiget : Resp. primò, ipsa non redire quoad culpam; destructa sunt enim per Pœnitentiam ; & sic si redirent, Deus illa reproduceret, quoniam homo ea non reproducit ; hoc autem dicere est blasphemum. Resp. secundò, non redire peccata quoad pœnam sensûs, quia non redit pœna, si culpa non redeat. Resp. tertiò, peccata redire quoad privationem gratiæ, & quoad pœnam damni ; quotiescumque enim aliquis in peccatum relabitur, privatur gratiâ & debitum incurrit carendi visione divina. Resp. quartò, peccatum posse redire tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam, de potentiâ Dei absolutâ ; potuit enim Deus remittere tùm culpam tùm pœnam peccati, cum hac conditione, quòd si committeretur denuò peccatum,

prima non censerentur ampliùs remissa, sed redirent tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam; quia tamen remittuntur peccata absolutè & independenter ab eventu futuro, illa non redeunt. Resp. quintò, licet peccata non redeant formaliter, redeunt tamen virtualiter, in quantum aggravatur peccatum subsequens propter ingratitudinem in Deum, à quo peccator accepit summum beneficium, nempe remissionem peccatorum præcedentium, & quò peccata gravioria sunt remissa, eò ingratitudo est gravior. Porrò, licet illa ingratitudo sit circumstantia notabiliter aggravans novum peccatum, non continet tamen omnem malitiam, quam continebant peccata remissa, nec constituit speciale peccatum. Quòd si in parabolâ Matth. 18. latâ revocatum fuerit primò omne debitum servi, attamen regem posteà repetiisse illud debitum à servo, quia non misertus erat conservi sui; ex hoc non est concludendum quòd, Deus sic faciat ad commissionem novi peccati; ex parabolâ enim nihil convincens inferri potest, sed tantùm attendi debet finis ipsius; unde cùm hæc parabola tantùm ostendere prætendat, faciendam esse eleemosinam, propterea non est concludendum, quòd peccata redeant, nisi virtualiter.

CAPUT SEXTUM.

De partibus Pœnitentia.

PARTES essentiales Pœnitentiæ sunt tantùm duæ, scilicet Materia & Forma; per Formam autem intelligitur absolutio Sacerdotis debitè applicata; & per Materiam intelliguntur actus pœnitentis, præsertim Contritio & Confessio; nam Satisfactio est quidem pars integrans illius, non tamen essentialis, quia sine illâ potest remitti peccatum; ut patet de illis qui moriuntur, antequam eam impleverint; est tamen pars integrans, quia ad integritatem judicii pertinet punitio delicti, seu satisfactio pro illo: sicut ergo omnia membra sunt partes integrantes hominis, corpus verò & anima partes essentiales illius, sic in pœnitentiâ Materia & Forma sunt partes essentiales, Satisfactio verò cum Contritione & Confessione est pars integrans. Volentibus ergo de omnibus agere, incipiendum est à Contritione.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Contritio propriè sumpta?

CONTRITIO est nomen metaphoricum sumptum à rebus naturalibus; sicut enim aliquid dicitur conteri, quod, cùm anteà du-

rum fuerit, in minutissimas partes posteà comminuitur, ut destruatur; sic voluntas hominis dicitur conteri, quia cùm anteà veluti indurata fuerit in peccato, posteà per gratiam emollitur & aboletur in eâ tum peccatum tum effectus peccati. Secundum rem, contritio est internus animi dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi deinceps; & hæc dividitur in perfectam & imperfectam, juxta Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. Prima, de quâ nunc loquimur, vocatur Contritio simpliciter; secunda Attritio, & de illâ posteà dicemus.

Conclusio.

Contritio est dolor seu detestatio de peccato; ut est offensa Dei, super omnia detestabilia, propter Deum summè dilectum, cum spe veniæ & proposito non peccandi de cætero, & servandi mandata Dei, præsertim illud quod est de confessione Sacramentali & de Satisfactione suo tempore faciendis. Dicitur primò, *dolor*; non quidem appetitûs sensitivi, sed voluntatis sibi displicentis & tristitiam habentis de peccato commisso; & in hoc Attritio convenit cum Contritione. Quòd si non habeatur tristitia de his quæ voluntariè accidunt, non minùs tamen habetur de peccato; licet enim velimus illud cùm committimus ipsum, tamen illud nolumus dum conterimur. Dicitur secundò, *peccati ut est offensa Dei*; quia peccatum est objectum contritionis, ut est offensa Dei; detestari enim peccatum ut est contra rationem, vel ut sanitatem minuit, non est habere veram contritionem. Dicitur tertiò, *super*

omnia detestabilia ; detestamur enim malum culpæ, & malum pœnæ ; & ad veram Contritionem exigitur, ut plus detestemur malum culpæ, quàm quodcumque malum pœnæ : qui tamen conteritur non debet in particulari comparare singula mala, v. g. mortem temporalem, aut pœnam æternam cum peccato, nec illam comparationem debent proponere confessarii, ut contritionem excitent in pœnitentibus ; immò hoc periculosum est, ut notat D. Thomas hîc q. 3. art. 3. ad quartum ; sed sufficit in confuso detestari peccatum super omnia mala detestabilia, & illa potiùs eligere, quàm peccatum. Dicitur quartò, *propter Deum summè dilectum* ; *Veram* enim *pœnitentiam non facit, nisi amor Dei & odium peccati*, inquit Augustinus, serm. 7. de tempore : qui ergo detestaretur peccatum super omnia detestabilia, quia adducit reatum pœnæ æternæ, non contereretur ; sed illa detestatio debet procedere ex amore Dei super omnia ; non quidem intensivè, potest enim mater habere dolorem intentiorem de morte filii, quàm de peccato ; sed appretiativè, ita quòd debeat præferre mortem filii ad peccatum. Dicitur quintò, *cum spe venia* ; qui enim desperaret de misericordiâ consequendâ, committeret peccatum. Dicitur sextò, *cum proposito non peccandi deinceps* ; si tamen hoc propositum fuerit tantùm implicitum, sufficit ; illud autem includitur semper in Contritione ; qui enim conteritur de peccato, diligit Deum super omnia, & non vellet illi displicere neque in præsenti, neque in futuro. Dici-

tur septimò, *cum proposito servandi mandata Dei*; qui enim non haberet talem voluntatem, censeretur habere affectum saltem virtualem ad peccatum. Additur tandem, *præsertim mandata de confessione & de satisfactione*; quia licet contritio tollat peccatum, hoc facit semper in ordine ad confessionem & satisfactionem, quarum votum includitur saltem virtualiter in Contritione.

Quæres, utrùm Contritio cum tali voto remittat peccata ante Absolutionem? Omnes respondent, quòd sic, quando Contritio elicitur extra Sacramentum, ita quòd homo eliciens actum Contritionis cum voto confitendi peccata, datâ occasione, illicò gratiam recipiat; unde si posteà confiteatur peccata, hoc est ut suum votum impleat & recipiat augmentum gratiæ virtute Sacramenti, & relaxationem pœnæ debitæ peccatis, & ut securior sit de remissione peccatorum; quia si habuisset tantùm Attritionem loco Contritionis, peccata quæ non fuissent remissa per talem Attritionem, remitterentur per Absolutionem sequentem, modò perseveraret Attritio. An verò per Contritiouem remittantur peccata in Sacramento ante absolutionem; aliqui respondent negativè, asserentes illam Contritionem præcedentem Absolutionem manere in acceptatione divinâ, donec adveniat Absolutio, cui præcisé spectat gratiam conferre & remittere peccatum: alii tamen meliùs asserunt, ipsam Contritionem conferre gratiam pro eo instanti quo elicitur, etiamsi nondum advenerit Absolutio;

quod videtur conforme Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. Quòd si dicatur, ergo frustra recipitur Absolutio: ergo etiam falsa est forma Sacramenti, quâ Sacerdos dicit, *Ego te absolvo:* respondebitur, Utramque consequentiam esse falsam: Primò enim Absolutio non est frustra; auget enim gratiam quam confert *ex opere operato*, pœnam temporalem remittit, & hominem reddit securiorem; cum enim nullus sciat se esse contritum, debet absolvi, ut vi Sacramenti & Absolutionis ex attrito fiat contritus. Secundò, forma absolutionis non est falsa; Sacerdos enim dicens, *Ego te absolvo*, non intendit absolvere absolutè, sed secundùm exigentiam pœnitentis, in quantùm scilicet Sacerdos potest, & pœnitens indiget; ita quòd si pœnitens habet tantùm Attritionem de peccatis, revera absolvat de illis; si verò peccata sint remissa per antecedentem Contritionem, pro tunc non remittit quidem peccata, sed gratiam auget, pœnam peccatorum minuit, & vulnus peccati tollit; quæ omnia sunt beneficia absolutionis; & sic verba Sacerdotis dicentis, *Ego te absolvo*, non sunt falsa.

Quæstio II.

Quid sit Attritio, & quomodo à Contritione differat?

Antea loquuti fuimus de Contritione, quam aliqui dicunt esse actum Charitatis, quia procedit ex amore Dei super omnia; licet meo sensu potiùs dici debeat actus pœnitentiæ virtutis: licet enim Contritio includat actum amoris Dei, elicitur tamen à Pœnitentiâ, quæ est virtus inclinans hominem ad compensandam offensam Deo factam; unde est quædam species justitiæ commutativæ, quæ habet quatuor actus; quorum primus est dolor interior de peccato commisso, secundus est propositum non ampliùs peccandi, tertius est confessio peccatorum, quartus tandem est satisfactio pro pœnâ debitâ peccato; nunc ergo dicendum est de Attritione.

Conclusio.

Attritio ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. est dolor imperfectus de peccato commisso, quatenus oritur, non ex dilectione Dei super omnia, sed ex aliis motivis, v. g. ex metu gehennæ, & ex metu amissionis gloriæ, vel ob turpitudinem peccati, cum spe veniæ & intentione non peccandi denuò. In hoc ergo differunt præcisè Contritio & & Attritio, quòd Contritio fiat ex motivo amoris Dei super omnia, non sic verò Attritio: unde, si alii

dicant, eas differre intensione vel duratione, aut quia una semper acceptetur à Deo, non semper altera; aut quia illa semper informatur gratiâ, non ista; aut tandem quia prima sufficit per se ad justificationem, non ultima; hæ omnes differentiæ non sunt essentiales; priùs enim naturâ est Contritio, quàm intendatur, quàm longius duret, quàm acceptetur, quâm sufficiat ad tollendum peccatum, & quàm informetur gratiâ, licet eodem tempore Contritio sit Contritio & gratiam conferat.

Quæres, si Contritio & Attritio differant specie, quomodò Attritio fiet Contritio? Resp. quòd Attritio non fiat Contritio; idem enim actus numero qui est Attritio; non potest esse Contritio: sed dicunt Doctores, hominem ex attrito fieri contritum, per Sacramentum scilicet; in quantùm Attritio juncta Sacramento habet eundem effectum ac Contritio; remittit enim peccata & gratiam confert, & sic attritus fit contritus; non formaliter, quia attritus manet semper attritus; sed æquivalenter & effectivè.

Quæstio III.

An Attritio sufficiat ad remissionem peccati?

Hic non loquimur de illo dolore, quo quis dolet de peccato ob pravum finem; v. g. de gulâ, quia non potest adimplere actum venereum, iste enim est malus: nec de illo qui

elicitur ob finem naturalem; ut quando quis dolet de peccato, quia est contra rationem, vel contra Deum authorem naturæ; ille enim est naturalis, & sic non potest obtinere gratiam quæ supernaturalis est: Nec de illo qui est sine proposito, saltem virtuali, non peccandi in posterum; esset enim ille dolor compatibilis cum voluntate peccandi: sed loquimur de illo dolore & de Attritione illâ, quæ secundùm Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. elicitur impulsu Spiritûs Sancti moventis hominem ad illum actum doloris super omnia sua peccata, sivè in cõmuni, sivè in particulari; quæ quidem Attritio procedere potest vel exfœditate peccati, vel ex metu gehennæ, vel ex amore gloriæ.

Conclusio.

AD remissionem peccati sufficit Attritio cum Sacramento, unde homo solùm attritus potest recipere fructuosè absolutionem à peccatis. Sic Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. determinans, *quòd attritio*, quam vocat contritionem imperfectam, *non solùm non faciat hominem hypocritam & magis peccatorem, sed esse donum Dei & impulsum Spiritûs Sancti, non adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens viam sibi ad iustitiam parat; & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Catechismus Romanus idem affirmat cap. 5. secundæ partis: Augustinus similiter; lib. enim de Catechisandorum rudimentis, cap. 17. dicit, *Qui volunt fieri Christiani, tenentur habere aliquam dispositionem, non*

omninò perfectam, sed sufficientem, ut Baptismum recipiant & per illum iustificentur : loquitur autem Augustinus de Attritione quæ habetur ex metu damnationis, & dicit illam esse sufficientem, ut quis per baptismum gratiam recipiat. Accedit determinatio Facultatis Parisinæ, quæ anno 1638. declaravit contrariam opinionem esse temerariam, erroneam, & virtutis Sacramenti Pœnitentiæ imminutivam.

CONFIRMATUR conclusio rationibus. Primò, quia Pœnitentia dicitur Sacramentum mortuorum, in quantùm per absolutionem dat vitam gratiæ peccatoribus ; sed si ad absolutionem requireretur Contritio, absolutio nunquam remitteret peccata, quia contritio præcedens Sacramentum Pœnitentiæ seu absolutionem, illa remittit & gratiam confert, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. ergo Attritio sufficit ad remissionem peccati mediante absolutione. Secundò, quia Christus dedisset frustra potestatem clavium sacerdotibus, si contritio prævia ad absolutionem requireretur; nunquam enim sacerdotes peccata solverent, quandoquidem jam essent soluta per contritionem; & sic Sacramentum Pœnitentiæ careret suo effectu, qui est peccati remissio, & sacerdotes suâ jurisdictione : ergo dicendum est, quòd attritio sufficiat, quâ positâ, absolutio habet suum effectum, & sacerdos utitur suâ authoritate. Tertiò, quia in lege Mosaycâ per solam contritionem peccata remittebantur sine confessione : ergo nostra esset durior, si cum confessione requireretur Contritio : ergo, ut sit dulcior, debet dici, quòd sufficiat sola At-

tritio cum confessione & absolutione.

Objicies, Attritio ex timore concepta non est meritoria: ergo non est sufficiens ad remissionem peccati, Resp. quòd timor potest concipi, vel ut excludit Deum, & est conjunctus cum affectu peccandi, ut quando quis esset paratus perseverare in peccatis, si pœna non esset illi imposita; & ille timor, qui vocatur serviliter servilis, malus est, quia includit affectionem ad peccatum; alius est timor qui est servilis simpliciter, & qui non admittit talem affectum ad peccatum, nec Deum excludit, quo videlicet peccator Deum punientem ita timat, ut ad illam pœnam evitandam doleat de peccatis, & iste timor bonus est; Deus enim illum excitat in nobis, dicens, Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; sed timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*; & ille timor sufficit ad justificationem cum absolutione.

Objicies, ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. non justificantur adulti, nisi Deum diligere incipiant: ergo non sufficit Attritio orta ex timore sine amore Dei. Resp. in Attritione involvi actum divini amoris, saltem virtualiter & remotè, qui enim timet infernum, desiderat virtualiter possessionem gloriæ, quoniam inter utrumque non est medium; qui autem cupit gloriam, vult etiam virtualiter amare Deum, in quo stat beatitudo. Dices, qui culpam odit propter pœnam, malè agit; quia culpa, quæ est malum gratiæ, est odibilior pœna, quæ est malum naturæ. Resp. odisse culpam propter pœnam non est actus malus,

sed non est ita perfectus, ac si culpa odiretur propter se; homo autem non tenetur facere id quod est perfectius, nec ordinare minus bonum in majus, immò aliquando majus bonum potest ordinari in minus, quando utrumque ordinatur ad summum bonum, ut patet in sententiâ eorum qui dicunt Christum ordinatum fuisse in bonum hominis, quia scilicet tùm Christus, tùm homo, ordinati fuerunt ad Deum: quia ergo tùm fuga pœnæ, tùm odium culpæ ordinantur ad Deum possidendum, potest sine injustitiâ odio haberi culpa propter pœnam; & sic Attritio sufficere potest ex metu gehennæ ad remissionem peccati.

Quæres, qualis esse debeat Attritio? Resp. primo, ad melius esse, debet præcedere aut concomitari confessionem; quia confessio non est tantùm narratio peccatorum, sed est actus pœnitentiæ virtutis, qui debet procedere à corde dolente; potest tamen succedere confessioni, quia pro tunc censetur moraliter jungi cum confessione: non verò potest differri post absolutionem; alias caderet forma super materiam non dispositam. Idem dices de Contritione in Sacramento. Resp. secundò, Attritio debet esse dolor supernaturalis ex Concilio Tridentino Sess. 16. cap. 4. quia dispositio ad formam supernaturalem, qualis est gratia, debet esse supernaturalis. Resp. tertiò, Attritionem debere esse cum proposito efficaci & absoluto non peccandi in futurum; & sic non sufficit propositum inefficax, quo quis dicit, vellem quidem non furari, si non essem paupertate afflictus; remanet enim absoluta

peccandi inclinatio cum illâ velleitate: propositum tamen illud absolutum non necessariò debet esse explicitum, sed implicitum sufficit. Resp. quartò, Attritio debet esse universalis, se extendens ad singula peccata, vel saltem ad omnia generaliter; non enim disponitur peccator ad gratiam, si non habeat displicentiam de omnibus peccatis. Resp. quintò, quòd Attritio debeat esse vera, & quòd existimata non sufficiat; unde si quis bonâ fide ad Sacramentum accedat cum examinatione conscientiæ, etiamsi conatus fuerit elicere attritionem supernaturalem, non potest absolvi, si illam actu non habeat, quidquid dicant aliqui. Resp. sextò, quòd ad Attritionem non sufficit voluntas suscipiendi Sacramentum; sed requiritur attritio formalis, quæ vel actualis sit, vel paulò ante actualis fuerit. An autem sufficiat actus, quo quis dolet, quòd non habeat attritionem; affirmant Navarrus, Paludanus, & alii; negant Bonacina, Henriques, Vasques & cæteri: verisimile est tamen, quòd si talis dolor sit verus & supernaturalis, conjungitur cum dolore de peccatis, licet non dignoscatur; & pro tunc ille actus sufficeret ad absoluti onem.

Quæstio IV.

An Contritio sit necessaria?

Contritio non est quidem necessaria necessitate medii in lege gratiæ; quia cum Attritione junctâ Sacramento, peccator salvari potest: An sit verò necessaria necessitate præcepti; explicabit

Conclusio.

Extra Sacramentum Pœnitentiæ necessaria est Contritio necessitate præcepti, non verò in Sacramento; aliàs cum Attritione nullus salvaretur: illud autem præceptum de Contritione elicienda habetur in illis locis ubi pœnitentia injungitur, ut Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Quo jure autem necessaria sit Contritio, & quando sit necessaria; dicendum est primò, quòd nedùm sit de jure divino ex Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; & Ezechielis 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam*: sed est etiam de lege naturæ; Concil. enim Tridentinum Sess. 14. cap. 4. dicit, quòd Contritio necessaria fuerit omni tempore: ergo erat necessaria in lege naturæ, ubi non erat præceptum positivum: Ratio est, quia suppositâ fide, qui peccavit in Deum, tenetur naturaliter reconciliari cum Deo, & proinde dolere de offensâ in ipsum commissâ. Quoad secundum, dicendum est, quòd

tere peccata, hoc faciunt applicando absolutionem super attritionem solam; quia quando præcessit contritio, pro tunc ministri non remittunt peccata per absolutionem. Porrò, quando diximus contritionem esse necessariam extra Sacramentum, hoc intelligitur saltem de Contritione virtuali, quæ consistit in dilectione Dei, quæ quidem peccata remittere potest.

Quæres, an aliquis teneatur conteri eo ipso quo peccavit. Aliqui hoc affirmant, quamplurimi tamen & meliùs negant; quia præceptum contritionis est affirmativum quod non obligat pro semper, sed certo quodam tempore: sequeretur enim ex hoc, quòd qui non contereretur, in instanti sequenti novum peccatum committeret, transgrediendo præceptum Contritionis; in secundo etiam instanti aliud peccatum faceret, & in tertio tertium, & sic deinceps. Dices, Ergo si non tenetur conteri, potest velle pro illo instanti non pœnitere. Resp. non posse velle non pœnitere absolutè, sed posse velle non pœnitere pro eo instanti quo Contritio non est præcepta. Dices, quando lapsi sumus in morbum, tenemur recurrere ad medicum: ergo à fortiori, quando sumus in peccato. Negatur antecedens, quando medicina differri potest sine probabili periculo; & sic dicendum est de peccato: unde si immineret periculum moriendi, non deberet differri Contritio. Dices, debemus corripere fratrem eo instanti quo lapsus est in peccatum: ergo debemus resurgere à peccato illicò ac in illud lapsi

sumus. Resp. non teneri statim, nisi quando volitio peccati perseverat in fratre, vel quando timetur novum peccatum; & in his duabus conditionibus tenetur etiam conteri, vel saltem non continuare in volitione peccandi. Dices, Tenemur restituere statim ac furati sumus: ergo & reddere Deo honorem, eo instanti quo hnnc illi abstulimus per peccatum. Negatur paritas, qui enim non restituit, transgreditur de novo præceptum non furandi, quo prohibetur subreptio & detentio rei alienæ; unde qui detinet, & non restituit quando potest, peccat: qui verò non conteritur, non it contra præceptum, quia non præcipitur Contritio pro omni tempore: deinde ille qui intulit injuriam cum damno, debet illicò illam reparare, non tamen quando est sine damno, ut quando Deum offendimus. Dices, Nullo momento licet esse in peccato: ergo omni momento debemus conteri. Distinguo antecedens, non licet esse in peccato positivè, idest non licet patrare peccatum, concedo: negativè, nego: possumus enim non conteri, quia contritio est præceptum positivum: quando ergo Scriptura dicit, *Non tardes converti ad Deum*; ibi est consilium, non præceptum.

Quæstio Ultima.

Qualis debeat esse Contritio?

Contritio spectari potest quantùm ad intensionem, quantùm ad durationem, & quantùm ad extensionem. Quantùm ad intensionem, dolor contritionis debet esse summus; nascitur enim ex amore Dei quem debemus diligere ex toto corde, non tamen requiritur ut sit summus intensivè, quasi non possit dari intensior; sed debet esse summus appretiativè, itaut quodcumque malum præferamus peccato. Quantùm ad durationem, non requiritur quòd longiùs duret; eo enim ipso quo elicitur actus contritionis, est sufficiens dispositio ad gratiam; sicut enim eo instanti quo homo peccat, gratiam amittit, sic eodem quo conteritur, gratiam recuperat. An autem possit elici Contritio in instanti: si spectetur ut involvit omnia quæ necessaria sunt ex parte intellectûs & voluntatis, non potest fieri in instanti; est enim actus humanus ad quem requiritur consideratio peccati, judicium practicum intellectûs dictantis dolendum esse de peccato, & tandem consensus voluntatis, quæ omnia non possunt fieri in instanti: si autem sumatur pro solo actu voluntatis hæc omnia præsupponentis, potest fieri in instanti. Quantùm ad extensionem denique voluntatis circa peccata, respondebit

Conclusio.

Contritio debet quidem esse de omnibus peccatis, quia nullum est peccatum quod remittatur, nisi retractetur per Contritionem; de quolibet tamen peccato non requiritur specialis contritio; essent enim plures Contritiones partiales ex quibus componeretur Contritio totalis quæ justificat, quod falsum est; Contritio enim est simplex animi motus omnia peccata saltem in communi detestans: quia autem nullus potest dolere de peccatis, nisi de illis recogitet; dicendum est, si Contritio fiat extra Sacramentum, non requiri distinctam peccatorum recogitationem, sed sufficere confusam; si verò Contritio fiat in Sacramento, in ordine ad confessionem, tunc necessaria est explicita recogitatio singulorum peccatorum; sed hoc non requirit Contritio ut sic, sed potius confessio.

CAPUT SEPTIMUM.

De Confessione.

QUÆSTIO PRIMA.

Quo jure necessaria sit Confessio?

Confessio aliquando sumitur pro laudatione. Psalm. 32. *Confitemini Domino in cythará*: aliquando pro publicâ protestatione fidei, Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem*: propriè sumitur pro accusatione.

accusatione sui ipsius, unde describitur, *Legitima accusatio de peccatis propriis, facta Sacerdoti iurisdictionem habenti, ad veniam obtinendam virtute clavium.* Calvinistæ & Lutherani dicunt eam esse tantùm ab Ecclesiâ inventam, & non à Christo institutam.

CONCLUSIO.

CONFESSIO est de jure divino; Christus enim illam instituit, non tanquam liberam, quasi homo possit illâ uti, vel non; sed ut necessariam pro illis qui habent peccata mortalia. Sic Concil. Trident. sess. 14. can. 14. *Si quis negaverit confessionem sacramentalem esse iure divino institutam, vel iure divino ad salutem necessariam; si quis etiam dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, esse ab institutione & mandato Christi alienum, aut esse inventum humanum, Anathema sit.* Quoad locum scripturæ ubi Christus eam instituit, habetur Joan. 20. ubi Christus dicens Apostolis, *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*, & mox subjungens, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.* commisit Apostolis & eorum successoribus potestatem judicialem remittendi aut retinendi peccata, quod non possent facere juridicè, si pœnitentes sua peccata non aperirent per confessionem; & sic est de jure divino: unde Ecclesia in Concilio Lateranensi præcipiens confessionem annuam, non facit præceptum de confessione, sed modificat præceptum Christi (quod erat indeterminatum) ad singulos annos: sic Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. unde Papa non potest abrogare præceptum confes-

sionis, nisi ex eâ parte quâ est Ecclesiasticum, non jubendo illam fieri annuatim.

Objiciunt communiter adversarii, Christum remisisse peccata Magdalenæ & Paralytico sine Confessione: sed licet hoc fecerit Christus, qui habebat potestatem excellentiæ, non alligatam Sacramentis, & qui intima cordium penetrabat; non propterea sic agere possunt ipsius ministri. Quòd si dicant, Petrum per lacrymas sine Confessione obtinuisse suæ negationis remissionem: nil mirum est, nondum enim Apostoli habebant potestatem ligandi & absolvendi; quæ tantùm data fuit post resurrectionem: Joann. 20. Quòd si Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus dicatur abrogasse confessionem; non abrogávit secretam, sed publicam, quæ fieri solebat; & hoc propter hanc occasionem. Mos inoleverat, ut in qualibet civitate deputaretur Sacerdos aliquis qui exciperet confessiones quorumdam peccatorum publicorum, quæ congruum aliquando judicabat publicare inter solemnia Missarum coram astantibus, tùm ut aliis incuteretur timor; tùm ut fieret aliqua satisfactio illis quibus scandalum datum fuerat; quâdam autem die mulier nobilis se accusando, accusavit diaconum cum quo peccaverat, de quâ re grandis tumultus factus est in Ecclesiâ, quem audiens Nectarius prohibuit, ne deinceps fierent confessiones publicæ.

Objiciunt insuper aliquos Patres, & præsertim Chrysostomum Homil. 3. in Epist. ad Hæbraos dicentem, *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses.* Et in Psal-

mum 59. *Si confunderis alicui dicere quia peccasti, dicito quotidie in anima tua* : Homil. etiam 4. de Lazaro, *Cave, homini dixeris peccata, nè exprobret tibi ; nec enim conservo tuo confiteris.* Resp. Chrysostomum per hoc non respuere confessionem secretam ; illam enim astruit Homilia 85. in Joannem, & libro 3. de Sacerdotio ; sed tantùm rejicit publicam, abrogatam per Nectarium antecessorem suum ; fiebat enim pro tunc duplex confessio, una publica ante populum ad incutiendum timorem & scandalum de peccatis publicis reparandum ; alia auricularis coram sacerdote ad absolutionem recipiendam. Primam rejicit Chrysostomus, secundam retinet ; ita quòd sensus illius sit, ut postquam pœnitens sua peccata confessus fuerit sacerdoti, non tanquam homini, nec tanquam conservo suo, sed tanquam Deo cujus vices tenet, posteà secretam pœtentiam faciat de peccatis suis, non illa declarando iterum hominibus, ut fieri solebat, sed soli Deo inter privatos parietes.

Quæres, utrùm confessio fuerit præcepta in lege Mosaïcâ ? Resp. negativè ; tunc enim sacerdotes non habebant claves regni cælorum, nec potestatem remittendi peccata, quæ tantùm data fuit Apostolis ; unde si discernebant inter lepram & lepram, hoc intelligitur de leprâ corporali ; judicabant enim qualis esset lepra, & an esset perfectè sanata, eam tamen sanare non poterant. Quòd si Numer. 5. habeatur, *Vir, sive mulier cum transgressi fuerint mandatum Domini, confitebuntur peccatum suum*, hoc intelligitur de peccatis exterioribus, non

de internis, quæ nos ipsi tenemur confiteri; unde ea confessio erat tantùm figura nostræ: confitebantur autem illa peccata exteriora graviora per certa quædam sacrificia, quæ pro certis quibusdam peccatis destinabantur, & quæ tenebantur offerre, in quo consistebat illorum confessio.

Quæstio II.

Quos obliget præceptum Confessionis?

Apud omnes Catholicos in confesso est, præceptum confessionis esse à Christo Domino institutum, ut dictum est superiùs; aliqui tamen putaverunt confessionem non fuisse à Christo præceptam: sed quia hoc secundum æquè ac primum determinatum est in Concilio Tridentino sess. 14. can. 6. non est quòd immoremur in probandâ hac veritate, sed quærimus tantùm, qui sint obligati ad confessionem.

Conclusio.

Omnes fideles baptisati, postquam rationis usum attigerint, si habent peccata mortalia commissa post baptismum aut in susceptione baptismi, tenentur confiteri. Quia diximus, *omnes*, ideo Summus Pontifex ad confessionem tenetur, nedum ex jure divino, sed Ecclesiastico; si non ex vi coactiva, saltem ex vi directivâ; decens enim est, ut observet legem, quam condidit. Quia diximus, *fideles baptisati*, ideò infideles & Catechumeni

non tenentur ad confessionem, neque jure Ecclesiastico, Ecclesia enim habet tantùm jus in baptisatos; neque jure divino, quia Christus neminem voluit ad confessionem teneri, nisi esset baptisatus; unde Baptismus dicitur janua Sacramentorum, & Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. dicit, *Hoc Sacramentum esse necessarium lapsis post baptismum.* Quia diximus, *postquam rationis usum attigerint*; ideò sicut illi qui carent usu rationis, non tenentur huic præcepto; qui tamen rationis sunt compotes, etiam ante pubertatem, ad confessionem tenentur, tùm de jure divino, tùm de Ecclesiastico; cùm sint enim capaces peccati, debent ad remedium currere; qui tamen in hac ætate non confiteretur quot annis, non incurreret pœnam excommunicationis aut privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, quæ statuitur contra non confitentes annuatim, ex capite *Omnis utriusque sexus*; Gregorius enim IX. dicit, *Pueros sæpè delinquere, non tamen in illis puniendas esse delicta, sicut in majoribus*; si tamen percuterent clericum, excommunicationem incurrerent. Quia diximus, *si habent peccata mortalia*; ideò qui habet tantùm venialia, non tenetur confiteri quot annis; hoc enim non præcipitur, neque jure divino, neque Ecclesiastico; tenetur tamen comparere coram parocho, testificaturus se non indigere confessione, & hoc jure naturali ad vitandum scandalum. Quia diximus, *post Baptismum & in Baptismo commissa*; peccata commissa ante Baptismum non sunt materia legitima confessionis, quia commissa sunt ab homine non subjecto

Ecclesiæ; fictio tamen cum quâ Baptismus recipitur, debet aperiri in confessione.

Quæstio III.

Quo tempore obliget præceptum Confessionis?

Nemo tenetur ad confessionem eo instanti quo peccatum commisit; est enim præceptum affirmativum, sicut contritio; & sic obligat tantùm pro certo aliquo tempore: pro quonam autem? aliud est, loqui de jure divino, aliud de jure Ecclesiastico; aliud est etiam loqui de necessitate confessionis per se, vel per accidens.

Conclusio.

Jure divino per se tenetur fidelis peccata confiteri in periculo mortis. Per periculum mortis intelligitur nedum gravis morbus, sed & navigatio periculosa, vel prælium, aut quæcunque alia occasio in quâ moraliter mors imminet. Ratione hujus præcepti Pius V. anno 1566. renovavit prohibitionem factam medicis, nè curarent infirmos, quin priùs eos monuerint de Confessione faciendâ; cui legi dicuntur medici satisfacere, dum monent infirmos de confessione, vel parentes ut ad confessionem excitent infirmos. Præcepto eodem mulier quæ primâ vice paritura est, aut quæ jam peperit cum periculo vitæ, tenetur ad confessionem, sicut & condemnatus ad mortem, & ægrotus qui in diuturno morbi periculo peccavit post confessionem factam: licet enim non

teneatur de novo Eucharistiam sumere, quam anteà sumpsit; (quia non est medium ad salutem absolutè necessarium) tenetur tamen confiteri iterum. An autem extra periculum mortis aliquis teneatur de jure divino confiteri peccata; negant D. Thomas in 4. dist. 17. art. 4. & Scotus in 4. dist. 17. art. 4. circa finem. Alii cum Bonacinâ, sentiunt quòd si Ecclesia non determinasset præceptum confessionis ad singulos annos, non tamen deberet differri usque ad mortem; quia non est verisimile, quòd Christus instituerit tam æstimabile Sacramentum, ut semel tantùm reciperetur. Tempus quo sit emittenda confessio extra articulum mortis, determinari debet ex judicio prudentis viri, ita quòd, inquiunt aliqui, non debeat differri ultra quatuor vel quinque annos.

Quoad tempus quo fieri debet Confessio de jure divino per accidens; facienda est, cùm quis conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere intendit; pro tunc enim, dum adest copia confessarii, non sufficit Contritio; sic Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. fundat autem Concilium hanc necessitatem Confessionis esse de jure divino in verbis Apostoli 1. Corinth. 11. dicentis, *Probet autem seipsum homo.* Non est idem dicendum de receptione aliorum Sacramentorum, in quibus Contritio sufficit, cùm nullum sit præceptum divinum aut Ecclesiasticum de Confessione; unde Concil. Trident. Sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii, hortatur quidem conjuges, ut peccata confiteantur antequam contrahant, non

tamen præcipit; melius tamen est, ut quodcunque Sacramentum recipiens confiteatur, nè loco Contritionis habeat tantùm Attritionem. Quòd si urgente necessitate, Sacerdos absque confessione celebraverit cum Contritione solâ, tenetur post celebrationem quamprimùm confiteri, idest, primâ datâ copiâ confessarii; hoc tamen præceptum non est divinum, sed Ecclesiasticum tantùm, latum in Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. Quantùm verò ad laïcos, qui accesserunt ad altare, sumpturi Eucharistiam, & recordantur alicujus peccati mortalis, quod ob scandalum non possunt confiteri ante Communionem, non tenentur post illam citiùs confiteri peccatum, quia Concilium obligat tantùm sacerdotes, & leges rigorosæ extendi non debent.

Conclusio Secunda.

Quantum ad præceptum Ecclesiasticum, tenentur fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, confiteri peccata mortalia semel in anno. Sic habetur ex capite *Omnis utriusque sexus*; non quòd per hoc confessio præcipiatur, est enim de jure divino: non quòd etiam determinet tempus quo de jure divino confessio necessaria sit, confessio enim annua esset de jure divino explicato per Ecclesiam, illud tamen præceptum est tantùm Ecclesiasticum; sed per hoc Ecclesia vult instituere præceptum Ecclesiasticum de tempore Confessionis. Super hoc præceptum multa sunt notanda. Primò, quòd præceptum illud non obliget pro certâ & determinatâ parte anni; unde si præcipiatur in Paschate, hoc est per accidens,

ratione Eucharistiæ sumendæ, ad quam non sufficit Contritio ex Concil. Trid. sess. 13. c. 7. Licet ergo melius sit computare annum ab uno Paschate ad aliud, vel ab unâ confessione ad aliam, ille tamen satisfaceret præcepto Ecclesiæ qui confessus fuisset mense Ianuario præteriti, & differret aliam confessionem usque ad mensem Decembrem anni sequentis; quia licet essent viginti tres menses inter illas confessiones, nullum tamen annum præteriret sine confessione. Sic Gamacheus de Sacramento Pœnitentiæ cap. 15. ss. *Quod attinet*. Ratio est, quia præceptum non est de confessione faciendâ intra annum, sed singulis annis; in dato autem exemplo confessio fieret in quolibet anno. Secundum quod notetur, est, quòd si confessio fiat invalidè, retinendo v. g. peccata, non satisfit præcepto Ecclesiæ, nisi invaliditas confessionis oriretur ex ministro sine culpâ pœnitentis, utpotè si confessarius non haberet jurisdictionem, quam crederet habere pœnitens; qui faceret tamen illam confessionem invalidam, non incurreret pœnas latas á Concilio Lateranensi, ut sunt expulsio ab Ecclesiâ & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si hoc sacrilegium sit verè occultatum; Ecclesia enim in foro externo non judicat de occultis; si tamen est aliquomodo externum, ut si peccator illud revelaverit alteri, tunc incurritur pœna. Sic Gamacheus quæstione 15. ss. *Respondemus*, sic etiam Navarrus, & multi alii apud Bonacinam, qui contrarium tenet, incurri scilicet excommunicationem, etiamsi sacrilegium sit occultum. Notetur tertiò, quòd qui præ-

videt se non habiturũ copiam confessarii quando confessionis urgebit præceptum, tenetur illam anticipare; sicut qui prævidet se non posse vesperi recitare vesperas ob impedimentum, tenetur illas manè recitare; licet aliqui teneant, hoc non esse necessarium, quando impedimentum debet oriri ex febri. Quartò, qui non est confessus anno præterito, tenetur quamprimùm confiteri; quia non limitatur annus, ut per hoc finiat præceptum confessionis, sed ad illam sollicitandam: & sic toties peccat qui non confitetur, quoties est confitendi opportunitas. Quòd si quis dicat, præceptum jejunii, auditionis sacri, & communionis in Paschate non obligare post tempus elapsum; respondetur, aliquid esse præceptum vel ob venerationem temporis determinati, vel absolutè & in se, nè ampliùs differatur; hoc ultimo modo præcepta est confessio, & sic elapso tempore Paschatis debet fieri; jejunium verò, auditio sacri & communio Paschatis præcipiuntur ob venerationem temporis; & sic illo elapso non obligant: verisimilius est tamen, quòd præceptum Communionis etiam urgeat post Pascha. Quintò, qui non est confessus in periculo mortis, cessante periculo, non tenetur confiteri; cessat enim periculum imminens damnationis, propter quod imminente morte, præcipiebatur Confessio. Sextò, qui Confessionem non emisit in aliquo anno, tenetur in sequenti duas emittere ad minus, unam pro anno præterito, & aliam pro præsenti, si habeat peccata mortalia intra illum; licet enim unico actu satisfieri possit pluribus

præceptis, ut quando quis jejunat tantùm semel pro die Vigiliæ & Quadragesimæ; quando tamen præcepta respiciunt plures actus per se faciendos, ut in Confessione, quæ duplex esse debet in duobus annis, una confessio non sufficit: alii contrarium tenent. Septimò, ad observationem præcepti hujus, Confessio debet fieri Sacerdoti approbato; & sic non sufficit confiteri religioso non approbato; non est enim legitimus judex: sed si sit approbatus, valida est confessio; nam si ex capite *Omnis utriusque sexus*, confessio debeat fieri proprio sacerdoti, hoc verum est excluso privilegio; immò in eodem capite subjungitur, *vel alteri de ejus licentia*. Cum ergo Papa sit proprius Sacerdos omnium fidelium, & Episcopus Diœcesanorum, Religiosus approbatus ab Episcopo, habens Privilegium papale, censetur deputatus à Papa, qui est proprius parochus ordinis superioris; & sic potest audire confessionem annuam, quis enim dicet, quòd pastor possit committere licentiam sacerdoti approbato audiendi suas oves, & non possit Papa, aut Episcopus idem facere? Octavò, qui post Communionem Paschalem meminit se oblitum fuisse aliquod mortale peccatum, non tenetur quamprimùm illud confiteri, sed potest differre ad annum sequentem. Si etiam aliquis ante elapsum annum confessus est sua peccata mortalia, & posteà relapsus est in aliud, probabile est non teneri ad confessionem illius, quia observavit præceptum Ecclesiæ. Si tamen confessus est tantùm peccata venialia, debet illud mortale confiteri intra annum, quia tenetur

singulis annis ad confessionem mortalium, & nullum confessus est.

Quæres, in quibus casibus excusari aliquis possit à Confessione. Respondeo, quòd multi sint. Primò, qui non habet confessarium, nec potest illum adire, nisi cum gravi incommodo aut periculo; v. g. maris, aut hostium, nec enim Christus, aut Ecclesia præcipiunt aliquid cum gravi detrimento. Secundò, qui timet probabiliter revelationem enormis peccati ex quâ oriretur infamia, vel grave scandalum; non tamen dispensatur de confessione aliorum, quorum revelatio multum obesse non potest. Tertiò, qui non potest confiteri sub sigillo confessionis, ut quando confessarius est surdus, & pœnitens in navi existit, & non potest confiteri, nisi ab aliis audiatur. Quartò, qui non potest confiteri, nisi per interpretem, quia confessio præcipitur facienda soli sacerdoti; tunc autem non esset solus. Quintò, qui non potest aliter confiteri quàm per scripturam, ut si pœnitens careat linguâ, vel confessarius sit surdus, si per nutus non possit peccata explicare, non tenetur ad confessionem, si sit periculum infamiæ; aliàs tenetur. Sextò, qui habet lubricam memoriam non tenetur peccata confiteri ex instanti quo ea commisit, nec etiam tenetur peccata scribere, quando illa patravit: quando tamen procedit ad confessionem, & scit se coram Sacerdote multa peccata oblituram, tenetur ea scribere, modò in tali scripturâ non sit periculum manifestandi confessionem: in talibus ergo circumstantiis, ad contritionem est recurrendum, quæ sufficit,

cùm non urgeat pro tunc præceptum Confessionis.

Quæstio IV.

Quænam sint conditiones Confessionis ?

Sexdecim communiter assignantur, quæ requiruntur, aliquæ ad valorem, & omnes ad perfectionem ejus ; & illæ his quatuor versibus continentur, quas tradet & explicabit.

Conclusio.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, lubens,
verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis & accusans, quæ sit parere parata.

Quia primò confessio debet esse *simplex*, ideò superflua debent prætermitti ; licet enim pœnitens teneatur distinctè explicare sua peccata, numerum eorum & ipsorum circumstantias, inutiles tamen prohibentur discursus.

Quia secundò debet esse *humilis*, ideò confessio quæ fit cum jactantia est invalida, tùm quia deest dolor ; tùm quia novum peccatum committitur ; si tamen fieret non flexis genibus, aut non detecto capite, etiam extra necessitatem, non esset invalida ; non fieret enim gravis injuria Sacramento.

Quia tertiò debet esse *pura*, quantùm ad intentionem, si fiat ob finem peccaminosum, v. g. ob hypocrisim, est invalida ; si fiat tamen

ut conſervetur bona opinio apud confeſſarium, qui eſt vir gravis & pœnitenti notus, eſt valida.

Quia quartò debet eſſe *fidelis*, ideò non licet mentiri circa peccatum mortale non anteà confeſſum; ſi tamen fuerit anteà confeſſum, poteſt dicere pœnitens ſe illud non commiſiſſe, quia non eſt materia neceſſaria confeſſionis. Invalida etiam eſſet Confeſſio, ſi quis diceret majorem numerum peccatorum, quàm commiſerit; quia hoc eſt decipere judicem in materiâ neceſſariâ, niſi hoc fiat bonâ fide, ut ſæpiùs evenit in rudibus, qui credunt ſe plus peccaſſe, quàm peccaverint. Invalida etiam eſſet confeſſio, ſi peccata dubia pro certis exprimerentur, & certa pro dubiis: certa enim debent exprimi ut certa, & dubia ut dubia; & ſic qui dubitat, an aliquod peccatum commiſerit, debet non illud reticere, ſed confiteri ut dubium; quia tutior pars eſt eligenda. Quòd ſi in dubio melior ſit conditio poſſidentis, ut patet de illo qui dubitans, an votum emiſerit, nec-ne, non tenetur illud implere, hoc eſt verum quando non datur lex contraria. Cùm ergo ſecundùm Doctores ſit lex de confitendo peccato dubio, illud non eſt reticendum. Porrò, Confeſſio non eſt invalida, ſi pœnitens mentiatur circa peccatum veniale, dicendo ſe non illud commiſiſſe; quia non eſt materia neceſſaria, nec confeſſarius jus habet interrogandi de illo; hoc eſſet tamen peccatum veniale. Quòd ſi pœnitens confiteretur tantùm unum peccatum veniale circa quod mentiretur, dicendo ſe illud commiſiſſe quod

non commiserit, tunc peccaret mortaliter; quia faceret sacrilegium; esset enim causa, cur applicaretur forma Sacramenti super materiam insufficientem.

Quia quintò debet esse *frequens*, hoc intelligitur de consilio, quia multæ utilitates procedunt ex frequenti confessione; hoc tamen non est de præcepto, nisi quando quis sæpiùs labitur in peccatum, quod vitare non potest, nisi auxilio confessionis; tunc enim illius frequentia est de jure divino.

Quia sextò debet esse *nuda*, ideò excusationibus palliari non debet, nec obscura reddi; debet enim esse talis, ut Sacerdos, ad quem spectat judicare de peccatis, possit cognoscere an mortalia sint, vel venialia. Quòd si hoc non possit cognoscere, non debet intendere illa absolvere ut mortalia vel ut venialia; sed sufficit si indeterminatè absolvantur peccata.

Quia septimò debet esse *discreta*, pœnitens debet uti verbis honestis & pudicis, dum peccata carnis explicat, non descendendo ad circumstantias inutiles; quam discretionem debet etiam adhibere confessarius: eâdem conditione caveat pœnitens, nè declaret suum complicem. Denique debet adire confessarium eruditum, unde si dubitans de usurâ accedat sacerdotem, quem scit ignarum, ut propter ipsius ignorantiam excusetur à restitutione, invalida est Confessio.

Quia octavò debet esse *lubens*, requiritur voluntas & intentio confitendi peccata, aliàs esset invalida; si tamen quis confiteretur ad

vitandam infamiam aut excommunicationem, modò adhibeat debitas circumstantias, esset valida; quia esset voluntaria intrinsecè, licet admitteret involuntarium extrinsecum.

Quia nonò debet esse *verecunda*, ideò pœnitens debet confusionem aliquomodò recipere de commissione peccati; unde non debet confiteri sacerdoti cum quo commisit peccatum, quia non solet esse erubescentia, cùm declaratur peccatum illi cui jam notum est. Adde quod ex hoc posset dari occasio perseverandi in peccato; si tamen hoc fieret aliquando, pœnitens deberet confiteri etiam peccata illa quæ anteà nota essent confessario, debet enim illa cognoscere ut judex.

Quia decimò debet esse *integra*, & integritas est nedum de perfectione confessionis, sed etiam de ipsius valìditate; quæstio subsequens instituetur ex professo de integritate confessionis.

Quia undecimò debet esse *secreta*, ideo errant hæretici, qui dicunt initio fuisse publicam, & posteà secretam; secreta enim confessio semper fuit in usu Ecclesiæ, licet aliquando extiterit etiam publica justâ de causâ, ob humilitatem peccatoris & reparationem scandali; cum illa tamen fiebat adhuc secreta, & illa publica abrogata est.

Quia duodecimò debet esse *lachrymabilis*; non propterea pœnitens fundere debet lachrymas, aut emittere gemitus; sed per hoc requiritur dolor internus, sive sit Contritio, sive Attritio, ut diximus.

Quia tertiodecimò debet esse *accelerata*, non ideo peccator debet confiteri eo ipso quo peccavit, sed non debet illam longiùs differre ob periculum damnationis, & ideo hoc pertinet aliquo modo ad consilium.

Quia quartodecimò debet esse *fortis*, pœnitens debet vincere aversionem quam suggerit illi pudor; debet etiam fortiter deserere omne peccatum & omnem occasionem peccati, etiamsi sit detrimentum proprium passurus.

Quia quintodecimò debet esse *accusans*, peccata non debent proferri per solam narrationem; nec accusatio quæ fit de peccatis debet esse cum excusatione injustâ; licet excusatio justa possit afferri ad tuendam famam, ad quod omnes tenentur ex jure naturali.

Quia tandem debet esse *parere parata*, pœnitens debet obedire confessario injungenti fugam occasionis peccati, restitutionem rei, vel famæ ablatæ, reconciliationem cum proximo, & satisfactionem pro peccatis commissis.

QUÆSTIO V.

An Confessio debeat esse integra?

NON loquimur de integritate confessionis quantùm ad peccata venialia; non sunt enim materia necessaria Pœnitentiæ, sed tantùm sufficiens; unde unum potest exprimi, & aliud reticeri: sed loquimur de integritate confessionis quoad peccata mortalia.

CONCLUSIO.

DE necessitate confessionis est, quod sit integra, ita quod pœnitens exprimere debeat species peccatorum, numerum illorum, & ipsorum circumstantias, saltem speciem peccati mutantes; & hoc intelligitur post diligentem conscientiæ examinationem, quæ tanta debet esse, quanta adhiberi solet in negotio arduo, spectatâ etiam conditione personæ, qualitate officii ejus, & temporis intervallo quo confessio non est facta; unde qui confessus esset non prævio examine, confessio esset nulla, si sacerdotis interrogatio defectum examinis non suppleverit; & ideo si confessarius advertat pœnitentem non præmisisse examen, tenetur illum dimittere, vel interrogare; ex capite enim *Omnis utriusque sexûs*, confessarius debet diligenter inquirere de peccatoris & peccatorum circumstantiis.

Quantùm ad species peccatorum quæ debent explicari, ut confessio sit integra; hoc intelligitur de speciebus moralibus, ita quod pœnitens teneatur dicere se commisisse tale, vel tale peccatum, quod est contra tale vel tale præceptum: non autem necessarium, ut exprimantur species physicæ peccatorum; unde qui confecit venenum, vino miscuit, & propinavit inimico, satisfacit integritati confessionis, dicendo se veneno occidisse aliquem; aliquando tamen species physicæ explicandæ sunt. Primò quando alter ad peccaminosam actionem assumitur, v. g. si quis dedit venenum servo suo scienti, qui illud obtulit inimico; excitare enim aliquem ad peccatum, peccatum novum est,

& ideo exprimendum. Secundò, quando inter plures actus physicos tanta intercedit mora, ut plura numero peccata fiant ratione plurium volitionum quæ sunt interruptæ; & sic qui hodie venenum composuit, & cras illud propinavit, tenetur tales actus diversos exprimere; quia sunt diversa peccata numero. Tertiò, quando illi actus physici habent adjunctas circumstantias, quæ moraliter diversæ sunt; ut si quis iter suscipiens ad occidendum inimicum, conculcavit segetes.

Quando conclusio dicit, quod Confessio debeat esse integra quoad numerum peccatorum; hoc intelligitur etiam in eâdem specie, ita quod pœnitens teneatur dicere, se v. g. decies jurasse; non requiritur tamen, ut ille numerus sit certus mathematicè, hoc enim aliquando impossibile est; sed sufficit quod sit certus moraliter; unde si certus numerus non occurrat, debet exprimi verisimilis; qui si non possit haberi ob longam & frequentem peccati habitudinem, satis est si pœnitens indicet tempus à quo cœpit peccare, & consuetudinem quam habet peccandi ter vel quater quotidie. Ratione hujus veritatis; sequitur primò, quod ille qui furatus est centum nummos centum vicibus, debeat specificare illos centum actus repetitos, quia quilibet est peccaminosus. Sequitur secundò, quod non sufficiat sacerdoti dicere, se absolvisse vel communicasse aliquos dum erat in peccato, sed tenetur dicere quot absolverit; non est enim unica actio moralis, quia una absolutio non ordinatur ad alteram. Sequitur tertiò, quod ille qui positivè dixit se

blasphemasse decies, & factâ confessione agnoscit se blasphemasse duodecies, tenetur in primâ confessione explicare duplicem illam blasphemiam; non tenetur tamen, si dixerit se decies vel circiter blasphemasse. Sequitur quartò, quòd ille qui dicit se plura peccata commisisse quàm commiserit, si hoc fecerit malâ fide, non tantùm tenetur hoc explicare in novâ confessione, sed primam confessionem tenetur repetere ut invalidam; voluit enim decipere judicem in materiâ gravi; si autem hoc fecerit bonâ fide, ad neutrum tenetur. Quòd si deceperit circa peccata venialia, etiam malâ fide, non tenetur repetere confessionem, nec hoc peccatum confiteri; est enim tantùm peccatum veniale, quod potest non subjici confessioni. Sequitur quintò, quod peccata venialia, quando sola subjiciuntur absolutioni, debent explicari, si non quoad numerum, saltem quoad speciem; unde non sufficit si quis dicat se commisisse duo peccata venialia, sed debet explicare qualia sint, vel saltem unum eorum; licet enim de se non sint materia necessaria Pœnitentiæ, quando tamen aliquis vult recipere absolutionem de illis solis, sunt materia necessaria; & sic debent explicari quantùm ad speciem. Sequitur sextò, quod non sufficit dicere se subtraxisse rem alienam, sed specificandum est se non restituisse per tale tempus quo potuit restituere; qui enim restituere potest, & non restituit, novum peccatum facit, quoniam furtum consistit & in usurpatione rei alienæ, & in detentione illius.

Quantùm ad circumstantias peccatorum; aliæ mutant speciem peccati, quæ scilicet

adversantur speciali præcepto, ut quando, v. g. quis furatur in loco sacro; hæc circumstantia addit malitiam sacrilegii supra malitiam furti; quando etiam quis fornicatur cum affine, additur supra simplicem fornicationem violatio honoris debiti parentibus. Aliæ sunt circumstantiæ aggravantes peccatum intra suam speciem, ut gravis vel minor percussio, furtum decem vel centum nummorum, &c. Circumstantiæ mutantes speciem peccati quæ addunt specialem malitiam, debent exprimi. Sic Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. ideò qui concupivit mulierem, vel cum eâ peccavit, debet exprimere, an fuerit virgo, an corrupta, conjugata, voto ligata, affinis, vel consanguinea; sacerdos tamen qui carnaliter cognovit pœnitentem, non tenetur hoc explicare; non est enim inquisitus, nec sacrilegium; modò illam non sollicitaverit in confessione, nec sit parochus, nec ipsi incumbat ex officio onus procurandæ salutis pœnitenti; sic Bonacina, folio 140. Quantùm ad circumstantias aggravantes, si non aggravent notabiliter peccatum, non sunt necessariò exprimendæ; si verò aggravent notabiliter, licet multi negent, quòd debeant exprimi (in quorum sententiâ, qui esset furatus mille nummos, teneretur tantùm dicere, se furtum mortale commisisse, dummodò restituerit vel paratus fuerit restituere) alii tamen melius affirmant. Porrò, circumstantiæ mutantes speciem peccati & aggravantes continentur hoc versu.

Quis, quid, ubi quibus auxiliis, cur,
quomodò, quando.

Quæstio VI.

In quibus casibus possit non esse integra Confessio?

Nulla datur lex ita generalis, quin aliquando exceptionem patiatur; unde licet detur præceptum divinum de integritate confessionis faciendæ uni & eidem sacerdoti; non desunt tamen occasiones in quibus non urgeat hoc præceptum.

Conclusio.

Confessio multoties potest non esse integra. Primò ex ignorantiâ & oblivione, ut quando quis, dùm esset puer, ignorabat aliquod peccatum esse declarandum, posteà agnoscit illud debuisse subjici confessioni, non tenetur priores confessiones iterare, sed sufficit, si illud peccatum fateatur: si etiam quis inculpabiliter oblitus est peccatum mortale, debet tantùm illud declarare, non verò alia quæ jam confessus est, & quæ absoluta sunt, licet illorum confessio non fuerit integra. Ad observandum ergo præceptum Christi de integritate confessionis, sufficit quòd sit integra formaliter, & non requiritur semper quod sit integra materialiter: est autem integra formaliter, quando explicantur omnia peccata mortalia, quæ moraliter explicari possunt, ita ut nullum retineatur sine justâ causâ; est verò materialiter integra, quando omnia peccata mortalia, nullo dempto, explicantur; Christus autem non præcepit integritatem materialem confes-

sionis, aliquando enim est impossibilis, ut quando quis, facto diligenti examine, non meminit alicujus peccati; aliquando etiam non est facienda integra propter justas causas, de quibus illicò. Præceptum verò Christi est consentaneum rationi & onus ipsius leve est, unde non præcepit semper integritatem materialem confessionis.

Secundò, ab integritate materiali confessionis dispensatur pœnitens, qui incepit confiteri & præ morbi gravitate perficere non potest. Dispensatur etiam qui signis & nutibus explicat sua peccata in specie, licet non explicet quantùm ad externum sermonem, quia hoc non potest. Præterea, dispensatur qui linguâ carens aliqua tantùm peccata exprimit in specie, & alia exprimere non potest, nisi in genere. Sic dicendum est de extraneo, cujus idioma non percipitur; cùm enim faciat quod in se est, debet absolvi, si non sit alius sacerdos qui ipsum intelligat. Ægrotus qui dat & dare tantùm potest signa confessionis in genere, absolvi debet; immò, si non det actu talia signa, modò dederit anteà, potest absolvi, si illi qui moribundum audierunt, testimonium dederint, inquit Concil. Carthaginense quartum can. 76. nullum enim est periculum sacrilegii ex parte ministri, quia habet semper, & habere debet in mente suâ, vel in verbis intentionem conditionatam de absolvendo pœnitente secundùm ipsius dispositionem; unde in absolutione additur communiter *in quantùm possum, & indiges.* Si autem nullum detur testimonium, quod moribundus dederit signa Contritionis aut At-

tritionis, absolvi non potest, nec etiam sub conditione; ut enim applicetur forma Sacramenti sub conditione, materia debet esse probabiliter disposita. Idem dicendum est de amente, qui ante amentiam dedit signa Contritionis.

Tertiò, dispensatur ab integritate Confessionis, quando ex confessione alicujus peccati imminet aliquod grave damnum corporale aut spirituale, sivè pœnitenti, sivè confessario; præceptum enim Christi non obligat cum tanto incommodo, quia jugum ejus suave est; unde si pœnitens probabiliter timeat, quod sacerdos revelet grave aliquod peccatum, debet alia confiteri & istud retinere, si non sit alius cui omnia possit explicare. Si etiam pœnitens occiderit patrem vel matrem confessarii, non tenetur illi aperire hoc peccatum, nè ipsi det locum vindictæ, quod est grave damnum confessario. Si fœmina confitens sacerdoti se esse fornicariam, probabiliter timeat, ne ipsam confessarius sollicitet, à confessione dispensatur. Si pœnitens morbo contagioso laboret, potest dare absolutionem confessarius post unius peccati mortalis confessionem, si sine periculo non possit à longè audire omnia. Si confessarius morbo corripiatur, potest ad confessionem primi peccati mortalis absolvere, si pœnitens sit in periculo, & non sit alius sacerdos, ut reperitur tempore pestis. Si plures pœnitentes reperiantur simul ubi mors imminet, v. g. in prælio, in procellâ maris, in domo quæ igne conflagratur, &c. possunt aliqui eorum aliqua peccata altâ voce proferre, & statim

ſtatim ſacerdos abſolvere in plurali, dicendo, *Abſolvo vos.* Si tandem timet Sacerdos quin infirmus moriatur, debet audito aliquo mortali peccato abſolvere.

Quartò, multi tenent, ut Cajetanus, Scotus, Valentia, Antoninus & Navarrus, quòd ille qui habet peccata reſervata cum non reſervatis, poſſit adire ſuperiorem à quo abſolvatur, qui ſi gravioribus negotiis occupetur, & tempus non habuerit audiendi integram confeſſionem, nec voluerit propter rationabiles cauſas alteri dare licentiam audiendi & abſolvendi, poterit tantùm audire reſervata, & abſolvere illa cum onere explicandi non reſervata alteri confeſſario; & tunc, inquiunt, illa confeſſio eſt ſacramentalis & per abſolutionem remittuntur peccata reſervata directè, & non reſervata indirectè; ita quòd debeant poſteà ſubjici clavibus Eccleſiæ, ut remittantur directè, ſicut peccata quæ oblita fuerunt in præcedentibus confeſſionibus indirectè remiſſa fuerunt, & directè poſteà abſolvi debent, ideſt impendi beneficium abſolutionis, ut gratia augeatur & non committatur peccatum novum, illa non confitendo: Nec tunc, aiunt, violabitur integritas confeſſionis, quia tanta fit quanta requiritur judicio ſuperioris: alii tamen & meliùs, ſentiunt ſuperiorem non poſſe ſic confeſſionem dividere; & in hoc caſu, ſi ſit negotiis præpeditus, debere tantùm tollere reſervationem illorum peccatorum, & abſolvere de excommunicatione, ſi quæ ſit contracta, & poſteà remittere pœnitentem cuilibet confeſſario approbato, ut faciat illi confeſſionem ſacramentalem

de omnibus, & absolutionem recipiat.

Quintò, Navarrus, Valentia & alii putant, quòd pœnitens dispensetur à confessione peccati, quando non potest illud exprimere, nisi manifestando complicem; quia, inquiunt, præceptum de non infamando proximo, quod est de jure divino naturali, prævalet præcepto confessionis integræ, quod est tantùm de jure diuivo positivo. Contrarium tenent & probabiliùs D. Bonaventura, Sotus, Durandus, Sylvester & alii, pro quibus stat D. Bernardus opusculo *de honestæ vitæ formulâ*, circa finem; dicens, *de nullo prorsùs loquaris sinistrè, nisi in confessione; & hoc ubi aliter manifestare non potes peccatum tuum*; unde dices ad rationem allatam, quòd occultum peccatum proximi manifestare, non sit illum infamare, quando hoc fit ex rationabili causâ & sine intentione infamandi, ut. fit in confessione, ubi peccatum manifestaretur tantùm confessario qui tenetur servare sigillum.

Quæstio VII.

An solus Sacerdos sit Minister Confessionis?

Quia in mente hæreticorum Sacramenta & ministri non aliter remittunt peccata, nisi excitando fidem in suscipientibus; ideò quilibet laïcus potest hoc facere, & in remissione peccati Papa non excedit mulierculam, inquit Vicleffus.

CONCLUSIO.

SOLUS Sacerdos potest esse minister hujus Sacramenti. Sic Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. Ratio est, quia illi soli possunt absolvere, quibus potestas clavium, seu remittendi peccata concessa est; solis autem Apostolis, nedûm quatenus repræsentabant Episcopos, sed quatenus Sacerdotes erant, dictum fuit; *Quæcumque ligaveritis super terram*, &c. *Quorum remiseritis*, &c. Hoc inquam, illis dictum fuit, ut erant Sacerdotes, sicut & hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; Cujus ratio est, quia Sacramentum hoc est omnibus necessarium; ergo & conferendum ab illis qui habent characterem communem, nempe sacerdotalem; non potest ergo Ecclesia dispensare, ut aliquis non sacerdos absolvat; hoc enim est de jure divino: Unde, si dicat Jacobus cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata*; non loquitur de confessione sacramentali, sed de confessione publicâ, quæ fiebat humilitatis causâ, de quâ dicit Bernardus libro de verâ & falsâ pœnitentiâ, *Si desit Sacerdos, peccator confiteatur proximo*: non loquitur inquam Apostolus de confessione Sacramentali ad absolutionem, si enim laïcus illam præsumeret conferre, fieret irregularis ex jure Canonico. Quòd si loquatur de sacramentali; hoc est ad Sacerdotes, qui taliter sunt patres spirituales, ut sint etiam fratres. Quòd si ex jure canonico Communio danda est furibus Presbytero aut Diacono confessis; hoc intelligitur de confessione generali quæ fiebat cum privatâ, ut viderent omnes, an essent contriti & digni communione. Sic intelligendus est

Cyprianus committens absolutionem lapsorum cuidam Diacono; loquebatur enim de absolutione illâ, quâ publici pœnitentes recipiebantur in communionem Ecclesiæ.

Quæstio VIII.

An omnis Sacerdos sit Minister Confessionis?

Quia dicemus, quod Sacerdos debeat habere potestatem clavium, ut absolvere possit; dicendum est, quod potestas clavium nihil aliud sit, quàm potestas solvendi & ligandi, quâ sacerdos ut judex Ecclesiasticus dignos admittere valet ad regnum cælorum, & indignos repellere; unde sunt duo actus hujus potestatis, quorum primus est solvere, & alius ligare: primus est primariò intentus, & fit per actionem positivam, conferendo gratiam remissionis peccati; posterior verò fit per negationem actionis seu solutionis. In quolibet confessario duplex clavis requiritur, scilicet Ordinis & Jurisdictionis. Potestas seu clavis Ordinis nihil aliud est, quàm caracter sacerdotalis, quo ex institutione divina aliquis deputatur, ut possit esse judex in foro conscientiæ. Potestas seu clavis jurisdictionis est authoritas quâ unus alteri est superior in foro pœnitentiali. Prima vocatur potestas tantùm habitualis, impedita defectu materiæ cui possit applicari; Sacerdos enim ut sacerdos, non habet subditos & consequenter non est Iudex: secunda verò vocatur actualis, quia est expedita ad ope-

randum, habetque debitam materiam cui applicetur, nempe subditos. Porrò, prima est indelebilis sicut caracter, secunda verò auferri potest per excommunicationem & hæresim.

CONCLUSIO.

OMNIS Sacerdos non est Minister hujus Sacramenti, & sic non sufficit sola clavis Ordinis, quam habet ut Sacerdos; sed requiritur clavis Iurisdictionis, quâ subditos habeat quos absolvere possit. Sic Concil. Florent. determinans tria esse necessaria essentialiter ad hoc Sacramentum, nempe materiam, formam; & ministrum habentem jurisdictionem: unde Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. dicit, nullius esse momenti eam absolutionem quam sacerdos profert in eum in quem ordinariam aut subdelegaram non habet jurisdictionem. Ratio in promptu est, quia absolutio est actus judicialis, qui requirit jurisdictionem in subditos. Quando autem illa potestas jurisdictionis datur? aliqui dicunt, eam tradi cùm datur potestas Ordinis, ita quod sacerdos in ordinatione duplicem potestatem recipiat, unam super corpus Christi verum quod potest consecrare, alteram super mysticum, nempe super fideles, ad quos absolvendos sit aptus, licet suspendatur ab Ecclesiâ, donec habeat subditos. Sed hoc verum non censetur; sicut enim non potest suspendi potestas ordinis circa corpus Christi verum, non posset etiam suspendi circa mysticum. Alii dicunt, partim dari potestatem jurisdictionis in Ordine, & partim extra ordinationem, quando committuntur subditi; hoc tamen non placet, quia jurisdictio & subjectio

sunt correlativa ; unde quia in ordinatione non habet subditos, nullam habet etiam jurisdictionem. Dicendum ergo est, quod potestas Ordinis & Jurisdictionis sint distinctæ ; & quod hæc detur extra Sacramentum Ordinis, per externam concessionem, vel ex officio, quando aliquis destinatur ad curam animarum, ut Papa, Episcopi & Pastores ; eo enim ipso quo ad talia munera recipiuntur, jurisdictionem habent in subditos.

Objicies, Sacerdotes in suâ ordinatione recipiunt potestatem offerendi sacrificium, præter quam nulla alia potestas requiritur, ut sacrificare valeant : ergo cùm accipiant pro tunc etiam potestatem remittendi peccata, nullâ aliâ indigent : ergo illam habent vi ordinationis ; & sic omnis sacerdos absolvere potest. Resp. negando paritatem, quia potentia consecrandi non habet rationem clavis, non est enim judicium ; unde non requirit jurisdictionem ; benè autem potestas absolvendi exigit ; quia fertur per modum judicii. Dices, in suâ ordinatione constituitur judex ad ferendam absolutionem, ut patet ex verbis Episcoporum ; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* : ergo non requiritur alia potestas jurisdictionis. Resp. ex vi ordinationis datur quidem potestas absolvendi, quæ est completa in ratione activi, sed non est completa in ratione passivi ; quia non habentur subditi : si ergo in ordine constituantur judices, hoc verum est secundùm habitudinem, non secundùm actum.

Quæstio IX.

An quilibet Sacerdos possit absolvere à venialibus peccatis?

EX antecedenti quæstione quilibet Sacerdos non potest absolvere à peccatis mortalibus, quia requiritur jurisdictio, sive ordinaria sive delegata; quod intelligitur etiam de Sacerdotibus circa alios Sacerdotes, ut habetur ex Concil. Trident. sess. 13. cap. 15. ubi statuitur, nullum, etiam regularem, posse cõfessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nisi habeat parochiale beneficium aut approbationem ab Episcopo; unde, si contrarium sit in usu in multis locis, hoc fit validè & licitè, non ex vi alicujus consuetudinis; huic enim derogavit Concil. sed ex consensu tacito Episcoporum, qui cùm hoc sciant & non prohibeant, censentur approbare sacerdotes ad hoc; si tamen hoc prohibeant, non ampliùs est licitum; & manendum est in determinatione Concilii hoc prohibentis: potest nihilominus oriri difficultas de peccatis venialibus, an simplex sacerdos non approbatus ab illis absolvere possit.

Conclusio.

SIMPLEX sacerdos cum clavi solius Ordinis absolvere potest à venialibus. Sic Navarrus, Medina & alii. Ratio peti potest ex hoc quod peccata venialia, licet sint materia sufficiens absolutionis, non sunt tamen materia necessaria; liberum enim est pœnitenti ea subji-

negandum Sacerdoti excommunicato, interdicto, suspenso, & hæretico; Concil. enim Trident. sess. 14. cap. 7. docet, quod omnes Sacerdotes absolvere possint in articulo mortis. Quod dicitur de articulo mortis, dicitur etiam de quovis probabili vitæ periculo, ut in pugnâ, in periculosâ navigatione, & pro eo tempore, quo quis teneretur ex præcepto divino confiteri proprio sacerdoti, si illum haberet. Hæc omnia intelligenda sunt quando deest sacerdos approbatus non excommunicatus qui velit absolvere; pro tunc etiam moribundus non est in necessitate confitendi simplici sacerdoti; si autem esset tantùm sacerdos excommunicatus præsens, vel degradatus, vel hæreticus; sacerdos non approbatus potest & debet absolvere, non verò excommunicatus. Porrò, potestas quam habet simplex sacerdos absolvendi in articulo mortis, est absoluta & directa, itaut absolutus non teneatur elapso periculo peccata iterùm alteri confiteri, etiamsi reservata fuerint: si tamen habeant censuram annexam, debet absolutus elapso periculo se præsentare superiori; non ut ab illâ absolvatur denuò, sed ut ostendat se esse absolutum, & ad quamlibet pœnitentiam recipiendam paratum; aliàs in easdem censuras reincideret ex jure canonico. Hic sciendum, quemlibet Sacerdotem posse summum Pontificem absolvere, sicut enim potest assignare alios pro materiâ, sic & seipsum.

Quæstio XI.

Quis sit Minister ordinarius Confessionis?

Certum est, omnes fideles proprium habere sacerdotem cui tenentur confiteri, vel alteri de ejus licentiâ, ita ut aliter Confessio sit nulla: nomine autem proprii Sacerdotis intelligitur ille, cui ex officio animarum cura incumbit, & qui habet jurisdictionem ordinariam in foro conscientiæ; sivè talis jurisdictio sit proxima & immediata, qualem habent parochi; sivè sit universalis & quasi remota, ut est in Episcopis & in summo Pontifice.

Conclusio.

Triplex est Minister ordinarius confessionis; scilicet Summus Pontifex, Episcopus Diœcesanus, & proprius Parochus. Ad summum Pontificem reducuntur summus Pœnitentiarius, Legatus à latere, & similes, ad Episcopum reducuntur eorum Vicarii, Abbates exempti, Generales Ordinum & Provinciales, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem super subditos; ad Parochum reducuntur Vicarii perpetui, & in religionibus immediati Prælati, ut sunt Priores, Rectores, Guardiani, &c. eorum omnium jurisdictio non terminatur loco, sed personis; quare extra Diœcesim, vel Parochiam absolvere possunt; talis enim jurisdictio spectat ad personam, non ad locum; quia administratio ejus non requirit solemnitatem. Hi ergo omnes, tùm Papa, tùm Episcopus,

tùm Parochus, sunt Proprius Sacerdos, prout; proprius, condistinguitur contra alienum; unde quilibet potest confiteri in Paschate sua peccata Episcopo, vel ejus Vicario, & in Ecclesiâ Cathedrali Eucharistiam recipere, quia est mater Ecclesia omnium: Papa tamen & Episcopi non sunt proprii sacerdotes, prout proprius condistinguitur à communi; solus enim est proprius sacerdos qui proximam curam habet administrandi Sacramenta.

QUÆSTIO XII.

Vtrùm quis possit dare delegatam Iurisdictionem?

IURISDICTIO in foro conscientiæ potest delegari directè, vel indirectè; delegatur directè, quando Episcopus committit alicui absolvendi potestatem; delegatur indirectè, quando datur pœnitenti facultas eligendi sibi Confessarium à quo absolvatur; hoc est enim indirectè dare potestatem absolvendi Confessario.

CONCLUSIO.

OMNES qui habent potestatem ordinariam possunt eam delegare; delegatio enim est unus ex actibus jurisdictionis ordinariæ; unde Papa potest illam delegare pro quolibet loco & quibuslibet peccatis; Episcopi etiam delegare possunt in suâ Diœcesi, licet verò Parochi possint delegare in suâ parochiâ jure communi, quia habent jurisdictionem ordinariam, jure tamen positivo non possunt delegare, nisi eos qui approbati sunt ab Episcopo; eorum enim potestas restricta est per Concil. Trident. Præ-

ter hos, nullus delegare potest apud sæculares Ecclesiasticos; alii enim sunt delegati, & delegatus delegare non potest, nisi ex commissione speciali; tamen apud Regulares, Generales & Provinciales delegare possunt, & Guardiani respectu eorum, qui approbati sunt à Provincialibus. Delegatio nullam habet formam specialem ad delegandum necessariam; sed sufficit quòd delegans explicet suam voluntatem, quoquo modò hoc fiat. Quoad tempus quo durat delegatio, dicendum est, posse revocari à delegante. Quòd si fiat ad præfixum tempus, durat tantùm pro illo: si verò delegatio facta fuerit indefinitè, tamdiu durat, quamdiu non revocatur: nec per mortem delegantis amittitur jurisdictio delegata, quia tenet legem gratiæ & favoris; favor autem non expirat morte concedentis: sic privilegia regularium durant mortuo Papâ aut Episcopo, modò non fuerint revocata à successore, vel à capitulo.

Quæstio XIII.

An habens potestatem audiendi Confessiones à Papâ vel Episcopo, possit illas audire sine licentiâ Episcopi, aut Parochi?

Papa, Episcopus, & Parochus sunt ministri ordinarii Confessionis, ad quos pertinet delegare; excepto tamen parocho, cui per Concil. Trident. delegandi restricta est potestas ad sacerdotes approbatos: cùm ergo

Papa possit delegare in totâ Ecclesiâ, quæritur, utrùm talis delegatio valeat sine licentiâ Episcoporum; cùm etiam Episcopus quilibet deputare possit in suâ Diœcesi, quæritur, utrùm sic delegatus ab Episcopo possit audire confessiones reluctantibus Parochis.

CONCLUSIO.

SUFFICIT Jurisdictio delegata Papæ aut Episcopi, ut quis possit audire confessiones, reluctante Episcopo, aut Parocho, nisi hæc restrictio apponatur in delegatione. Sic omnes Summistæ, qui hoc colligunt ex Joanne 12. in extravaganti *vas electionis*, Benedicto XI. & Martino V. Ratio est, quia Papa & Episcopus possunt per se audire confessiones cujuscumque subditi sine licentiâ Pastorum inferiorum; habent enim jurisdictionem, nedum illis æqualem, sed & superiorem: ergo possunt illos ita delegare, ut operari possint sine Parochi licentiâ. Deinde, si privilegium à superiore concessum exigeret licentiam inferioris, esset inutile; quia ipsa licentia inferioris sufficeret; vnde Honorius III. rogatus de quodam privilegio concesso ordini Minorum & Prædicatorum de celebrando in altari portatili, respondit privilegium intelligendum esse sine licentiâ inferiorum prælatorum, quia aliàs nihil operaretur.

Objicies, privilegium concessum alicui intelligendum esse sine præjudicio alterius ex communi axiomate juris; hoc autem cederet in præjudicium Parochi qui privaretur jure suo. Resp. quòd non privaretur jure suo; habet enim tantùm Iurisdictionem subordinatam

superiori; unde sicut superior potest illâ uti quando vult, sic illam delegare potest alteri. Deinde non habet Iurisdictionem propter suam utilitatem, sed ovium suarum. Tandem per hoc juvantur Parochi.

Objicies secundò, ex cap. *Omnis utriusque sedus*, omnes Sacerdotes debent proprio Sacerdoti vel alteri ex ejus licentiâ confiteri; nomine autem proprii Sacerdotis intelligitur Parochus, unde Sixtus IV. agens de privilegiis Mendicantibus concessis dicit, per illa privilegia non esse derogatum, quominùs fideles semel in anno tempore Paschatis suo proprio Sacerdoti confiteri teneantur. Resp. nomine proprii Sacerdotis intelligi vel Papam, vel Episcopum, vel Parochum; unde ait D. Thomas cap. 4. opusculi 191. *Qui confessus est Episcopo suo, vel habenti vicem eius, confessus est proprio Sacerdoti*; ex quibus patet, confessionem factam religioso satisfacere pro annuo præcepto, sicut expresè definivit Benedictus XI. extravag. prima *de privilegiis*, & Ioannes XXI. extravaganti *vas electionis*, de Hæreticis, & Clemens VIII. qui hanc conclusionem definivit, dum quidam pastores hanc quæstionem moverent. Quòd si Sixtus IV. dicat, se non velle religiosos hoc prædicare; hoc est ad servandam pacem; additur enim in eâdem bullâ, *ipsi fratres Mendicantes non censentur exclusi, quominùs secundùm juris communis & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire & pœnitentias injungere valeant*. Hoc confirmat Pius V. in bullâ, *Etsi Mendicantes*, ubi sic habet, *à confessionibus audiendis, tam intra*

eorum Ecclesias & domos, quàm extra; minimè prohibeantur Mendicantes, super hoc litteras felicis recordationis Pauli Papæ IV. prædecessoris nostri, concedentes eisdem fratribus Mendicantibus regularis observantiæ posse confessiones sæcularium personarum etiam infirmarum, etiam extra domos & monasteria sua & ubi libet audire, approbando, & de novo concedendo. Nec dicant, omnia privilegia (quæ vocant regularium, & quæ potiùs vocari deberent populorum privilegia, quoniam in favorem illorum & non regularium sunt) esse revocata; hoc enim dicere non sufficit, immò probandum remanet, nec ullo modò probari poterit: licet enim Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. ad terminos Concil. Trident. ea reduxerint; non tamen ullo modo illa revocaruut; immò Urbanus VIII. qui revocavit privilegia quibus certi quidam religiosi audiebant confessiones sine approbatione Ordinarii, in bullâ quæ incipit, *in plenitudinem potestatis*, confirmat omnia regularium privilegia, dummodò sint in usu, sacrique Concilij decretis minimé adversentur; nusquam autem reperietur in Concilio, revocatum fuisse privilegium, quo in Paschate absolvere possunt Regulares etiam ad impletionem præcepti annuæ confessionis; immò Clemens VIII. renovavit illud, & Innocentius X. qui in brevi Apostolico dato anno 1649. post maturam discutionem determinavit, quòd Regulares & communionem dare & confessionem recipere possent, etiam in Paschate.

Concil. Trident. etiam nullomodò revocavit privilegium, quo fideles audire possunt

Missam in Ecclesiis regularium, & non teneri ulteriùs ad Missam Parochialem; Leo enim XI. in Bullâ quæ incipit *intelleximus*, quæsitus an fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ de audiendâ Missâ diebus festis & dominicis, cùm illi adsunt in Ecclesiis regularium, respondet affirmativè, modò hoc fiat, non contempto proprio sacerdote Parochiali; & ibi derogat decretis omnibus in contrarium emanatis: unde Concil. Trident. sess. 22. tantummodò præcipit, quòd moneantur populi, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant; supra quod congregatio Cardinalium sacri Concilii interpretum notat, admonendos esse & non cogendos populos, ut frequentent Parochias suas ad audiendam Missam. Pius V. hoc decretum Concilii explicavit in Bullâ *Etsi Mendicantium*, intentionem Ecclesiæ declarans, quòd satisfiat præcepto audiendi Missam diebus festis & dominicis in Ecclesiis regularium. Idem determinavit Clemens VIII. in Bullâ *Significatur*. Quòd si Sixtus IV. inhibeat fratribus Mendicantibus, nè hoc prædicent; hoc est ad patem servandam. Quòd si idem Sixtus dicat, hoc jure cautum esse, quòd Parochiani Missas audiant in suâ Parochiâ; addit illicò, *Nisi forsan ex honesta causa ab Ecclesia se absentarent*; illa autem justa causa potest esse, quòd aliqui magis recolligantur in Ecclesiis regularium, quàm in aliis; vel quòd ibi majorem devotionem habere soleant. Quoad constitutionem juris hoc præcipientis, continetur capite *ut Dominicis, de Parochis*; ubi additur hoc esse

prohibitum, si fiat proprio contempto presbytero. Quòd si multoties vel ex jure, vel in bullis specialibus habeatur, quòd regulares non possint administrare sacramenta; hoc est ex jure communi; possunt tamen ex privilegio.

Quæstio XIV.

Quis sit minister vagorum, & itinerantium?

Summus Pontifex potest sibi elegere confessarium jure divino, Episcopi & Prælati jure Ecclesiastico, cap. ult. *de pœnitentia & remissione*, Parochi & sacerdotes sæculares hoc habent ex consuetudine; debent tamen eligene sacerdotes approbatos ab Episcopo, uti determinavit Concil. Trident. sed respectu vagorum & itinerantium quid sit sentiendum, quærimus.

Conclusio.

Qui duo habent domicilia in quibus æquè habitant per annum, possunt utrique Parocho confiteri; quia uterque est proprius Sacerdos, & hæc jurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium. Quoad illos qui habent in aliquo loco fixum domicilium, non in alio, ut Scolares, Milites, Mercatores, Litigantes, possunt confiteri in parochiâ in quâ habitant; talis enim consuetudo fuit justè introducta, nè diutiùs hoc Sacramento careant. Quoad vagos, debent confiteri in loco ubi vagantur, tali sacerdoti qualem voluerint eligere; actualis enim habitatio te-

net locum domicilii, & parochus loci in quo commorantur, potest ad hoc illos astringere. Quoad peregrinos, possunt confiteri Parocho loci ad quem perveniunt; olim de hoc petebant licentiam à proprio sacerdote, nunc ex consuetudine sufficit tacita licentia illius, modò iter agant bonâ fide & non in fraudem legis.

Quæstio XV.

Quænam conditiones requirantur in Confessario;

Aliæ requiruntur, ut validè administretur confessio; aliæ, ut licitè fiat. Ut validè confessio administretur, requiritur quòd Minister sit sacerdos; quòd sit approbatus ab Ordinario pœnitentis, ipsi enim demandata est cura de suis ovibus; & quòd non sit excommunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus; tales enim censentur amisisse jurisdictionem: requiritur denique, ut intentionem absolvendi habeat. Quoad conditiones requisitas, ut licitè administretur confessio, explicabit

Conclusio.

Tres præsertim conditiones requiruntur ad licitè administrandam confessionem, nimirùm Bonitas moralis, Scientia, & Prudentia. Requiritur primò Bonitas, ut volunt omnes; non enim debent administrari Sacramenta cum conscientiâ peccati mortalis: sa-

cerdos ergo debet priùs esse confessus vel contritus; & sic peccatum est eligere confessarium, quem constat esse in peccato mortali; est enim contra charitatem inducere aliquem ad opus, quod facturus sit cum peccato mortali: quòd si tamen accedatur minister ex officio, cui ex onere pastoratûs incumbit audire confessiones, tunc licitum est uti jure suo, & ab illo absolutionem petere, modò non sint alii.

Secundò, requiritur Scientia; nullus enim debet exercere judicium in aliquâ causâ gravi, nisi habeat scientiam proportionatam ad ferendum æquum judicium, aliàs se exponeret periculo malè judicandi. Debent autem communiter scire confessarii, quænam sit distinctio inter peccatum mortale & veniale; quænam peccata habeant adjunctam excommunicationem, & quæ non; debent scire, quæ circumstantiæ mutent speciem peccati, & quæ aggravent tantùm; non debent ignorare, quando pœnitens ad restitutionem tenetur; & sic debent scire contractus usurarios, & aliquid de speciebus irregularitatum, maximè si confessarius velit absolvere sacerdotes; debet scire quæ sint necessaria, ut pœnitens sit dispositus ad absolutionem recipiendam, tùm ex parte doloris pro peccatis præteritis, tùm ex parte propositi pro futuris vitandis; non debet tamen scire solutionem omnium difficultatum quæ oriri possunt, sed sufficit ut possit solvere ea quæ frequentius accidunt, & de aliis possit dubitare, ut consilium petat vel à peritis vel à libris.

Tertiò, requiritur Prudentia in Confessario. Primò in interrogando pœnitentem de his

quæ ignorat, vel occultare vellet. Secundo in adjuvando ipsum, ut contritionem concipiat & firmum propositum non recidivandi. Tertiò in erudiendo illum de credendis & faciendis. Quartò in pacificando ipsius conscientiam, si scrupulis angatur. Quintò in adhibendo consilia & remedia pro peccatis vitandis. Sextò in expendendo, an pœnitens sit ritè dispositus ad absolutionem recipiendam; ubi attendere debet, an illa sit deneganda. Quòd si pœnitens peccatum, aut occasionem proximam peccati relinquere non vult, absolvi non potest; signum enim est, quòd non verè doleat de peccato: si verò ex merâ fragilitate in eadem peccata sæpiùs relabatur, non desinat absolvi, modò præsumatur accedere cum verâ Contritione aut Attritione de peccatis, & firmo proposito non ampliùs peccandi, sic enim expressè habet Concilium Trident. Sess. 14. cap. 2.

Quæstio XVI.

Quid dicendum sit de casibus reservatis?

Per reservationem peccatorum intelligitur ablatio, seu non concessio jurisdictionis à superiore ad absolvenda certa quædam peccata; cùm enim jurisdictio absolvendi à peccatis detur per authoritatem superioris, ideò potest illam dare circa aliqua peccata, & negare circa alia, & ista censentur reservari.

CONCLUSIO.

EST in Ecclesiâ potestas reservandi casus, non tantùm quoad externam gubernationem, sed etiam in foro conscientiæ. Sic determinavit Concilium Trident. sess. 14. cap. 11. *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quominùs sacerdos à reservatis verè absolvat, Anathema sit.* Licet autem loquatur tantùm de Episcopis, attamen illa potestas residet in omnibus prælatis jurisdictionem habentibus, sivè summam, quam habet Papa; sivè Episcopalem, quam habent cum Episcopis Generales & Provinciales ordinum. In Papâ est potestas reservandi in Ecclesiâ uniuersâ, in Episcopo pro suâ Diœcesi, & in prælatis regularibus pro suis subditis. Parochi, quia non sunt prælati, non habent potestatem reservandi sibi casus, nec Guardiani nostræ religionis; licet enim prælati sint, quia habent jurisdictionem in foro tùm interno, tùm externo; non possunt tamen sibi reservare casus, quia ut diximus, casuum reservatio est tantùm ablatio seu non concessio jurisdictionis circa certa peccata, & sic pertinet tantùm ad illos, ad quos spectat approbatio & concessio jurisdictionis; sed collatio jurisdictionis non spectat ad Guardianos: ergo nec casuum reservatio. Immò Generales non possunt reservare, nisi ex consensu generalis capituli, & Provinciales ex consensu provincialis capituli, ut habetur ex decreto Clementis VIII. Quoad peccata quæ reservari possunt, dicendum est, venialia reservari non posse,

quia possunt non subjici absolutioni ; sunt enim materia tantùm sufficiens confessionis, non necessaria : mortalia verò tùm interna tùm externa reservari possunt ; non tamen reservantur nisi externa : omnia ergo peccata externa reservari possunt validè, non tamen licitè; sed tantùm ea quæ habent gravitatem aliquam, vel quæ necessaria sunt ad bonum publicum, ut reserventur ; si tamen Prælatus sine justâ causâ reservet sibi peccatum, reverà reservabitur. Aliqua peccata reservantur ratione censuræ ipsis annexæ ; non potest enim quis absolvi à peccato, nisi anteà ab illo tollatur excommunicatio ; impedit enim excommunicatio participationem Sacramentorum. Alia reservantur propter solam culpam, quam non vult absolvi superior. Omnes casus reservati Summo Pontifici habent annexam excommunicationem ; non sic de casibus Episcopis reservatis. Episcoporum casus reservati vel sunt de jure communi ; & sunt hi quinque, nempe Homicidium voluntarium, Falsificatio literarum Episcopalium, Violatio libertatis Ecclesiæ, Violatio immunitatis Ecclesiæ, & Sortilegium. Alii sunt reservati de jure speciali Ecclesiæ, de quibus videantur ritualia Episcoporum. Alii tandem sunt reservati de jure personali, & hos quilibet Episcopus sibi reservat.

Quoad potestatem absolvendi à casibus reservatis ; dico, quòd qui reservavit sibi peccata potest de illis absolvere, sicut & superior ipsius ; nemo enim peccata reservans intendit sibi potentiam absolvendi adimere nec suo superiori, nec suo successori æqualem juris-

dictionem habenti. In articulo mortis quilibet sacerdos absolvere potest à casibus reservatis; pro tunc enim non sunt casus reservari, ut habet Concil. Trident Sess. 14. cap. 7. quando tamen aliqui absolvuntur ab excommunicatione Pontifici reservatâ, debet ab eis exigi juramentum, quòd si convalescant præsentabunt se ei à quo extra articulum mortis poterant absolvi. Quòd si superior audiat omnia peccato tùm reservata, tùm non reservata, ab omnibus debet absolvere; necessaria est enim integritas tùm absolutionis, tùm confessionis. Quòd si superior negotiis præpeditus non possit integram confessionem audire, debet dare licentiam alicui, ut audiatur pœnitens & absolvatur ab omnibus. Quòd si propter justas causas non velit, maximi momenti authores dicunt, quòd possit tantùm audire peccata reservata, & illa absolvere: alii æqualis famæ & numeri contrarium sentiunt, in quam partem facilùs descenderem, dicendo scilicet, quòd tale impedimentum non sit ratio sufficiens ad tollendam integritatem confessionis; unde censerem, quòd superior pro tunc deberet tollere reservationem casuum, & absolvere ab excommunicatione in foro externo, tuncque dimittere pœnitentem ad ordinarium Confessarium.

Quæstio XVII.

Quo jure & in quibus servari debeat Sigillum Confessionis?

Per Sigillum Confessionis, quod est nomen metaphoricum, intelligitur obligatio, quam habent sacerdotes & alii participantes ad auditionem confessionis, celandi ea quæ per eam noverint: dicendum ergo nobis est aliquid de Sigillo.

Conclusio.

Sigillum Confessionis debet servari tùm de lege naturali, tùm de divinâ, tùm de Ecclesiasticâ. Debet servari de jure naturali; per illud enim tenemur servare depositum, præstare fidelitatem, famam illorum servare qui illam apud nos deposuerunt, tandem alteri non facere, quod nobis fieri nolumus. Debet etiam servari ex jure divino, quia confessio est juris divini: ergo secretum Confessionis præcipitur eodem jure, sine quo esset nimis odiosa; qui enim præcipit finem, censetur ea præcipere sine quibus finis subsistere nequit. Quòd denique sit de jure humano Ecclesiastico, constat ex capite *Omnis utriusque sexûs*, de pœnitentiis & remissionibus, ubi hoc prohibetur strictissimè sub pœnâ gravissimâ à judice infligendâ; sacerdos tamen qui peccatum confessum manifestaret, non fieret irregularis; hoc enim non fertur in jure. Ad secretum servandum plures tenentur. Primò Confessa-

rius.

rius. Secundò illi qui quovis modo cognoscunt aliquod peccatum ex confessione, ut interpres confessionis, & illi qui sedentes propè confitentem, casu aut industriâ peccata audiunt. Tertiò qui fingit se esse sacerdotem, & ut talis confessionem audit. Quartò laïcus, cui facta fuit confessio ex humilitate. Quintò ille cui revelata fuit confessio à sacerdote, injustè, aut justè de licentiâ pœnitentis. Sextò tenentur superiores ad secretum, quibus Confessarii aliquid virtualiter de confessione revelaverint, ut petendo ab illis licentiam à peccatis reservatis absolvendi. Septimò qui invenit chartam ubi peccata scripta sunt: Non tamen tenetur pœnitens ad celanda ea quæ sibi dicta sunt à Confessario, qualis est Pœnitentia, nisi hoc exigeret Confessarius.

Sigillum confessionis servandum est tam directe, quàm indirecte; unde non potest sacerdos dicere se non absolvisse talem pœnitentem; esset enim moraliter revelare peccatum mortale, sine quo non negatur absolutio. Non debet etiam manifestare venialia in particulari, licet minima sint. Servandum est secretum tùm verbis, tùm signis; unde sacerdos non potest publice negare Eucharistiam ex scientiâ habitâ solùm in confessione. Non potest sacerdos ullum crimen revelare, qualecumque sit, non obstante quâcunque interrogatione, sive extra judicium, sive in judicio, sive cum juramento, sive absque eo; nulla enim est juridica interrogatio circa hoc, & sic semper æquivocare debet sacerdos, quòd scilicet hoc nesciat ut revelet, hoc nesciat ut homo, sed ut minister Dei.

Confessarius vi Sigilli non potest uti extra confessionem notitiâ acquisitâ per illam; & sic non potest Confessarius extra tribunal loqui cum pœnitente de peccatis confessis, cum animo illum adjuvandi, quicquid dicant aliqui; hoc enim pudorem & confusionem injicit ipsi pœnitenti: per hoc tamen non frangeretur Sigillum confessionis; non enim esset revelare peccata audita alteri: pœnitens ergo debet interrogare extra confessionem, vel dare licentiam ut loqui possit sacerdos. Ex hac veritate multa colliguntur; Primò, superiorem qui audivit confessionem sui inferioris, non posse illum ita gubernare, ut alii possint suspicari peccatum illius; immò, ut ipse agnoscat, hoc sibi fieri ratione confessionis, nè illi odiosum reddatur Sacramentum; si tamen noverit alio modo suum peccatum, potest illud punire, ac si non fuisset confessum. Secundò, qui ex confessione novit servum suum esse furem, non debet ex solâ scientiâ confessionis illum dimittere, nec prætexere excusationem ut dimittat. An Confessarius possit denegare suffragium pœnitenti, ut eligatur ad beneficium, quem aliàs novit probum & per confessionem improbum videt; negant Bonacina; Sanches, Suares, Filiucius; alii verò affirmant. Tertiò, Parochus non potest aliquem rejicere à Matrimonio quem novit impotentem ex confessione, aut convictum gravi crimine. Quartò, nullus potest uti scientiâ ex confessione habita cum revelatione peccati, aut ejus periculo ad tuendum bonum temporale aut spirituale quantumcunq; magnum sit. Quintò, ille qui per confessionem

novit Ecclesiam esse pollutam, non potest hoc detegere, ut reconcilietur. Sextò, non potest Confessarius ob peccata confessa vultum asperiorem solito præbere pœnitenti. Septimò denique, qui scit per confessionem pœnitentem admiscuisse venenum vino, potest abstinere à celebratione Missæ, inquiunt omnes Doctores.

CAPUT OCTAVUM.

De Satisfactione.

UNA fieri potest extra Sacramentum, quando scilicet quis cognoscens se commisisse peccatum, aliquas pœnas acceptat; alia fit in Sacramento per opera injuncta à Confessario, & hæc vocatur Sacramentalis, de quâ loquendum est.

QUÆSTIO UNICA.

Quid dicendum sit de Satisfactione?

SATISFACTIO, quæ, ut diximus, est pars integrans Pœnitentiæ, describitur, Compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus taxatis à Confessario. Illa autem Satisfactio est pars Sacramenti, non quidem essentialis, quia Sacramentum potest esse sine satisfactione exhibitâ, & confert effectum ante expletam satisfactionem; dicitur tamen pars integrans, quia

sine eâ non est perfecte integra Pœnitentia, licet possit esse vera, ipsâ deficiente; sicut homo est vere homo etiamsi manu careat, licet non sit integre homo. Potest tamen dici pars essentialis Pœnitentiæ, quatenus aliqua Satisfactio continetur in actu doloris & confessionis.

CONCLUSIO.

CONFESSARIUS tenetur imponere satisfactionem. Sic Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. debet enim facere integrum Sacramentum. Nulla certa regula vel mensura taxata est ab Ecclesiâ pro Pœnitentiâ injungendâ; hoc enim relinquitur judicio Confessarii, qui, ut medicus, debet curare salutem ægroti, &, ut judex, servare æquitatem; unde debet attendi gravitas peccati, statusque pœnitentis, seu quantitas Contritionis. Aliquando potest non imponi Pœnitentia, ut quando pœnitens est incapax illam efficiendi, utpote morti proximus, & quando certò constaret confessario pœnitentem integre satisfeciisse pro peccato ante confessionem; quia tamen id rarò constare potest, ideò regulariter injungenda est Pœnitentia.

Opus satisfactionis injunctum pœnitenti, debet esse moraliter bonum; debet deinde regulariter esse externum, quia est pars Sacramenti sensibilis; potest tamen esse internum, ut si imponatur propositum vitandi peccatum aliquoties, vel aliquibus diebus, vel ægroto prolatio nominis Iesu in corde, quando illud voce proferre non potest. Non debet esse necessario opus supererogationis; potest enim injungi pro pœnitentiâ jejunium quadragesimale;

regulariter tamen debet esse tale, ut major sit Pœnitentia. Tandem opus satisfactionis debet esse personale, licet aliquando Confessor possit acceptare opus eliciendũ ab alio justâ de causâ.

Satisfactio Sacramentalis confert effectum *ex opere operato*, scilicet remissionem alicujus pœnæ temporalis; quoniam enim est pars Sacramenti; debet operari ut Sacramentum; Sacramentum autem confert suum effectum *ex opere operato*: hoc tamen debet intelligi, modò non ponatur obex; quia qui in peccato existens elicit opus injunctum à Confessario, satisfacit quidem præcepto sacerdotis, & reddit Sacramentum integrum, & sic non peccat mortaliter, quod faceret si prætermitteret illud opus: illud tamen opus non prodest illi ad remissionem pœnæ peccati, licet prosit ablato impedimento, ut dicunt quamplurimi Doctores: præter remissionem autem pœnæ quæ per Pœnitentiam tollitur, seu per opus Satisfactionis *ex opere operato*, potest tolli alia pœna, quæ respondebit *operi operantis*.

Pœnitens tenetur acceptare Pœnitentiam tolerabilem, acceptamque adimplere, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. ubi potestatem ligandi sacerdotibus concessam intelligit, quantùm ad potestatem obligandi ad satisfactionem. Sic habetur ex capite *Omnis utriusque sexûs*, ubi præcipitur, ut quisquis fidelis impleat Pœnitentiam à Confessario injunctam. Ratio est, quia quilibet subditus tenetur obtemperare sententiæ sui legitimi judicis; potest tamen pœnitens rogare Confessarium, ut illam mitiget, cui debet annuere Confessarius ad red-

dendum facilius jugum confessionis : immò potest pœnitens ante acceptam absolutionem dicere sacerdoti, quòd si nolit moderari Pœnitentiam, melius velit alterum adire confessarium ; non tenetur enim Confessario obedire, nisi in ordine ad absolutionem.

Confessarius ex justâ & rationabili causâ Pœnitentiam mutare potest ; sivè sit data à se, quia sicut eam semel injunxit, ita mutare potest, cùm nulli faciat injuriam ; sive ab æquali sit injuncta, quia confessarius æqualis habet potestatem æqualem ; sive etiam sit superior, modò injuncta sit propter peccata non reservata ; quia sicut potuisset illa peccata absolvere, etiam posito quòd superior absolverit, potest Pœnitentiam commutare ex rationabili causâ. Quòd si peccata fuerint reservata, aliqui dicunt Pœnitentiam posse mutari, aliqui non. Quando autem mutatur Pœnitentia, debet pœnitens iterare confessionem majorum peccatorum, super quæ applicata fuit illa Pœnitentia, supposito quòd oblita fuerit ; si verò pœnitens recordetur suæ pœnitentiæ, poterit mutari sine iteratione peccatorum ; tunc enim sufficienter cognoscit statum pœnitentis ad mutandam illius Pœnitentiam.

CAPUT NONUM.

De Indulgentiis.

POENITENTIA non tollit pœnas peccati totaliter, sed de æternis illas mutat in temporales: remissâ ergo culpâ per absolutionem, remanet pœna luenda in hoc sæculo, vel in purgatorio; per actiones scilicet pœnales in hoc sæculo, quæ satisfactoriæ sint, & hæc est via ordinaria quâ pœna peccati remittitur: alia est via extraordinaria, per Indulgentias scilicet, quibus nobis applicantur merita Christi & Sanctorum in satisfactionem pœnarum quas debemus luere in hoc sæculo, vel in futuro; unde postquam egimus de Pœnitentiâ, quæ tollit culpam, & de satisfactione quæ est via ordinariâ in remissionem pœnæ, agendum est de Indulgentiis, quæ sunt via extraordinaria.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint Indulgentiæ; & in quo consistant?

ALIQUANDO nomen Indulgentiæ significat mimiam licentiam agendi impunè contra legem; aliquando significat remissionem criminis: sed ut sumitur in præsenti, significat remissionem pœnæ temporalis debitæ peccato post ipsius absolutionem, quæ

totaliter remittitur, si Indulgentia sit plenaria; & partialiter tantùm, si sit limitata.

Conclusio Prima.

Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, debitæ peccatis actualibus, concessa per applicationem thesauri Ecclesiastici. Dicitur primò, *relaxatio pœnæ*; quia per Indulgentiam tollitur pœna peccato debita: hoc etiam dicitur, ut innotescat per indulgentiam peccatum non tolli, nequidem veniale, sed tantùm pœnam. Dicitur secundò, *pœnæ temporalis*; quia per Indulgentias non remittitur pœna æterna, quoniam debetur peccatis mortalibus nondum deletis, & per Indulgentias non delentur peccata. Dicitur tertiò, *debita peccato actuali*; non originali; quia remittitur per Baptismum, quo aufertur peccatum & omnis reatus seu pœna peccati. Additur, *per applicationem thesauri Ecclesiastici*; quia sicut in republicâ servatur thesaurus seu copia pecuniæ civibus distribuendæ juxta necessitatem, ita in acceptatione Dei conservatur thesaurus constans ex infinitis meritis Christi & satisfactionibus Sanctorum, cujus dispositionem habet Summus Pontifex; unde potest illum distribuere secundùm necessitatem Ecclesiæ.

Conclusio Secunda.

Indulgentiæ fundantur in potestate quam habet Ecclesia condonandi pœnas peccatorum, etiam extra Sacramentum; quæ potestas colligitur ex Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: hæc autem verba sunt universalissima, unde vi suâ omnem actum solvendi includunt, non solùm à pec-

catis, sed etiam à peccatorum pœnis, ut confirmat traditio Ecclesiæ & usus antiquissimus. Illa potestas concedendi Indulgentias habet pro fundamento merita Christi & satisfactiones Sanctorum; multa enim opera egit Christus, quæ erant superabundantia, quando quidem per unum actum infinitos mundos poterat redimere, quodlibet enim opus Christi erat infiniti valoris; unde quandoquidem multa opera meritoria elicuit Christus, non debuerunt esse inania, sed remanserunt in thesauro Ecclesiæ, hoc est in acceptatione divina, ut peccatoribus applicarentur. Multi etiam Sancti multa opera satisfactoria præstiterunt, quæ sibi non erant necessaria, & hoc etiam tempore justi faciunt multa opera quæ sunt supererogationis, & præstant exuperantes satisfactiones quibus non indigent; unde reponuntur in thesauro Ecclesiæ & nobis conceduntur per Bullas Pontificum, quæ sunt signa externa per quæ voluntas Pontificis nobis applicantis tales satisfactiones, innotescit: Nec propterea dicendum est, quòd nos redimant Sancti, quia redemptio illi tantùm attribuitur qui liberat à culpâ & à pœnâ æternâ.

Objiciunt Hæretici, merita Christi & Sanctorum recepisse sufficiens præmium, Christus, v. g. sui nominis exaltationem recipiendo, & Sancti accipiendo gloriam quæ superat omnia merita: ergo nec Christus nec Sancti habuerunt superabundantia opera in quibus fundetur thesaurus Ecclesiæ. Resp. quòd Christus propter infinitatem suorum meritorum nullum potuerit recipere præmium creatum propor-

tionatum illis; quoad sanctos, bona illorum opera erant simul & meritoria & satisfactoria: ut erant meritoria non fuerunt superabundantia, quia illis data fuit pro præmio gloria æterna ad quam *non sunt condigna passiones huius sæculi*, inquit D. Paulus: ut erant verò satisfactoria, illis correspondet remissio pœnæ peccati; & quia elicuerunt plura opera post expiationem suorum peccatorum, talia opera erant superabundantia in satisfactione; & sic remanserunt in thesauro Ecclesiæ: Quis enim putat quòd Ioannes Baptista, qui nullum peccatum mortale unquam admisit, non præstiterit plura opera satisfactoria superabundantia, quæ inutilia esse non debuerunt? quod à fortiori dicendum est de beatâ Virgine, quæ semper benè operata est, & nullum quantumvis leve peccatum admisit: Sanctorum ergo satisfactio illis superflua, alteris est necessaria & ipsis applicatur; & in hoc stat aliquo modo Sanctorum communio. Notetur tamen, à satisfactionibus Sanctorum thesautum Ecclesiæ non esse infinitum, sed à meritis Christi, quæ infinita fuerunt; unde evacuari non potest. Porrò, ex hoc non est dicendum, quòd satisfactiones Sanctorum sint superfluæ, si satisfactio Christi sit infinita; potest enim ex hoc tantùm inferri, quòd non sint necessariæ absolutè; & ut superfluæ non remaneant, respondent aliqui, quòd per Indulgentias applicetur certus & limitatus gradus satisfactionum Christi, cui additur gradus satisfactionum Sanctorum; hoc enim est Christo honorificum, quoniam Sanctorum merita sunt à passione Christi.

Quæstio II.

Quotuplex est Indulgentia, & quomodo Indulgentia ad tempus intelligi debeant?

Dividitur communiter Indulgentia in personalem, localem & realem. Personalis est illa quam Pontifex ita confert personæ, ut illi quasi inhæreat; sicut quando Papa dat alicui Indulgentiam, quotiescunque profert ter nomen Iesu & Mariæ. Localis est ea quæ inhæret loco, ut quando datur Indulgentia illis qui aliquam Ecclesiam visitant. Realis denique est ea quæ inhæret alicui rei, ut quando Pontifex dat Indulgentias ferenti Rosarium, aut Imaginem Crucifixi; istæ autem sunt annexæ rei, & ob hoc dicuntur reales. Præter hanc divisionem Indulgentiarum est alia, quam afferet

Conclusio Prima.

Dividitur Indulgentia in Plenariam & Temporalem, seu ad tempus aliquod limitatum. Plenaria est ea quæ remittit, non quidem culpam, ut diximus, sed totam pœnam debitam peccatis; & hoc vel absolutè, quando scilicet nulla est restrictio in Bullâ; vel in certo genere, ut quando in Bullâ datur Indulgentia Plenaria de pœnitentiis injunctis; pro tunc enim hæc verba denotant Indulgentiam prodesse tantùm ad remittendam pœnam debitam pœnitentiis injunctis, & non peractis. Indulgentia temporalis est ea quâ tantùm aliqua

pars pœnæ debitæ peccato relaxatur ; ſicut quando dantur Indulgentiæ quadraginta dierum, vel ſeptem, aut centum, aut mille annorum. Aliquando per certas Indulgentias remittitur quarta, vel tertia, vel dimidia pars pœnarum peccatis debitarum ; & tunc qui habet plures pœnas luendas, indulgentias lucrando, per accidens majorem fructum percipit. Aliquando datæ ſunt Indulgentiæ duarum, vel trium aut quatuor Carenarum ; in primitivâ enim Eccleſiâ injungebatur aliquando Carena, ideſt obligatio jejunandi in pane & aquâ quadraginta diebus, qui præcedebant ſeptem annos pœnitentiæ publicæ pro certis peccatis, & hæc pœnitentia injungebatur illis, qui falsâ accuſatione erant cauſa mortis alterius. Aliqui diſtingunt inter plenariam Indulgentiam & Iubilæum ; diſtinctio tamen nulla eſt, niſi accidentalis, ratione ſcilicet adjunctorum ; in quantùm in Iubilæo conceditur major poteſtas, abſolvendi nimirùm à caſibus reſervatis & cenſuris, & diſpenſandi ſuper aliqua vota, & aliquando ſuper irregularitatem ; ſed hoc non eſt de ratione Indulgentiæ, quia reſpicit tantùm remiſſionem, non culpæ, ſed pœnæ temporalis, quæ æqualiter condonatur in Indulgentiâ plenariâ, ac in Iubilæo.

CONCLUSIO SECUNDA.

QUANDO dantur Indulgentiæ, v. g. centum annorum, per hoc intelligi non debet, quòd relaxentur centum anni de pœnis ſolvendis in purgatorio ; ſed intelligitur, quòd tot & tantæ pœnæ purgatorii remittantur, quot & quantæ deletæ fuiſſent per Pœniten-

tiam centum annorum injunctam per antiquos canones; olim enim gravioribus peccatis, v. g. pro Adulterio & similibus injungebantur Pœnitentiæ septem annorum, & pro gravioribus longiores; unde, illi qui multa millia peccatorum patraverant, multis annorum millibus Pœnitentiam debuissent agere, si potuissent; istæ autem Pœnitentiæ minuebant pœnas quæ debebantur peccatis in purgatorio; unde Indulgentiæ mille annorum, v. g. tot relaxant pœnas purgatorii, quot relaxassent mille anni Pœnitentiæ antiquæ.

Quæstio III.

Quid sit Iubilæus?

Antequam ipsius explicationem afferamus, notandum est, quod ipsius figura duplex habeatur in veteri Testamento, quarum prima fuit in anno Sabbatico, & secunda in anno Jubilæo.

Annus Sabbaticus in lege Mosaïcâ erat septimus, quo in memoriam diei septimæ, Judæi non colebant terram, nec metebant; sicut enim Deus sex diebus operatus est & septimo requievit; sic jussit Hebræis Exodi 23. ut sex annis colerent terram & meterent, & septimo cessarent ab omni culturâ; quo anno gaudebant pauperes fructibus qui sponte nascebantur; anno verò sexto Deus dabat benedictionem terræ, ut fructus sufficientes ferret pro anno sexto & septimo. Tria fiebant in

illo anno: primò remittebantur debita illis qui erant ex genere Judæorum, non verò gentilibus, aut peregrinis, nec proselitis, ideſt, illis qui facti erant Judæi. Secundò, ſervi in libertatem remittebantur, modò eſſent Hebræi. Tertiò denique legebatur populo Deuteronomium, quod eſt veluti appendix legis veteris. Porrò, hic annus Sabbaticus non cœpit numerari ab illo tempore, quo Judæi egreſſi ſunt ex Ægypto, quia ex hoc non cœperunt terram colere; ſed ex quo ingreſſi ſunt terram promiſſionis, & diviſio illis facta fuit à Joſue; tunc enim cœperunt terram colere. Hic autem annus fuit figura noſtri Jubilæi, in quo pœnæ debitæ peccatis remittuntur.

Annus Jubilæus, qui incepit ſicut annus Sabbaticus, à primo ſcilicet anno poſſeſſionis & culturæ terræ promiſſionis, erat quinquageſimus. In illo fiebant hæc tria, quorum duo prima erant communia anno Sabbatico: Primò, remittebantur debita: Secundò, ſervi fiebant liberi: Tertiò, avitæ poſſeſſiones redibant ad priſtinos dominos, quod non fiebat in anno Sabbatico; unde quando quis vendebat agrum eò chariùs vel viliùs vendebat, quo magis vel minùs diſtabat ab anno Jubilæi, & hic annus fuit ſecunda figura noſtri Iubilæi.

Conclusio.

Per Jubilæum intelligitur Indulgentia plenaria; quæ in ampliſſimâ formâ conceditur, quâ datur poteſtas confeſſario approbato abſolvendi ab omnibus cenſuris & caſibus reſervatis, ſicut & commutandi vota quædam; & etiam aliquando diſpenſandi ſuper irregula-

ritates, juxta præscriptum Bullarum quæ semper legendæ sunt, quia tantùm valent, quantùm sonant. Licet annus Jubilæus, qui sanctus dicitur, figuram habuerit in veteri testimento, ut diximus; non est tamen de jure Divino, sed tantùm Ecclesiastico; instituit enim illum Bonifacius VIII. anno D. 1300. & simul ordinavit, ut centesimo quolibet anno renovaretur. Clemens VI. ipsum anticipavit; instituit enim illum anno 1350. & jussit, ut renovaretur quolibet anno quinquagesimo. Tandem Sixtus IV. illum reduxit ad annum vigesimum quintum: hoc tamen non impedit, quin in necessitatibus Ecclesiæ sæpiùs Jubilæi concedantur.

Annus Jubilæi incipit in vigiliâ Nativitatis Domini, & durat usque ad sequentem vigiliam Nativitatis Domini: quod intelligitur de urbe Româ; in regnis enim & provinciis incipit tantùm cùm Bullæ Pontificum ab Ordinariis receptæ & publicatæ sunt. Incipit inquam Romæ, immediatè ante vesperas, quâ horâ aperiuntur valuæ Sancti Petri, & desinit anno sequenti eodem die, finitis vesperis, & pro tunc ipsæ valvæ clauduntur. Quando in Bulla Jubilæi datur facultas absolvendi à casibus reservatis in Bullâ Cœnæ Domini, potest absolvi de Hæresi, quicquid aliqui sentiant, fundati super enormitatem hujus casûs; sic enim responsum fuit in Pœnitentiariâ anno Domini 1617. occasione Iubilæi à Paulo V. concessi; quod tamen de hæresi occultâ intelligitur. Quoad actiones faciendas ut quis lucretur Iubilæum, præscribuntur á Bullâ. Quoad confessarium, potest tempore Iubilæi eligi

quilibet approbatus ab Ordinario; unde regularis qui habet tantum approbationem sui superioris, potest quidem absolvere regularem, sed non sæcularem; quia non est approbatus ab Ordinario ipsius sæcularis.

Quæstio IV.

Quis possit Indulgentias concedere?

Neminem latet, multos esse superiores dignitate Ecclesiasticâ pollentes, quorum omnium caput est supremus Pontifex, cui succedunt Archiepiscopi, Episcopi, Superiores ordinum, majores scilicet, qui super subditos dignitatem quasi Episcopalem habent. De his omnibus procedit quæstio, sicut & de Concilio, de quo quæritur, an possit Indulgentias concedere.

Conclusio.

Solus Summus Pontifex potest primariò & jure divino Indulgentias concedere; quia facultas distribuendi bona publica, per se competit principi supremo reipublicæ, & proinde Summo Pontifici, universalis Ecclesiæ rectori, cui soli dictum est, *Pasce oves meas*; & ideò est fons omnis jurisdictionis: Episcopus autem habet hanc potestatem, sed hoc est à Summo Pontifice; unde sicut Summus Pontifex limitat potestatem Episcoporum circa absolutionem (multos enim casus sibi reservat Papa, de quibus non possunt absolvere Episcopi) sic etiam illam limitat quoad Indulgentias; unde Episcopi possunt tantùm concedere Indulgentias

unius anni in dedicatione solùm Ecclesiæ, & in aliis occasionibus possunt tantùm concedere Indulgentias quadraginta dierum. Quòd si concedant aliquando in suâ visitatione Indulgentias plenarias, hoc est ex concessione Summi Pontificis, cujus Bullam obtinere tenentur. Potestas illa Episcoporum circa Indulgentias vocatur quidem ordinaria, quia sequitur illorum munus, & eorum dignitati annexa est, authoritate Summi Pontificis. Idem dicendum est de Archiepiscopis, qui tamen in hoc superant Episcopos, quòd possint per totum suum Archiepiscopatum Indulgentias tales concedere, etiam in Episcopatibus suorum suffraganeorum, ut habetur capite *à nostro*, de pœnitentiis & remissionibus, quod intelligitur in suis visitationibus. Si Episcopi darent Indulgentias excedentes quadraginta dies, non essent invalidæ simpliciter, sed tantùm quoad excessum. Tùm Archiepiscopi, tùm Episcopi possunt Indulgentias conferre, modò sint electi & confirmati, etiamsi non sint consecrati; quia Indulgentiæ emanant ab exteriori jurisdictione quæ non requirit consecrationem: sic Summus Pontifex electus, & non consecratus potest Indulgentias concedere. Si Episcopus sit excommunicatus denuntiatus, concedere non valet Indulgentias, quia caret actu jurisdictionis. Si in peccato mortali existat, dùm illas concedit, non peccat mortaliter, quia non exercet actum Ordinis, sed Jurisdictionis. Potest Episcopus delegare suam potentiam concedendi Indulgentias clerico, non laïco; jure enim humano ab Ecclesiasticis

removetur; potest tamen Summus Pontifex de absolutâ authoritate. Tandem Episcopus potest tantùm dare Indulgentias suis Diœcesanis, quibus participare possunt etiam regulares exempti, se submittendo in hoc Episcopis; exemptio enim regularium non debet cedere in illorum damnum.

Quoad Concilium generale, si sit Acephalum, hoc est sine capite, non potest concedere Indulgentias; & sic mortuo Pontifice, Concilium non potest ampliùs plenarias concedere, quia non reperitur, quod hæc potestas sit concessa Ecclesiæ, sed Petro, cui dictum est, *Pasce oves meas.* Quod si Concilium uniatur capiti per se, vel per legatos, tunc potest concedere Indulgentias in totâ Ecclesiâ; suis enim legatis suam potentiam delegavit Pontifex. Quoad Cardinales, Patriarchas & Primates, non habent potestatem concedendi Indulgentias de jure communi, nisi in quantùm sunt Archiepiscopi, vel Episcopi: vel nisi illis detur talis potestas ex privilegio, commissione, aut consuetudine. Quoad Prælatos regulares potestatem quasi Episcopalem habentes, ut sunt Generales Ordinum & Provinciales, Rodericus dicit, eos habere ordinariam potestatem Indulgentias concedendi, quâ tamen non utuntur per desuetudinem; possunt tamen authoritate Apostolicâ ipsas concedere; Leo enim decimus concessit Ministris Provincialibus de Observantiâ, ut possent concedere suis subditis plenariam Indulgentiam in suâ visitatione. Sic Alexander IV. quadraginta dies Indulgentiæ concessit audientibus sermones Fratrum Minorum.

Quæstio Ultima.

Quænam requirantur, ut quis possit Indulgentias consequi?

Constat quidem, quod ex parte concedentis requiratur justa & legitima causa, ut validè Indulgentias possit concedere; quæ quidem justa causa est honor Dei, Ecclesiæ utilitas, bonum commune, vel privatum; Pontifex enim non est Dominus meritorum & satisfactionum Christi, sed tantùm dispensator, qui thesaurum sibi commissum debet distribuere secundùm intentionem Christi. Intentio autem Christi & sanctorum est, ut Ecclesiæ thesaurus non dispensetur, nisi ob honorem Dei & Ecclesiæ utilitatem: ideò qui sine justâ causâ hunc thesaurum dispensat, quod est potiùs dissipare, nedùm peccat mortaliter, sed invalida est concessio. Requiruntur etiam conditiones multæ ex parte illius qui Indulgentias lucrari peroptat. Debet primò esse viator, quia concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, qui non potest exerceri nisi in viatores. Debet etiam esse fidelis & baptisatus; infideles enim non sunt membra Ecclesiæ, & sic ipsius influentiam recipere non valent, sicut nec hæretici, aut apostatæ à fide, qui sunt membra præscissa; immò excommunicati etiam fideles & contriti Indulgentias consequi non possunt, quia afficiuntur pœnis excommunicationis, quarum una est, privari communibus

Ecclesiæ bonis; sunt aliæ denique quas mox sumus explicaturi.

Conclusio.

Ad recipiendas Indulgentias requiritur status gratiæ & adimpletio operum injunctorum in Bullâ concessionis. Ratio primi est; quia non potest remitti pœna, non remissâ culpâ: ut ergo quis relaxationem pœnæ debitæ peccato obtineat per Indulgentiam, debet habere peccata iam remissa; an autem lucraturus Indulgentias debeat esse in gratiâ per confessionem, vel an sola contritio sufficiat; distinguendum est, & dicendum, quòd si non exprimatur confessio facienda in Bullâ, ut quando simpliciter dicitur, qui hoc vel illud fecerit, tales Indulgentias consequetur; pro tunc non est facienda confessio, quia existens in gratiâ est capax Indulgentiarum, nec superior confessionem exigit: si verò Bulla exprimat confessionem esse faciendam, ut quando dicitur, qui post cõfessionem & communionem tale opus elicuerit, tali gaudebit Indulgentiâ, non sufficit pro tunc contritio, sed confessio ultra facienda est, saltem si quis sit conscius peccati mortalis; si nullum enim tale peccatum commisit ab ultimâ confessione, censetur habitualiter confessus, quia perseverat in antecedenti confessione, & non indiget confessione peccati venialis; sicut enim Ecclesia extra Indulgentias confessionem venialium non exigit, sic nec in Indulgentiis; quia tamen aliqui contrarium sentiunt, in praxi consulerem confessionem.

Ratio secundæ partis est, quia superior

concedit solùm Indulgentias sub conditione operum injunctorum in Bullâ : ergo ipsa facienda sunt ; unde adolescens qui nondùm vigesimum primum annum attigit , non minùs tenetur jejunare , si præscribatur jejunium. Qui etiam prætermittit aliquod opus injunctum , etiam ex impotentiâ vel ex justo impedimento , Indulgentias non lucratur , nisi commutatio talis operis in aliud exprimatur ; quia Indulgentiæ non sunt absolutè ad salutem necessariæ. Quando exprimitur eleemosina facienda , magna vel parva sufficit , modò in Bullâ non exprimatur , pro cujuscumque facultate ; Navarrus tamen putat , debere esse diversam pro diversitate personarum. Qui dat pecuniam servo , ut impendat eleemosinam quam non largitur servus , non lucratur Indulgentiam , contra Emmanuelem ; non enim præstat opus præscriptum. Qui prætermittit opus tantùm leve , ut qui in Rosario dicendo omitteret unum Ave Maria , lucratur Indulgentias , quia hæc materia est levis respectu operis injuncti : si tamen esset levis in se,& non respectu operis injuncti , qui prætermitteret illam , Indulgentias non lucraretur ; unde si daretur Indulgentia dicenti unum Pater noster cum Ave Maria , qui omitteret Ave Maria , non haberet Indulgentiæ fructum ; licet enim illa materia esset levis in se , esset tamen gravis respectu operis injuncti.

Qui elicit opera injuncta ad percipiendam Indulgentiam , non tenetur esse in gratiâ toto tempore quo præstat illa opera ; sed sufficit , ut in gratiâ existat , dùm facit ultimum opus ,

quo posito conceditur Indulgentia. Quando ergo tempore Iubilæi præscribitur jejunium & communio; qui jejunabit in peccato mortali; modò communicet in gratiâ Indulgentiam consequitur; illud enim opus non requiritur, ut meritorium, nec ut satisfactorium, nec ut applicans Indulgentias, sed est tantùm ut conditio, quâ positâ, Summus Pontifex Indulgentias applicat. An autem quis lucretur Indulgentias quando omnia opera injuncta fecit in peccato mortali, & removet posteà impedimentum per pœnitentiam: Respondent affirmativè Sylvester, Paludanus & Henriques; communiter tamen negant alii, quia hoc non sonat ex Bullâ.

Objicies, nos malè dixisse, quod soli viatores possint Indulgentias lucrari, quandoquidem Indulgentiæ possunt applicari animabus existentibus in purgatorio, quæ non sunt ampliùs viatrices, quoniam nec mereri nec demereri possunt. Resp. reverà posse applicari Indulgentias defunctis, est enim communis mens Doctorum & traditio Ecclesiæ; quæ admittit communionem suffragiorum inter Ecclesiam militantem & patientem, ita quod nostra bona opera pro illis animabus possint offerri; hoc tamen debet expressè specificari in Bullâ, si enim Indulgentiæ concedantur tantùm pro fidelibus, non comprehenduntur sub hoc termino defuncti; sed debet exprimi in Bullâ pro fidelibus vivis & defunctis; & pro tunc quilibet potest pro defuncto lucrari Indulgentiam, cui tantùm proderit, quantùm prodesset illi qui opera injuncta exercet pro

defuncto. Respondendum ergo est, hoc supposito, ad objectionem, Indulgentiæ applicari possunt defunctis; per modum suffragii, concedo: per modum judicii, seu absolutionis & authoritatis, nego. Applicare autem Indulgentiam per modum judicii, est immediatè remittere pœnam alicui, tanquam Dei minister & judex illius cui pœna remittitur; cùm autem Summus Pontifex non sit judex animarum Purgatorii, non potest concedere Indulgentias pro illis per modum judicii. Applicare verò Indulgentias per modum suffragii, est offerre Deo pro animâ alicujus defuncti pretium æquale pœnis ipsi debitis, ut ipsemet Deus illas remittat & relaxet; sic qui applicat Iubilæum alicui defuncto per modum suffragii, offert ipsi Deo merita Christi & satisfactiones Sanctorum, quæ dispensantur à Summo Pontifice in illo Iubilæo, ut tali animæ prosint.

Quando in Iubilæo conceduntur Indulgentiæ pro vivis & defunctis, debent opera injuncta in Bullâ bis præstari, semel pro vivo, & semel pro defuncto; potest tamen vivus concedere jus suum defuncto, & non pro se lucrari. Solus Summus Pontifex concedere potest Indulgentias pro defunctis; ad vivos enim limitatur potestas Episcoporum à Summo Pontifice. Porrò, hæc est differentia inter Indulgentiam pro se accipiendam, vel pro defuncto; quod si aliquis illam velit lucrari pro se, non valeat, nisi ille sit in gratiâ qui eam consequi desiderat; accepta autem pro defuncto, valida est, etiamsi eliciens opera non sit in gratiâ: ille enim non satisfacit, sed tantùm præstat opus

externum, quo posito Summus Pontifex applicat defuncto Indulgentiam per modum suffragii, quatenus offert Deo satisfactiones Christi & Sanctorum, quas dignetur acceptare in solutionem pœnarum solvendarum à defuncto; unde dicunt Doctores, Indulgentiam habere valorem *ex opere operato*, & non dependere à sanctitate illius qui illam lucratur pro defunctis; & sic Filiucius, Navarrus, Suares, Corduba, Henriques, & alii citati à Bonacinâ, qui est ejusdem mentis.

CAPUT DECIMUM.

De Extremâ-Vnctione.

POENITENTIAM quæ in remedium peccati mortalis instituta est proximè sequitur Extrema-Unctio, tùm in remedium peccati venialis, tùm ad tollendas reliquias peccati, ut dicemus loquendo de ejus effectibus; omnia autem quæ dicturi sumus de Extremâ-Unctione proponentur & solventur in eâdem quæstione.

QUÆSTIO

Quæstio Unica.

Quid sit Extrema-Vnctio? An sit Sacramentum? à quo instituta? Quæ sit Materia, Forma, Minister, Subjectum & Fructus ejus?

Non sumus locuturi de illa Unctione, qua baptisatus chrismate ungitur in vertice, nec de ea qua Catechumeni oleo benedicto ungebantur in pectore & scapulis, nec de illa qua unguntur Confirmati in fronte, nec de illa qua Episcopi unguniur in capite & manibus, & Sacerdotes in manibus tantùm; non agimus etiam de unctione qua unguntur reges, sicut nec de ea qua templum, altare & calix unguntur; sed de illa qua unguntur infirmi periclitantes de vita, quæ vocatur extrema. Ex his patet septem esse unctiones in Ecclesia.

Conclusio Prima.

Extrema-Unctio *est Sacramentum novæ legis consistens in Vnctione corporis ægroti periclitantis, facta ex oleo consecrato in partibus corporis, ubi præcipuè vigent sensus, sub, præscripta verborum forma, ad salutem mentis & corporis ægroti ordinatum.* Hæc omnia & ex se patent, & patebunt ex sequentibus,

Conclusio Secunda.

Extrema-Unctio est verè & propriè Sacramentum; quia habet tres conditiones ad Sacramentum requisitas, quæ sunt signum externum, promissio gratiæ & institu-

tio Christi. Primò enim extrema-unctio est signum externum, quoniam unctio quæ fit super infirmum externa est. Secundò, habet promissionem gratiæ, ut patet ex Iacobi 5. *Infirmatur quis vestrûm? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes oleo sancto, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* In his ultimis verbis, ubi per extremam-unctionem promittitur remissio peccati, promittitur etiam collatio gratiæ, quia peccatum non remittitur, nisi per gratiam. Tertiò denique, hoc Sacramentum est institutum à Christo, ut mox dicetur.

Conclusio Tertia.

Extrema-Unctio non est instituta ab Apostolis, sed à Christo; Apostoli enim non potuerunt promittere, infallibiliter remissionem peccati, nec infusionem gratiæ; quia hæc non sunt in eorum potestate: ergo, cùm Iacobus præcitatus promiserit remissionem peccati per Extremam-Unctionem, signum est, quòd eam Christus instituerit, cui pertinet, ratione potestatis excellentiæ quam habet, gratiam conferre & signa externa instituere, quibus gratia conferatur. Quando autem fuerit institutum hoc Sacramentum, Evangelistæ solliciti tantùm memorare quæ ad salutem sunt necessaria, hujus Sacramenti non meminerunt; probabile tamen est, inquiunt Doctores, fuisse institutum in nocte cœnæ, quoad designationem Materiæ, Formæ & Ritûs in eo servandi; quoad potestatem verò illud ministrandi, datam fuisse post resurrectionem Ioannis 20.

quando poteſtatem abſolvendi Apoſtoli receperunt; ad quam abſolutionem pertinet hoc Sacramentum, cùm ſit ad deletionem peccati venialis inſtitutum.

Conclusio Quarta.

Materia remota hujus Sacramenti, eſt oleum olivarum benedictum ab Epiſcopo; proxima verò eſt unctio. Quod debeat aſſumi oleum pro materiâ, patet ex Iacobo, *ungentes oleo*; quòd debeat eſſe olivarum; conſtat, quia oleum ſimpliciter dictum eſt oleum olivarum: quod debeat eſſe benedictum ab Epiſcopo, habetur ex Conc. Florent. & Trident. ſeſſ. 10. cujus ratio eſt, quia materia hujus Sacramenti non fuit ſanctificata uſu Chriſti. Quod unctio ſit materia proxima; liquet, quia per eam applicatur oleum: illa autem unctio fit in modum crucis, ex conſuetudine tantùm, non ex neceſſitate, ut fit in Confirmatione, ubi ungitur homo, tanquam Chriſti miles, qui ducis, nempe Crucis, ſignum portare debet; hîc autem ungitur per modum medicinæ, ut ſalutem recipiat. Illæ unctiones ſeptem communiter enumerantur, ſcilicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum & lumborum; duæ tamen ultimæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti; immò unctio lumborum omittitur in fœminis; aliæ verò ſunt ita neceſſariæ, ut ſi unus ſenſus non ungatur, Sacramentum ſit invalidum, ex D. Thomâ; quia Sacramentum hoc ordinatum eſt ad tollendas ſordes & reliquias peccati, cujus radix eſt in quinque ſenſibus. Quod ſi quis careat a liquo membro, pars propinquior ungenda eſt.

Conclusio Quinta.

Forma hujus Sacramenti consistit in his verbis, *Per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per Visum, Auditum, Gustum, Tactum & Olfactum*: vel *per Incessum & per Ardorem libidinis*, quando unguntur pedes & lumbi. Invocatio Trinitatis est tantùm ex usu Ecclesiæ, non ex necessitate Sacramenti; hoc enim Sacramentum non est professio fidei, sicut Baptismus. Quando ponitur in forma, *Per suam misericordiam*, illa verba non sunt de necessitate Sacramenti; non possunt tamen omitti sine peccato. Dùm periculum mortis imminet, sacerdos ungendo omnes sensus potest tantùm proferre unam formam, dicendo, *Parcat tibi Deus quidquid deliquisti per Visum, Auditum, Gustum, &c.* Porrò, hæc forma est deprecatoria, non judicativa; ut sunt istæ, *Ego te absolvo, ego te baptiso*; unde sacerdos debet dicere, *indulgeat tibi Deus*; non verò, indulgeo; non quod hoc Sacramentum habeat suam efficaciam ex vi orationis Presbyteri, ut est opus operans; habet enim ex vi promissionis Christi, quæ est infallibilis; sed quia hoc instituit Christus sub verbis deprecatoriis, ut patet ex Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum.*

Conclusio Sexta.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos. Sic Concilium Trident. vnde Iacobi 5. habetur, *inducat Presbyteros Ecclesia*; nomine autem Presbyteri intelligitur Sacerdos; si administraret ergo Diaconus vel

Subdiaconus, Sacramentum esset invalidum, etiam de licentiâ Papæ, hoc enim est de jure divino. Si laïci dicuntur unxisse; hoc fuit unctione factâ ex devotione, non Sacramentali. Omnis autem Sacerdos ungere potest, sivè sit excommunicatus, sivè degradatus, aut nullam habens jurisdictionem; hoc enim Sacramentum non datur per modum judicii, ut Pœnitentiâ; peccarent tamen isti, si administrarent extra necessitatem. Debet tantùm esse unus minister; & sic, si dicat Iacobus, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*; idest, unum ex Presbyteris; potest tamen in necessitate unus facere unam unctionem & alius aliam; modò ille qui ungit, proferat formam tali unctioni respondentem.

CONCLUSIO SEPTIMA.

UT quis possit recipere hoc Sacramentum, debet esse baptisatus; Baptismus enim est ianua Sacramentorum. Debet secundò habere vel habuisse usum rationis; qui enim non habuerunt, non deliquerunt; illis autem qui antequam recíderent in phrenesim hoc Sacramentum desideraverunt, potest dari, etiamsi tempore phrenesis contradicant; modò non speretur convalescentia, aut non fuerint in peccato notorio ante phrenesim. Debet tertiò esse graviter infirmus; ista enim unctio vocatur extrema: non debet ergo dari non infirmis, licet sint in periculo mortis, ut sunt conscendentes mare, pugnam aggredientes, damnati ad mortem, mulieres in partu; tales enim non sunt ægroti, & est institutum pro ægrotis; dicit enim Iacobus, *Infirmatur*

quis vestrùm: quia tamen senectus est morbi species, potest dari confectis senio. Debet quartò non esse conscius peccati mortalis; quia Sacramentum hoc, est Sacramentum vivorum, quod datur illis tantùm qui sunt in gratiâ. Quintò non debet esse excommunicatus.

CONCLUSIO ULTIMA.

EXTREMA-UNCTIO habet pro effectibus: primò, augmentum gratiæ habitualis; hoc enim commune est omnibus Sacramentis. Secundò, remissionem venialium, ex Iacobi 5. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei:* non remittuntur autem peccata mortalia; hoc enim spectat ad Pœnitentiam: ergo remittuntur venialia. Sic Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. Non remittit autem peccata venialia immediatè, sed mediatè; in quantùm per Extremam-Unctionem dantur gratiæ actuales, per quas elicitur actus contritionis, vel dilectionis Dei, quibus actibus delentur per se peccata venialia. Tertiò, tollit reliquias peccati, idest peccata mortalia, vel venialia, quæ post alia Sacramenta relinquuntur; vel quia fiunt post illa & non advertuntur; vel quia non sunt absoluta per alia Sacramenta indebitè susceptа. Quartò denique conducit aliquando ad salutem corporis, cùm expedit animæ, aut providentiæ D. justum videtur; habetur enim Iacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum.* Quoad tempus quo hi effectus conferuntur, alii tenent conferri in primâ unctione, alii partialiter in quâlibet; sed melius alii, quando perficitur quinta unctio cum suâ formâ; quia est ultima essentialis, quæ impendit hos effectus

virtute omnium præcedentium ; proprium enim est Sacramentorum consistentium in usu, ut producant gratiam eo instanti, quo perficiuntur. Quod si Eucharistia producat effectum in sumptione corporis, licet Sacerdos non sumeret sanguinem, hoc est, quia verum est Sacramentum, etiamsi non sumatur sanguis ; non sic autem de unicâ unctione ; aliæ enim sunt essentiales. Non tamen dantur omnes gratiæ actuales in unctione ultima ; aliquæ enim reservantur prout videtur Deo expedire, v. g. pro articulo mortis, ubi dantur ad confortandam animam ægroti contra difficultates in illo tempore occurrentes.

CAPUT UNDECIMUM.

De Ordine.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Ordo, & quando fuerit institutus ?

NON sumitur hîc Ordo pro respectu inter res aliquas ? quarum una est prior aliâ, vel naturâ, ut causa effectu ; vel tempore, ut arbor fructu ; vel loco, ut cælum igne ; vel dignitate, ut ordo judicis ordine civium. Non sumitur etiam hic Ordo pro variâ religione, quarum una vocatur Ordo sancti Benedicti, alia sancti Dominici, vel sancti Francisci ; sed in nostro proposito su-

mitur pro signo seu ceremoniâ externâ, quâ confertur homini dignitas & officium in Ecclesiâ Christi.

CONCLUSIO PRIMA.

ORDO est Sacramentum, quo traditur spiritualis potestas conficiendi Eucharistiam, vel ministrandi in ordine ad illam, adhibitis quibusdam rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ. Dicitur primò, *Sacramentum*, & est reverà, ut videbimus in sequentibus. Dicitur secundò, *quo traditur potestas spiritualis*; verba enim formæ sunt hæc, vel similia, *Accipe potestatem*. Tertiò dicitur, *circa Eucharistiam*, vel *in ordine ad aliam*; Sacerdotium enim ordinatur immediatè ad Eucharistiam, & alii inferiores Ordines ministrant circa illam; alii remotè, ut Minores Ordines; alii proximè, ut Ordines Sacri: Episcopatus etiam ordinatur ad Eucharistiam; Episcoporum enim officium est, ut consecrent Sacerdotes qui conficiunt Eucharistiam. Tandem adjungitur, *adhibitis quibusdam rebus, tanquam materiâ*; quia res porrectæ sunt materia Sacramenti hujus; *& verbis, tanquam formâ*; verba enim Episcopi faciunt formam cujuslibet Ordinis. Quare autem res sint materia, & verba sint forma, in promptu respondetur; quia sicut materia præsupponitur ad formam, sic etiam res præsupponuntur ad verba, tanquam significatum ad significans; verba enim significant actionem quam facit Episcopus, & rem quam porrigit.

Conclusio Secunda.

Ordinatio fuit instituta in ultimâ cœnâ; quando Christus dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Sic Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Sic etiam D. Thomas & alii explicantes hoc modo hæc verba Christi, *hoc facite*; ideſt, quemadmodum ego consecro Eucharistiam & illam offero, & vos consecro sacerdotes & Episcopos, ita vos accipite potestatem consecrandi Eucharistiam, & illam offerendi in sacrificium, sacerdotesque instituendi & Episcopos. Ratio probabilitatis est, quia constat Christum instituisse Sacramenta, hoc enim Ecclesia non potest; non apparet autem commodior locus institutionis Ordinis, quàm in ultimâ cœnâ, cùm ipsam Eucharistiam instituit & dedit potestatem illam consecrandi. Contulit autem Christus per excellentiæ potestatem omnes Ordines simul Apostolis; nam sub principali, quod est Sacerdotium, omnes comprehenduntur; quia participant aliquam potestatem circa corpus Christi, & conferendo tales Ordines, dedit etiam potestatem Apostolis illos conferendi.

Quæstio II.

Quot sint Ordines, & qui sint Majores vel Minores?

IN Veteri Testamento, ubi Synagoga erat nostræ Ecclesiæ typus, tres erant Ministri templo inservientes, scilicet Levitæ, Sacerdotes & Pontifex: Levitæ erant ex tribu Levi, sicut Sacerdotes & Pontifex; licet tamen ex hac tribu omnes dicerentur Levitæ, non tamen omnes erant Levitæ propriè, seu inservientes altari, nisi certo ritu consecrati fuissent. Levitæ Sacerdotibus ministrabant in sacrificiis, Sacerdotes verò offerebant victimas super altare holocausti, subministrabant ligna, ut nutriretur ignis perpetuus, vespere & manè adolebant incensum super altare Thimiamatis, (erant enim duo altaria, unum æreum, quod erat altare holocausti, in quo victimæ offerebantur; aliud aureum, nempe altare Thimiamatis, in quo incendebantur aromata,) concinnabant lucernas quæ erant juxta altare, affuso oleo olivarum; singulis Sabbatis panes duodecim calidos ponebant super mensam propositionis, amovebantque veteres, quos manducabant postea, nec dabant profanis, immolabant vaccam rufam extra castra, adjuvabant mulieres in casu zelothipiæ, discernebant inter lepram & lepram, mundabant leprosos & menstruatas & seminifluos, legemque Dei scire & interpretari tenebantur. Quoad

Pontificem, præter hæc omnia officia quæ agere poterat, quatuor insuper faciebat; primò, consecrabat Levitas & Sacerdotes; secundò, in controversiis legalibus agebat supremum judicem & ultimam pronuntiabat sententiam, cui omnes sub pœnâ mortis parere tenebantur; tertiò, in rebus magni momenti Deum consulebat, & ab eo accipiebat responsum; quartò denique, in solemni die Expiationis seu Propitiationis introibat Sanctuarium & publicam expiationem instituebat totius populi à peccatis (legalibus scilicet.) Ut autem hæc omnia pateant, multa considerandа sunt, quæ & rarissima & cognitu necessaria videntur, ut sacra Scriptura, præsertim veteris Testamenti innotescat; unde

Notandum est primò, quòd in lege Mosaïcâ Deus ex omnibus tribubus ad sui cultum tribum Leviticam sibi destinaverat, & ex hac tribu assumebantur Levitæ propriè dicti, Sacerdotes & Pontifex; summum tamen sacerdotium secundùm legem ordinariam erat in sola familia Aaron, qui fuit primus summus sacerdos, jure successionis; licet enim ante Aaron Moïses fuerit Pontifex, hoc habuit via extraordinaria, divina scilicet ordinatione; unde filii ejus non successerunt in pontificatu, benè autem filii Aaronis. Aaron, inquam, fuit primus Pontifex, cui succedebant posteri; imminente enim morte Moïsis, jussit illi Dominus, ut assumeret Aaron in Pontificem & quatuor ejus filios, Nadab, Abiud, Eleazar & Ithamar, quos reverà unxit Moïses. Posteà, duo primi occisi sunt à Deo igne cælesti, eo

quod ignem alienum obtuliſſent; & cùm non haberent liberos, Eleazar ſucceſſit patri, Eleazaro filius, & ſic deinceps. Quia Levitæ non habuerunt partem in terrâ Promiſſionis, habuerunt quadraginta & octo urbes cum agris ſuburbanis ad jumentorum paſtum. Illarum urbium ſex erant refugii pro ſolo homicidio involuntario, tres ex una parte Iordanis & tres ex alterâ. Æqualis erant diſtantiæ, & omnes in montibus, ut faciliùs videri poſſent. Præter has quadraginta & octo urbes, Deus voluit, ut Levitæ alerentur aliarum tribuum decimis (ſub nomine autem Levitarum comprehendebantur etiam Sacerdotes & Pontifex.) Deinde Sacerdotes & Pontifex, non verò alii Levitæ, habebant primitias quæ ter in anno ſolvebantur; in Paſchate ſcilicet de novis ſpicis, in Pentecoſte de novis panibus, & in feſto Tabernaculorum, quæ erat decima quinta menſis Septembris de novis fructibus. Inſuper habebant primogenita tùm hominum tùm animalium, quæ ſi eſſent immunda, redimebantur quinque ſiclis; ſi eſſent munda, offerebantur. Tandem habebant oblationes; quilibet enim ſponte aliquid offerebat in templo.

Notandum eſt ſecundò, ut pateant ea quæ diximus de officio Sacerdotum, quod in Scripturâ fiat mentio Tabernaculi & Templi; quæ licet ad idem officium fuerint deſtinata; diſtinguebantur tamen in hoc, quod Tabernaculum factum à Moïſe iuſſu Dei, erat portatile & per partes diſſolvebatur, quando movebantur caſtra; Templum verò Salomonis erat

fixum, quia usque ad Salomonem fuerunt Hebræi in perpetuo bello ; quadraginta enim annis erraverunt in deserto, & postea cum vicinis in Palæstinâ semper pugnaverunt ; unde, nè profanaretur templum à gentilibus, si victi fuissent, acceperũt tantum tabernaculum, quod erat portatile ; quando verò in pace fuerunt omnia tempore Salomonis, habuerunt templum fixum. Tabernaculum fuit longum triginta cubitis, altum verò & latum decem, ex quâcunque parte constructum ex tabulis lignorum Sethim inauratis ; ex parte tamen orientali, nullæ erant tabulæ, quia hâc ingrediebantur sacerdotes, sed illarum loco erant quinque columnæ inauratæ, quæ velo tegebantur, quo elevato, ingrediebantur sacerdotes. Tabernaculi coopertura erat tam superiùs, quàm ad latera, ex cortinis factis ex cocco, purpurâ, hyacinto & byssо, & insuper erant cooperturæ aliæ contra pluviam. Extra Tabernaculum erat atrium, sicut cæmeterium, clausum sexaginta columnis aureis, & erat quasi Templum laïcorum. In hoc atrio, prope Tabernaculum, erat altare holocausti ; & inter altare holocausti & tabernaculum erat labrum æneum seu mare æneum ; ideſt, quoddam vas denominatum mare ob magnitudinem, in quo Pontifex & Sacerdotes lavabant pedes & manus, quando ingrediebantur tabernaculum. Tabernaculum dividebatur in duas partes ; una dicebatur Sanctum, in quâ erant candelabrum, mensa panum Propositionis & altare Thimiamatis ; alia dicebatur Sanctum Sanctorum, ubi erat Arca fœderis cum Propitiatorio : in Sanctum

ingrediebantur quotidie sacerdotes, tùm ut adolerent Thimiamata, tùm ut vespere accenderent lucernas & manè extinguerent; sed in Sanctum Sanctorum solus Pontifex ingrediebatur semel in anno, nempe in festo Expiationis, de quâ inferiùs.

Templum, quod erat multò majus, dividebatur in duas partes, sicut Tabernaculum; scilicet in Sanctum & Sanctum Sanctorum: inter utrumque erat velum lapideum quod scissum est in morte Christi. Templum habebat duo atria, unum pro sacerdotibus non sacrificantibus, aliud pro laïcis. In Sancto Sanctorum erat arca in quâ inclusæ fuerunt duæ tabulæ legis, quas à Deo recepit Moïses; posteà circa tempus captivitatis Babilonicæ Jeremias apposuit in eâ urnam auream in quâ erat manna, & virga Aaronis. Illa arca vocabatur Arca Testamenti, quia legem includebat, quæ erat veluti Testamentum Dei, quod volebat impleri; aliquando vocabatur Arca fœderis, quia lex erat signum fœderis inter Deum & Israëlitas. Illa arca præcedebat castra Judæorum, quando movebantur; illam ordinariè ferebant Levitæ, extraordinariè Sacerdotes, ut in transitu Jordanis, & nunquam Laïci; unde Oza manu volens erigere illam, quia cadere videbatur, punitus est. Arca fuit primò in Tabernaculo, secundò in Templo, posteà imminente captivitate Babilonicâ, Jeremias eam prævidens ex instinctu Dei antequam vastaretur templum, portavit arcam & altare Thimiamatis ope Angelorum in montem Nebo, quam ibi occultavit in quâdam speluncâ, ubi occulta erit, in-

quit Epiphanius, usque in diem judicii, quo manifestabitur ad confusionem Iudæorum. Super arcam erat Propitiatorium, quod erat veluti ejus coopertura, ex auro factum; & super illud erant duo Cherubim ex puro auro, qui expansis alis tegebant ipsum, & super illos sedebat Deus & loquens cum Moïse propitiabatur populo, ut habetur Exodi 25. & Num. 7. In illâ parte templi, quæ vocabatur Sanctum, erant tria instrumenta; nempè Candelabrum, Mensa Propositionis, & altare Thimiamatis. Candelabrum, quod præfuit in tabernaculo, erat ex auro mundissimo; ex ejus hastili septem rami procedebant, & tam in hastili, quàm in ramis æqualiter assurgentibus, erant lucernæ quæ illuminabant Mensam Propositionis & altare Thimiamatis, sed tantùm nocte; unde dixi, quòd sacerdotes manè illas extinguebant, & accendebant vespere. Mensa Propositionis erat ex lignis Sethim auro obductis, super eam apponebantur duodecim panes, quia erant duodecim tribus Israël, sex ex unâ parte & sex ex aliâ, unus super alterum; omnibus superponebatur thus ad significandum Deo oblatos esse. Dicebantur Propositionis, quia coram Deo proponebantur; erant azimi, singulisque sabbatis auferebantur veteres, & apponebantur novi calidi, qui pinsebantur à Levitis ex similâ quæ offerebatur à populo; veteres autem manducabantur à ministris templi. Altare Thimiamatis erat illud, super quod offerebantur thus & alia aromata, quæ semel manè & semel vespere incendebantur.

Extra Tabernaculum in atrio Sacerdotum

ſub dio erant duo inſtrumenta ; altare ſcilicet holocauſtorum & labrum æneum. Super altare Holocauſti offerebantur omnia, præter aromata. Erat factum ex lignis Sethim ſicut altare Thimiamatis, ſed erat ſubductum tabulis æneis, & aliud tabulis argenteis ; erat cavum ad continendum ignem pro ſacrificiis combutendis, habebat ſuperiùs craticulam auream foraminibus plenam, cui imponebantur victimæ, ut à ſuppoſito igne cremarentur. In cavitate hujus altaris erat foculus æneus ex craticulâ pendeus, in quo conſervabatur ignis de cælo deſcenſus, qui nutriebatur à Sacerdotibus. Ignis ille ſic è cælo deſcendit, poſtquam Aaron à Moïſe conſecratus eſt, volens primùm offerre ſacrificiũ, Levit. 9. deſcendit ignis de cælo, qui conſumpſit Holocauſtum. Illo igne debuerunt uti Sacerdotes in perpetuum ; unde quia Nadab & Abiud filii Aaronis uſi ſunt igne alieno in ſacrificio, ignis deſcendit de cælo, qui conſummavit eos. Duravit ille ignis uſque ad captivitatem Babilonicam, quo tempore Sacerdotes illum concluſerunt in puteo, & poſt captivitatem Babilonicam, juſſu Nehemiæ, quæſitus eſt à nepotibus illorum ſacerdotum qui eum occultaverant, & non eſt inventus, ſed pro eo reperta eſt aqua craſſa, quâ juſſit Nehemias aſpergi ſacrificia, & continuò in ignem verſa eſt, & inflammavit ligna ſuperpoſita. Aliud inſtrumentum, quod erat in atrio ſacerdotum, erat labrum æneum, ſeu vas quoddam, in quo ſacerdotes ad ſacrificium acceſſuri lavabant pedes & manus & hoſtiarum partes, antequam offerrentur. Huic ſimile

curavit fieri Salomon, sed multò capacius; unde propter suam immensitatem dictum est mare æneum.

Notandum est tertiò, quoad alia officia Sacerdotis, quæ sunt immolare vaccam rufam, mundare leprosos & adjuvare mulieres in casu Zelothipiæ: duo prima connexionem inter se habent, quando aliqui erant immundi per se, ut puerperæ, leprosi, hemorroïssæ; vel ex contactu rei immundæ, tangendo scilicet leprosos, seminifluos, vestes eorum, aut sedilia, reptilia, animalia immunda, aut munda mortua sponte, aut cadavera, vel ossa, vel sepulchra; offerebantur pro illis diversa sacrificia, de quibus in Levitico; & insuper aspergebantur aquâ lustrali vel expiationis quæ sic fiebat. Sacerdotes accipiebant vaccâ rufam sine maculâ, quæ nunquam portaverat jugum, & eam immolabant extra castra, cùm Judæi erant in deserto, vel extra portam, cùm erant in Jerusalem, & totam comburebant cum ligno cedrino & hyssopo, & tunc illi cineres spargebantur in aquam vivam, & erat aqua lustralis, quâ per aspersionem purificabantur immundi. Quantùm ad Zelothipiam, vir dubitans de uxore suâ eam adducebat coram tabernaculo ad sacerdotem. Secundò, offerebat sacrificium Zelothipiæ, idest, farinam hordeaceam sine oleo & thure. Tertiò, Sacerdos accipiebat aquam lustrationis in vase fictili, in quam immittebat pauxillum terræ de pavimento tabernaculi, & ista aqua vocabatur amarissima, Quartò, super eam proferebat maledictiones infrà dictas. Quintò, discoperiebat caput mulieris & in manibus ejus ponebat

oblationem, farinam scilicet, & similiter proferebat super mulierem eâsdam maledictiones, dicens; *si innocens es, non nocebit tibi ista aqua, sin rea, his subjacebis: Dominus Deus, in cujus conspectu stas, putrefacere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur.* Sextò, mulier respondebat, amen, amen. Septimò, Sacerdos scribebat illas maledictiones in libro, moxque abluebat scripturam aquâ quam habebat in vase; deinde aquam maledictam dabat mulieri bibendam; & si erat rea, statim femore putrescente, & intumescente utero, disrumpebatur, & sic expirabat. Addunt Rabini, quòd eo tempore puniebatur Adulter absens.

Notandum est quartò, hæc fuisse officia Pontificis. Primò, consecrabat Levitas & Sacerdotes, illos purificando, consecrando, & applicando ad usum sui ministerii. Secundò, in controversiis agebat supremum judicem; in singulis enim civitatibus constituti erant judices inferiores à Pontifice, qui debebant dirimere controversias, Deuteron. 16. Quòd si non possent dirimere illas, conveniebant supremos judices qui erant in Ierusalem, & quibus Pontifex præerat, qui dabat sententiam, cui sub pœnâ mortis quilibet tenebatur acquiescere: & sic erant duo tribunalia; minus scilicet, in quâlibet urbe, ubi erant viginti & tres judices; & majus in Ierusalem, in quo erant septuaginta. Illi septuaginta seniores fuerunt electi à Moïse Num. 11. ex mandato Dei, & eo ipso habuerunt spiritum Prophetiæ. An autem successores habuerint, non constat; sed creditur singulari assi-

stentiâ præditos fuisse, quæ assistentia præsertim residebat in summo Pontifice; unde ex pluribus, erat infallibilis, quod patet ex Deuteron. 17. ubi Deus promittit litigantibus judicii veritatem, si deferrent litigia ad illum; deinde ibidem jubet, quòd sub pœnâ mortis teneantur illi acquiescere; non mandaret autem acquiescere sententiæ quæ posset esse falsa. Habemus exemplum magni tribunalis Matth. 2. ubi dubitans Herodes, an Messias natus esset, detulit hanc difficultatem ad Concilium, ubi præsidebat Pontifex; ait enim scriptura, *Rex turbatus est & congregans omnes principes Sacerdotum sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? Et illi dixerunt ei, In Bethleem Iudæ; sic enim scriptum est.* Tertiò, Pontifex in rebus magni momenti Deum consulebat; sed quomodò responsum acciperet, dubitatur: Alii dicunt, quòd hoc fieret per Angelum, voce humanâ; alii per revelationem; sed probabiliùs alii per splendorem lapidum pretiosorũ, qui erant in Rationali supra pectus Pontificis: si gemmæ plus solito lucebant, signum erat fælicis successûs; si minùs solito, signum erat mali; si more naturali, signum erat Deum non velle respondere. Quartò tandem, in die solemni Expiationis introibat Sanctuarium, & instituebat publicam expiationem peccatorum populi, quæ sic fiebat. Duodecimâ die mensis septimi seu Septembris, post multas alias ceremonias mittebat sortem super duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter vivus mitteretur in desertum; hunc statuebat in conspectu populi, & positâ utraque manu sub capite ejus, confitebatur omnia

populi peccata, ipsique hirco imprecabatur, & sic mittebat eum in desertum, quasi auferentem & portantem peccata totius populi, & ob hoc dicebatur caper emissarius. Sed quandoquidem Expiatio erat unum ex festis Judæorum, ideò de illis

Notandum est quintò, quòd Judæi multa festa celebrabant. Primò, sabbatum in memoriam creationis mundi. Secundò, festum Neomeniæ primo die mensis lunaris, pro beneficio divinæ gubernationis. Tertiò, Pascha in memoriam liberationis Judæorum ex Ægypto; cui annexum est quartò festum Azimorum in memoriam egressionis ex Ægypto, quod durabat septem diebus, quia in suâ egressione non habuerunt tempus quo fermentari posset eorum panis; compulsi enim erant à Deo exire; in memoriâ hujus rei, celebrabant festum Azimorum. Quintò, celebrabant festum Pentecostes, quod vocabatur solemnitas Hebdomadarum, in memoriam legis datæ quinquaginta diebus ab egressu filiorum Israël ex Ægypto. Sextò, festum Tubarum primâ die mensis septimi, in memoriam liberationis Isaac in sacrificio Abrahæ. Hoc factum memorantes Judæi, solebant tubis corneis clangere; unde dictum est festum Tubarum, seu cornu: & sic in hac die erant duo festa; concurrebat enim festum Neomeniæ, quod accidebat primâ die cujuslibet mensis. Septimò, erat festum Expiationis die duodecimâ mensis septimi, in memoriam illius beneficii, quo Deus ad intercessionem Moïsis propitiatus est populo vitulum adoranti. Octavò, erat festum Tabernaculorum seu Senophegiæ,

decimo quinto mensis septimi, usque ad septem dies sequentes, in memoriam illius beneficii quo Deus voluit Iudæos in tabernaculis habitare, cùm egressi sunt ex Ægypto. Nonò, erat festum Cœtûs seu Collectæ, quod celebrabatur transactis septem diebus Tabernaculorum, in quo colligebantur ea quæ necessaria erant ad expensas divini cultûs. His notatis, ad nostram quæstionem deveniendum est, cui respondebit

Conclusio.

Communiter assignantur septem Ordines in universum; quorum tres dicuntur majores, & quatuor minores. Minores sunt, Ordo Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, & Acholitorum: Majores verò, sunt Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotium, quod subdividitur in Sacerdotiũ majus & minus; nam Episcopi sunt Sacerdotes majores, & alii minores. Hic numerus colligitur ex diversis actibus quos singuli habent circa Eucharistiam, quæ est finis Ordinationis; aliqui enim Sacerdotes consecrant qui possunt Eucharistiam conficere, & hi sunt Episcopi; alii eam conficiunt, & sunt Sacerdotes communes; alii ministrant immediatè ad illam, ut Diaconi, qui calicem & panem sacerdoti offerunt; alii mediatè; ordinando materiam in vasis, ut Subdiaconi: alii illam præsentant Subdiacono, ut Acholiti; alii autem versantur circa recipientes illam, vel arcendo infideles, ut Ostiarii; vel legendo Prophetas, & Catechumenos docendo fidei rudimenta, ut possint accedere ad Eucharistiam, & hi sunt Lectores; vel imponendo

manus super Energumenos, ut liberentur à Dæmonibus, & sic possint sacra recipere, ut Exorcistæ. Quoad tonsuram, non est Ordo, sed præparatio ad Ordines; est enim introductio ad Clericaturam, & Ordo est gradus Clericaturæ; ex deputatione tamen Ecclesiæ & privilegio, Clerici sunt capaces jurisdictionis Ecclesiasticæ & beneficiorum. Diximus, quòd illorum Ordinũ quatuor sint Minores, & tres Majores; scilicet Sacerdotium, Diaconatus & Subdiaconatus, qui vocantur etiam Ordines sacri: non tamen Subdiaconatus fuit semper Ordo sacer, ut patet ex capite *nullus in Episcopum*, distinct. 60. Quare autem isti sint sacri, non quatuor alii, dissentiunt Doctores; quidam volunt dici sacros, quia sunt Sacramenta, & collatio aliorum non est Sacramentum: sed hoc dici non potest; aliquando enim Subdiaconatus non fuit Ordo sacer, fuit tamen semper Sacramentum, aliàs non esset adhuc; Ecclesia enim Sacramentum instituere non potest. Melius ergo est, quòd dicamus hos tres Ordines dici Majores, quia magis accedunt ad Eucharistiam; & ideò dici sacros, quia habent annexum votum Continentiæ; & sic qui illis initiantur, consecrantur Deo specialiùs. Subdiaconatus autem olim non erat Ordo sacer, quia non habebat votum Castitatis sibi annexum. Porrò licet sint septem Ordines, omnes tamen dicuntur unum Sacramentum Ordinis, quia habent respectum ad unum finem, qui est offerre Eucharistiam, aut ministrare circa illam. Deinde sunt unum genere subalterno; nam licet differant specie, conveniunt tamen in hoc, quòd quilibet sit Ordo.

Quæstio III.

An quilibet Ordo sit Sacramentum?

Ordinatio in se est Sacramentum, cùm omnia necessaria ad Sacramentum illi conveniant. Primò enim reperitur in Ordinatione ceremonia externa, nempè manuum impositio, Act. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*; ubi Scriptura loquitur de Ordinatione septem Diaconorum: Act. etiam 3. ordinantur Episcopi Paulus & Barnabas impositione manuum: & Act. 14. *Cùm constituissent per singulas Ecclesias Presbyteros*; ubi in græco habetur, *cùm creassent per manûs impositionem Presbyteros*. Secundò reperitur promissio gratiæ, quæ est secunda conditio Sacramenti; 1. enim ad Timothæum 4. dicit Paulus, *Nolis negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*. Tertiò denique reperitur institutio Christi, quæ est tertia conditio; Act. enim 13. habetur, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*. Quòd si Christus non legatur imposuisse manus; non disputamus quid fecerit, sed quid jusserit. Constat ergo Ordinationem in se esse Sacramentum, quidquid negent hæretici; unde videndum remanet, utrùm quodlibet sit verè Sacramentum.

Conclusio.

Quilibet Ordo in specie Sacramentum est: & Episcopatus primò est verum Sacramentum à Presbyteratu distinctum. Sic Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. ubi dicitur, Episcopatum esse sacrum Ordinem, sicut est Ordo Presbyterorum; ubi Concilium comparat unum Ordinem cum alio; sicque Episcopatus & Presbyteratus sunt duo Ordines: ergo duo Sacramenta; quilibet enim Ordo est Sacramentum. Ratio nostra est, quia ideò Sacerdotium est Sacramentum, quia est ceremonia externa, quâ datur potestas consecrandi Eucharistiâ, quod alii præstare non possunt; sed Ordinario Episcopi est ceremonia externa, quâ datur potestas administrandi Confirmationem & Ordines, & consecrandi Chrisma, templa, altaria, quæ non possunt validè præstari nisi ab Episcopo: ergo, &c. Deinde in Ordinatione Episcopi reperitur materia proxima, nempe impositio manuum Episcoporum; deinde forma, quando Episcopi dicunt, *Accipe Spiritum sanctum*: reperitur etiam gratia, ut patet ex verbis formæ; accipere enim Spiritum sanctum est accipere gratiam: tandem recipitur caracter distinctus à caractere Presbyteratûs; aliàs posset repeti Episcoporum consecratio. Si quis dicat; Ergo sunt plures Ordines quàm septem; negatur, quia est unus Ordo genere cum Presbyteratu, qui dividitur in majorem & minorem: Episcopatus autem est major, non quòd det majorem potestatem conficiendi Eucharistiam, sed quia illa potestas ab Episcopo dependet, qui illam confert & interdicere

interdicere potest. Nec quis inferat, posse ergo aliquem ordinari Episcopum, qui non sit Sacerdos; hoc enim est falsum; sicut enim aliquis non potest ordinari, nisi sit baptisatus, sic nec Episcopus fieri, nisi sit anteà Presbyter. Nec etiam quis instet, dicendo, quòd si Episcopatus conferat caracterem, erit maior caractere Presbyteri, & sic erit aliqua potestas maior potestate consecrandi Eucharistiam; respondebitur enim, quòd si caracter Episcopalis sumatur integraliter, pro tunc est major Sacerdotali, quia illum includit, & pro tunc etiam Ordo Episcopalis erit maior extensivè: si verò sumatur præcisè pro ultimâ consecratione & potestate quam addit Episcoparus super Presbyteratum, est minor intensivè; nulla enim potestas maior est, quàm potestas consecrandi Eucharistiam.

Ordo Diaconatûs est propriè Sacramentum; (nullus enim dubitat de Presbyteratu;) Act. enim 6. ordinantur Diaconi per manuum impositionem, sicut Episcopi & Presbyteri. Deinde Diaconi in absentiâ Presbyterorum possunt dare Eucharistiam, reconciliare publicos pœnitentes, prædicare, ac ferè omnia munera Episcoporum & Sacerdotum exercere in eorum absentiâ, ac proinde eorum ordinatio est Sacramentum. Tandem Diaconatûs Ordo imprimit caracterem; non potest enim amitti nec repeti: ergo est Sacramentum; sola enim Sacramenta imprimunt caracterem, quo scilicet Diaconus constituitur in statu aliquo immutabili.

Ordo Subdiaconatûs est verum Sacramentum: hoc non est ita constans, sicut præcedens, communiter tamen tenetur à Doctoribus, pau-

cis exceptis. Ratio est, quia imprimit caracterem, quia per illum homo ordinatur ad officium divinum, v. g. ut deferat calicem & patenam ad altare, aquamque & vinum ministret Diacono: quia etiam Subdiaconus debet servare Castitatem, & ut hæc omnia dignè fiant, requiritur gratia specialis: ergo est Sacramentum. Nec dicant adversarii, Subdiaconatum antiquitùs non extitisse; contrarium enim habet Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. ubi habet, nomina & officia Subdiaconatûs, aliorumque inferiorum Ordinum, fuisse in usu ab initio nascentis Ecclesiæ. Si Urbanus in iure canonico relatus dicat, primitivam Ecclesiam habuisse tantùm Sacerdotium & Diaconatum; loquitur de Ordinibus sacris, inter quos nondùm erat Subdiaconatus. Si Concil. Laodic. inhibeat, nè Subdiaconi tangant vasa sacra, hoc est quamdiu sanguis & corpus Christi sunt in illis.

Minores etiam quatuor ordines sunt Sacramentum. Sic Concil. Florent. dicens Sacramentum Ordinis esse sextum Sacramentum, & materiam eius esse id quod ab Episcopo porrigitur; ubi ponit exempla de Ordinibus Sacerdotis, Diaconi & Subdiaconi; & addit idem esse intelligendum de alijs minoribus. Sic etiam Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. ubi septem Ordines numerat, & posteà cap. 3. dicit absolutè, Ordinem esse Sacramentum: si ergo sint Ordines distincti, erunt & distincta Sacramenta. His adde, quòd quilibet Ordo minor caracterem imprimat, & gratiâ indigeat ad officium suum reverenter obeundum. Nec dicas, esse ergo plura Sacramenta, quàm septem; quia

plures Ordines sunt unum Sacramentum genere subalterno; quòd si non ordinati possint actus minorum Ordinum exercere; hoc est, non ex officio, sed ex deputatione ministrorum Ecclesiæ.

Quæstio IV.

Quanam sint Materia & Forma Sacramenti Ordinis?

Difficultas quæ major est in hac quæstione, consistit in hoc quòd aliqui sentiant, impositionem manuum non esse de essentia ullius Ordinis, sed esse tantùm ceremoniam accidentalem in Presbyteratu & Diaconatu; contra ipsos tamen stat universus cœtus Theologorum, Scriptura & Patres, dicentes manuum impositionem esse absolutè necessariam & essentialem. Sic Concilia, Nicænum can. 9. Antiochenum can. 1. & Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi de Extremâ-Unctione loquens, dicit, ministrum eius esse Episcopum & Presbyterum ritè ordinatum per manûs impositionem. Quòd si Patres & Concilia, præsertim Florentinum, assignando materiam hujus Sacramenti, loquantur tantùm de porrectione instrumentorum; non explicuerunt totum ritum, sed tantùm illam partem de quâ dubitabant Armeni. Si dicatur, Sacerdotes fieri, dùm in porrectione vasorum dicit Episcopus, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*; per hoc fit tantùm incompletè Sacerdos; habet enim duas potestates, in-

quit Scotus, quæ ipsum adæquatè constituunt; unam supra corpus Christi reale, quæ traditur per porrectionem vasorum; aliam supra corpus Christi mysticum, seu fideles, quæ traditur per impositionem manuum. Constet ergo, quòd pars essentialis materiæ, secundùm communem Doctorum sententiam, sit impositio manuum respectu Presbyteri & Diaconi; unde ad vasorum porrectionem, quæ est alia pars essentialis, & ad declarationem formæ cujuslibet Sacramenti deveniendum est.

CONCLUSIO.

MATERIA proxima ordinationis Episcoporum, est impositio manuum trium aliorum Episcoporum, sub quâ comprehenduntur virtualiter aliæ ceremoniæ: Forma verò sunt verba quæ proferunt, dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum.* In ordinatione Sacerdotis Materia proxima est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostiâ, & impositio manuum Episcopi: & Forma sunt hæc verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, & accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* quæ ultima verba dicuntur in impositione manuum, & prima in porrectione calicis. In ordinatione Diaconi Materia est manuum impositio, & porrectio libri Evangeliorum; Forma verò quæ respondet manuum impositioni est, *Accipe Spiritum Sanctum ac robur ad resistendum Diabolo & tentationibus eius*; & forma quæ respondet porrectioni libri, est, *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesiâ Dei:* Christus tamen non instituit hoc Sacramentum in porrectione libri Evangeliorum, quia nondùm erant, sed in im-

positione manûs & traditione alicujus rei, quâ officium Diaconi designaretur, quæ relicta fuit in dispositione Ecclesiæ ; sic de formâ dicendum est. In ordinatione Subdiaconi Materia est traditio calicis vacui cum patenâ superpositâ, & libri Epistolarum ; Formâ verò est, *Accipe librum Epistolarum, vt habeas potentiam legendi eas in Ecclesiâ sanctâ Dei.* Tandem, in alijs Ordinibus Materia est traditio rerum quæ designant officium cujuslibet Ordinati ; forma verò sunt verba prolata ab Episcopo, quibus tales res porriguntur. Porrò, debet esse contactus materiæ traditæ ab Episcopo ; sed alij dicunt, contactum moralem sufficere, quia Sacramenta sunt entia moralia, & moralia sunt moraliter intelligenda ; qui quidem contactus moralis consistit in acceptatione rei traditæ, v. g. in extensione manuum ; tutius tamen est, & gravis momenti Doctores asseverant, contactum debere esse physicum ; non est tamen necessarium, ut omnia instrumenta tangantur physicè, nec quòd proferantur simul mathematicè verba Episcoporum, dùm tanguntur vasa. Potest Episcopus cum unicâ formâ in plurali prolatâ porrigere vasa multis ; sic enim determinatum fuit in quâdam congregatione Romæ habitâ.

Quæstio V.

Quis sit minister Ordinis, & qui sint ordinandi?

Hic quæritur tùm de Ministro ordinario, tùm de Ministro ex commissione; quia autem dicemus, solum masculum posse ordinari, sciendum est, quòd per Presbyteras, de quibus agitur in Conciliis, intelligantur viduæ seniores, quæ aliis ratione ætatis præerant; Presbyter enim idem est ac senior: vel intelliguntur fœminæ quarum mariti ex earum consensu ad Sacerdotium erant evecti, quæque Castitatem tenebantur servare. Per Diaconissas intelliguntur mulieres quæ deputabantur ad ministerium aliquomodò sacrum, ut ad obsequium reddendum Sacerdotibus; vel intelliguntur fœminæ quarum mariti ad Diaconatum evecti erant.

Conclusio Prima.

Ordinarius Minister Ordinis est solus Episcopus, plures tamen alii sunt ministri ex commissione. Prima pars est contra Calvinum & Lutherum, qui volunt ordinationem esse à totâ multitudine fidelium & Clero; quòd si soli pastores ordinent, hoc est nomine totius populi. Ratio conclusionis est; quia Ordo est quædam dignitas Ecclesiastica, & ad solum principem, qualis est Episcopus, pertinet dignitates distribuere. Cùm autem diximus, Episcopum esse ministrum ordinarium, hoc intelligitur, sivè sit excommunicatus, sivè interdictus,

aut privatus suo Episcopatu; hoc enim emanat à potestate Ordinis quæ in illis residet, nec amitti potest: si tamen non sit Sacerdos, non potest ordinare. Ut licitè Ordines conferat, debet tantùm ordinare Diœcesanos; validè tamen ordinantur qui ordinati sunt ab alieno Episcopo. Quòd si dicantur irritè ordinati; hoc est, quia privantur legitimo usu suorum Ordinum. Quoad secundam partem, patet; quia Cardinales Presbyteri possunt tonsuram & minores concedere ex commissione illis delegatâ per privilegium eorum dignitati annexum. Abbates jus mitræ & baculi habentes possunt conferre minores & tonsuram suis subditis Regularibus; aliis vero tantùm ex speciali consensu Ordinarii. Simplex Sacerdos ex commissione Papæ potest conferre minores, Subdiaconatum & Diaconatum, ut constat ex privilegio concesso Abbati Cistercienſi, & aliis quatuor primis Abbatibus eiusdem Ordinis, quo privilegio Abbas Cistercienſis omnes sui Ordinis monachos potest ordinare; alii verò quatuor tantùm suos subditos. Hoc privilegium fuit illis concessum ab Innocentio VIII. anno 1489. Summus Pontifex non potest dispensare, ut quis ordinetur Sacerdos à non Episcopo; hoc enim nunquam visum fuit, neque pro distantiâ, aut inopiâ Episcoporum, aut aliâ quâcunque causâ, sicut videmus potestatem administrandi Confirmationem delegatam fuisse simplici Sacerdoti: minùs ergo simplex Sacerdos potest consecrare Episcopum; major enim à minori non potest benedici. Non potest denique Summus Pontifex communicare po-

testatem ordinandi non Sacerdoti, quia ordinatio est potestas Ordinis maioris.

CONCLUSIO SECUNDA.

MULTÆ conditiones requiruntur in ordinandis. Primò, ordinandus debet esse masculus; sic enim voluit Christus, qui solos Apostolos ordinavit, dicens, *Hoc facite*, non verò fœminas, nequidem matrem suam, quæ omnium erat sanctissima. Secundò, debet esse baptisatus; Baptismus enim est janua Sacramentorum, & sic non baptisatus invalidè ordinatur. Tertiò, debet esse Confirmatus; sic Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. ubi non confirmatis prohibetur tonsura, quæ est præparatio ad Ordines; qui tamen non confirmatus ordinaretur, validè esset ordinatus. Quartò, debet esse initiatus tonsurâ ex communi praxi Ecclesiæ; valeret tamen ordinatio sine illâ. Quintò, requiritur legitima ætas: ad primam tonsuram & minores, septem anni, completi saltem; ad Subdiaconatum viginti duo anni inchoati; ad Diaconatum viginti tres inchoati; ad Presbyteratum viginti quinque inchoati; ad Episcopatum verò triginta completi. Sic habetur capite *cùm in cunctis*, de electione; unde qui malâ fide ante hos annos suscipiunt Ordines, sunt suspensi; & si exerceant, fiunt irregulares: si verò suscipiant bona fide, v. g. testimonio parentum, non sunt suspensi; unde exercendo posteà, etiam scientes se non habere ætatem, peccant quidem mortaliter, sed non fiunt irregulares, quia non violant censuram; suspensio enim non fertur, nisi contra eos qui malâ fide ante debitam ætatem Ordines suscipiunt. Sic

Suares, Toletus & cum aliis Bonacina. Hæc conditio intelligitur de licitâ susceptione Ordinum; validè enim quilibet ordinatur in qualibet ætate; unde dicunt Doctores, Sacerdotium & Episcopatum posse recipi ante usum rationis: ratio enim requiritur tantùm in Sacramentis quæ consistunt in aliquo actu recipientis, ut in Matrimonio, quod consistit in mutuo consensu, & Pœnitentiâ quæ consistit in dolore & confessione; in Ordinatione autem non requiritur actus suscipientis, sed sufficit intentio ministri & Ecclesiæ. An autem ille qui sic ordinaretur, teneretur ad votum continentiæ, dùm fit adultus, negatur, nisi ordinationem suam ratificet, quia ad votum requiritur deliberata intentio. Sextò, non debet esse censurâ innodatus; sic enim recipiens Ordinem fieret irregularis, teneret tamen Ordo. Septimò, non debet suscipere Ordines per saltum, idest, non debet Diaconatum suscipere qui Subdiaconatum non habet; valeret tamen Ordo, & in hoc posset dispensare Episcopus, modò sic ordinatus actum Ordinis superioris non exercuerit; tunc enim fieret irregularis, & solus Papa posset dispensare. Octavò, debet habere titulum, dùm promovetur ad Ordines, & recipiens Ordinem sine titulo suspenditur ab executione Ordinum, nisi privilegium habeat, ut Regulares. Sic Concilium Trident. sess. 21. cap. 2. Nono, debet habere sufficientem scientiam ad usum uniuscujusque Ordinis. Decimò, debet habere testimonia morum; tandemque debet servare interstitia, de quibus dispensant Episcopi.

Quæstio Ultima.

Quinam sint effectus Ordinis? ubi *de Gratiâ, Caractere & Cœlibatu.*

Hæc omnia in eâdem quæstione, licet per varias concluſiones, proponemus & reſolvemus, quippe quæ ſpectant ad Sacramentum Ordinis, tanquam effectus ad ſuam cauſam.

Conclusio Prima.

Ordo producit in ſubjecto gratiam habitualem, ſaltem in augmento, quia omnia Sacramenta illam conferunt, vel in ſe, ut Sacramenta mortuorum, vel augmentum eius, ut Sacramenta vivorum; Ordo autem eſt Sacramentum vivorum, quod confertur tantùm illis qui ſupponuntur eſſe in gratiâ per Pœnitentiam: ergo per ſe non confert gratiam habitualem quam ſupponit, ſed illam intendit & augèt. Per accidens tamen confert gratiam in ſe, quando ſcilicet quis recipiendo hoc Sacramentum putat ſe eſſe in gratiâ, & in peccato exiſtit; quia ſcilicet vel non debitè abſolutus eſt, vel attritionem ſupernaturalem non habuit quando fuit abſolutus, vel non habuit contritionem extra Sacramentum; in hoc caſu ſi ordinandus habuerit tantùm attritionem, tunc juſtificatur per receptionem Ordinis, quia Sacramenta quælibet de attrito faciunt contritum. Cùm quis Ordinem recipit in peccato mortali, conſtat quòd gratiam nullomodò re-

cipiat; sed quæri potest an recedente obice seu peccato gratia redeat. Affirmant aliqui, negant alii; sed mihi videtur utendum distinctione, & dicendum, quòd gratia habitualis non redeat, benè autem Sacramentalis, quæ consistit in auxiliis actualibus quæ requiruntur ad actus Ordinis ritè obeundos. Ratio est, quia gratia habitualis per aliud medium recuperari potest, nempè per Pœnitentiam; gratiæ verò Sacramentales nunquam redirent, & sic ordinatus illis semper careret. Ex his constat Ordinem cum gratiâ habituali conferre Sacramentales.

CONCLUSIO SECUNDA.

SACRAMENTUM Ordinis confert Caracterem, ex Conc. Trid. sess. 23. can. 4. per Baptismum enim homo consignatur ut consecratus familiæ Christi, per Confirmationem consignatur ut miles ad ferendum vexillum Christi, & in Ordine consignatur in eius Ecclesiâ, ut spiritualia munera obeat. Quia caracter est indelebilis, quando quis degradatur, tantùm privatur exercitio Ordinis; quando etiam Pontifex dispensat cum Diaconis & Subdiaconis, non dispensat de Ordine qui est indelebilis; sed de oneribus quæ sunt annexa Ordini, qualia sunt cœlibatus & recitatio officii. Quilibet Ordo confert specialem caracterem in animâ: unde si dicatur, ergo plura accidentia differentia solo numero sunt in eodem subiecto; respondendum erit, quòd differant speeie sicut & singuli Ordines: deinde plura accidentia relativa, ut plures paternitates, possunt esse simul. Quia ordo caracterem confert, iterari non potest, & sic illos iterans peccaret; non tamen fie-

ret irregularis ; ſicut in Baptiſmo, quia in jure irregularitas non fertur circa iterantes Confirmationem aut Ordinem, ſed Baptiſmum. Porrò, confertur caracter in ultimâ actione eſſentiali quâ confertur Ordo, v. g. in impoſitione manuum reſpectu Sacerdotis & Diaconi.

CONCLUSIO TERTIA.

CÆLIBATUS eſt annexus ſacris Ordinibus, unde nemo conjugatus ſacris Ordinibus initiari poteſt, niſi anteà perpetuam caſtitatem voverit uxor: nemo etiam ordinatus uxorem ducere poteſt; denique, qui ſacris ordinibus initiatur, perpetuam caſtitatem ſervare debet. Cœlibatus annexus eſt Ordini jure tantùm Eccleſiaſtico, in quantùm annexum eſt votum caſtitatis, quod tacitè emittitur per ſuſceptionem Ordinum; qui vult enim aliquem ſtatum, vult onera ejus: quòd autem Cœlibatus non ſit de jure divino, ex hoc patet quòd Eccleſia permiſerit Sacerdotibus Græcis uſum Matrimonii contracti ante ordinationem: licet tamen non ſit cœlibatus de jure naturali aut divino, eſt tamen de antiquo jure Eccleſiæ, quæ hoc juſtè præcepit, ut faciliùs ordinati poſſint orationi incumbere, & ut puriùs agnum immaculatum ſacrificent.

CAPUT ULTIMUM.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Matrimonium, & quando institutum fuerit?

MATRIMONIUM sic dicitur, quia est matris munimen, seu matris munium; liberi enim ex Matrimonio procreati matrem munire & protegere debent. Tripliciter potest spectari; primò, ut est officium naturæ, ad procreandos liberos qui naturam conservent, sic fuit in lege naturæ integræ. Secundò, ut est remedium concupiscentiæ, sic fuit in statu legis corruptæ, ubi cœpit vigere concupiscentia. Tertiò, ut est Sacramentum novæ legis, per quod datur gratia habitualis & Sacramentalis ad faciliùs portandum onera matrimonii; & sic est in lege gratiæ, ubi non tantùm ordinatur in officium naturæ, vel in remedium concupiscentiæ, sed etiam ad gratiam conferendam, prout est Sacramentum, ut dicemus.

CONCLUSIO PRIMA.

MATRIMONIUM est legitimus & indissolubilis contractus inter virum & fœminam, quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas, & confertur gratia. Dicitur primò, *legitimus contractus*, quia debet celebrari juxta leges Ecclesiæ. Dicitur secundò, *indisso-*

habilis; unde non potest dissolvi consensu contrahentium, sicut alii contractus civiles; & sic non valet axioma juris illud, res per quas nascitur, per easdem dissolvitur. Dicitur tertiò, *inter virum & fœminam*; ideſt inter unum & unam, ut dicemus. Dicitur quartò, *quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas*; & in his consistit materia & forma hujus Sacramenti. Tandem additur, *& confertur gratia*, nempè habitualis & Sacramentalis; quarum ultima consistit in auxiliis supernaturalibus, quæ Deus confert ad leviùs portanda onera Matrimonii.

CONCLUSIO SECUNDA.

MATRIMONIUM ut erat in officium tantùm naturæ in statu innocentiæ, non fuit institutum à Christo, nec ut fuit in remedium concupiscentiæ in lege corruptâ; erat enim ante Christum, & pro tunc habebat tantùm rationem contractûs civilis; sed ut est Sacsamentum in lege gratiæ, ab illo institutum est; Matrimonio enim, quod erat anteà tantùm contractus civilis, Christus addidit rationem Sacramenti, mediante gratiâ, quam illi annecti voluit. Controvertitur autem quo tempore instituerit ipsum Christus; alii enim dicunt institutum fuisse, dùm Christus adfuit nuptiis Canæ in Galileâ, sed probabilius sentiunt alii Christum illud instituisse, cùm dixit Matth, 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; quod Deus conjunxit, homo non separet*, quod ampliùs potuit declarari in sermone quem habuit ad discipulos in nocte cœnæ.

Quæstio II.

Vtrùm Matrimonium sit & fuerit in præcepto?

Supponitur Matrimonium esse bonum, & nuptias non esse inventas à Diabolo, ut voluerunt aliqui; alias non dixisset Deus Genesis 1. *Crescite, & multiplicamini*, nec Matth. 19. *Quòd Deus conjunxit, homo non separet*; nec ipse adstitisset nuptiis Canæ. Ratio hujus est, quia propagatio naturæ humanæ cum debito modo, est per se bona; non posset autem ritè propagari per educationem liberorum, nisi pater & mater nexu indissolubili conjungerentur: ergo Matrimonium bonum est. Et si dicat Tatianus hæreticus actum Matrimonii esse ejusdem speciei ac Fornicatio & Adulterium; hoc verum est in genere naturæ, non moris; fornicator enim & adulter non habent jus ad talem actum, benè autem maritus. Posito autem quòd bonum sit Matrimonium, de præcepto ejus loquendum est.

Conclusio.

Matrimonium primò sumptum ut est in officium naturæ, semper fuit in præcepto, non singulis hominibus, sed toti hominum communitati, ut habetur ex his verbis, *Crescite, & multiplicamini*. Quod si ignominiosum fuerit in veteri Testamento non habere prolem; per hoc non debet inferri, quòd Matrimonium fuerit omnibus præceptum; non erat enim odiosa virginitas, quia secundùm Patres, plures

in cœlibatu vixerunt, ut Melchisedech, Iosuë, Elias, Ieremias, Eliseus, & Ioannes Baptista: sed sterilitas erat tantùm odiosa in Matrimonio, in quantum carebat Matrimonium hac Dei benedictione, *Crescite, & multiplicamini.* Secundò, si Matrimonium spectetur ut est in remedium concupiscentiæ, non est præceptum nisi per accidens; quando scilicet per jejunium, castigationem corporis, eleemosinam & similia comprimi non potest concupiscentia; pro tunc enim Matrimonium præceptum est ex Paulo 1. ad Corinth. 4. *Propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem habeat.* Tertiò, Matrimonium, ut est Sacramentum, nullomodò præceptum est, aliàs non diceret Paulus primæ ad Corinth. 7. *Qui Matrimonio iungit virginem suam, benè facit; qui autem non iungit, melius facit.*

Quæstio III

An Matrimonium sit Sacramentum?

SI contrahatur inter infideles est tantùm contractus civilis, si contrahatur inter fidelem & infidelem, probabilius est non esse Sacramentum, quia est tantùm unus contractus & unum Sacramentum; unde si una pars est incapax illius, altera similiter erit. De Matrimonio inter fideles intelligitur

Conclusio.

MAtrimonium est Sacramentum ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. & ex D. Paulo ad Eph. 5. *Relinquet homo patrem & matrem,*

& adhærebit uxori suæ ; Sacramentum hoc magnum est , dico , in Christo & in Ecclesia : in quantùm adhæsio cum uxore , est Sacramentum significans conjunctionem Christi cum Ecclesiâ. Quòd autem Matrimonium conferat gratiam sicut alia Sacramenta , habetur ex 1. ad Timoth. secundo , *Salvabitur mulier per filiorum generationem , si perseveraverit in fide*; ideſt, in fidelitate.

Objicies , Si Matrimonium esset Sacramentum , vir esset simoniacus , si acciperet ab uxore pecuniam. Negatur ; non accipitur enim pecunia pro Matrimonio ut Sacramentum est ; sed ut est contractus civilis , ad sustinenda scilicet onera Matrimonii. Dices , Ecclesia non potest variare Sacramenta , nec impedire quominùs sint legitima , si habeant materiam , formam & intentionem ministri ; attamen Conc. Trident. cap. de reformatione Matrimonii irritavit istud ; si non fiat coram parocho & testibus , ubi sine illis erat validum ante Concilium. Resp. Ecclesiam invalidare tantùm contractum civilem qui subest Sacramento , declarando ipsum esse irritum , si non fiat cum tali circumstantiâ : non invalidat tamen Sacramentum , quia non habet jus in illud , nisi remotè ; licet habeat jus proximè in contractum civilem , & hoc habet à principibus qui illum reliquerunt in potestate Ecclesiæ ; unde quando contractus civilis est invalidus , invalidum est etiam Sacramentum.

Quæstio IV.

Quid sint Materia, Forma & Minister hujus Sacramenti?

Nobis breviter dicere competit de materiâ, tùm proximâ, tùm remotâ, & aliter concludendum est de ministro hujus Sacramenti, quàm de ministris aliorum, ubi Sacerdotes Sacramenta ministrant, hic verò ministri sunt ipsæmet partes quæ contrahunt, & non sacerdos qui dicit, *ego conjungo vos.*

Conclusio.

Quantum primò ad Materiam remotam Matrimonii, sunt corpora contrahentium, sicut materia remota venditionis est id quod venditur. Quantùm secundò ad Materiam proximam, est mutua traditio corporum; quia id quod immediatè sequitur materiam remotam, est materia proxima. Quantùm tertiò ad Formam, est mutua acceptatio partium verbis vel signis expressa; applicat enim materiam, & ille contractus esset imperfectus cum sola traditione corporum, perficiturque per acceptationem mutuam: alii dicunt mutuum consensum habere rationem materiæ & formæ; sed hoc idem est; nam mutuus consensus involvit tam traditionem, quæ est materia, quàm acceptationem, quæ est forma. Quantùm denique ad Ministrum, sunt ipsi contrahentes, non Parochus, quia sine præsentiâ Parochi ante Conc. Trid. validum erat Matrimonium. Deinde, ille est minister qui applicat formam in materiâ, sed ipsi contrahentes ponunt acceptationem & mu-

tuam traditionem corporum: ergo sunt ministri. Non requiritur ergo Parochus, ut minister, sed tamquam conditio requisita essentialiter, ad contractum civilem; hoc verò exigit Ecclesia in Concilio Trident. ut consensum partium exposulet, & suâ benedictione solemni confirmet Matrimonium.

QUÆSTIO V.

Qualis requiratur consensus ad Matrimonium?

CONSTAT quidem mutuum consensum ita necessariò ad Matrimonium requiri, ut sine illo non possit esse verum; non potest enim esse contractus sine consensu partium, nec Matrimonium sine contractu. An Deus possit consensum supplere in Matrimonio, aliqui affirmant, quia se habet in genere causæ efficientis; alii negant, dicentes ipsum reduci ad causam formalem, quam Deus non potest supplere: sed meliùs distinguendum est, quòd si Matrimonium sumatur, prout dat potestatem viro super mulierem, supplere possit Deus; non verò si sumatur pro contractu, quia est de essentiâ illius. Ille autem consensus debet exprimi per voces aut signa externa; est enim contractus humanus qui essentialiter requirit consensum internum externo actu expressum, ex quibus duabus partibus actus humanus completus componitur. Signa sufficiunt, nedùm in mutis, sed & in his qui non possunt loqui, modò signa externa sufficienter exprimant consensum internum.

CONCLUSIO.

CONSENSUS ad Matrimonium requisitus, debet primò esse à deliberatâ ratione; ille enim consensus mutuam obligationem inducit, & obligatio non inducitur in re gravi, nisi fiat deliberato animo. Debet secundò non esse extortus per metum gravem, quem vocant cadentem in constantem virum, ideſt qui talis sit, ut virum constantem perturbare & cogere valeat. Non debet tertiò esse factus ex ignorantiâ personæ secundùm substantiam, ut si quis putet sponsare Mariam, & Annam ducat. Non debet quartò esse ex ignorantiâ personæ quoad servitutem, ut si fœmina consentiat in servum quem putat liberum; consensus enim matrimonii fertur in personam liberam, quæ habet potestatem corporis sui, & alteri potest eam tradere: nè dicatur tamen, quòd error conditionis minùs præcipuæ consensum impediat; validum enim est, si fœmina consentiat in virum quem putat divitem, nobilem, pulchrum & castum, qui tamen hæc omnia non habet. Quintò, consensus debet esse absolutus, & non sub conditione de futuro; quia aliàs suspenderetur Sacramentum, donec poneretur, vel non poneretur conditio. Quòd si conditio futura sit necessaria, ut si diceretur, *Sponso te, si sol cras oriatur*, valet consensus; habetur enim talis conditio pro non adjectâ, quoniam necessaria est, & non est verisimile, quòd persona prudens suspendat consensum, donec impleatur conditio necessaria, quasi incertus esset ejus adventus. Si quis tamen intenderet expectare eventum talis conditionis,

non esset Matrimonium de præsenti. Sextò, consensus datus sub conditione turpi, non impedit Matrimonium, quia censetur pro non adjectâ illâ conditio, ait Gregorius XI. cap. si conditiones; v. g. ego te duco, si parentem interfeceris. Septimò, illa conditio censetur pro non adjectâ, si sit contra substantiam Matrimonii, ut duco te si prolis generationem impedieris maleficio. Octavò denique, si conditio sit de præsenti aut de præterito, validum est matrimonium stante conditione.

Quæstio VI.

An Matrimonium possit contrahi per procuratores?

Consensus, quem diximus esse necessarium ad valorem Matrimonii, fertur præcisè in traditionem corporum, non verò fertur essentialiter in copulam; aliàs Matrimonium B. Virginis & S. Joseph non fuisset verum Matrimonium, quod est temerarium negare; distinguitur enim dominium ab usu, unde si fœmina consentiat in traditionem sui corporis sub potestate viri, non consentiendo in copulam, nec dissentiendo, consensus ille sufficit, licet usus sequatur communiter ad dominium. Dubitari potest, an Matrimonium contractum per procuratorem validum sit.

Conclusio.

Ex praxi apud Reges constat, Matrimonium posse contrahi per procuratorem, sivè procurator sit vir, sivè fœmina, & etiam per

litteras ; Matrimonium enim est contractus elevatus ad Sacramentum , & natura contractûs postulat , ut possit fieri per litteras , vel per procuratorem ; adhoc enim requiritur tantùm consensus , & consensus potest dari & explicari , tùm per literas , tùm per verba procuratoris. Quòd si in talibus Matrimoniis sponsi præsentes conjungantur denuò in facie Ecclesiæ ; hoc est tantùm ad ratificationem ejus, vel ut tollantur scrupuli , vel ut suppleantur solemnitates Ecclesiæ quæ omissæ fuerant.

Requiruntur multæ conditiones , ut procurator validè contrahat Matrimonium. Primò, debet illud celebrare coram Parocho & testibus , & illis debet ostendere litteras & procurationem , & nedùm traditio partis debet innotescere , sed etiam acceptatio. Secundò , debet habere procurationem specialem , ubi nominatim agatur de Matrimonio ; generalis enim pro contractu quolibet faciendo non sufficit. Tertiò , procuratio debet esse determinata pro tali personâ ; mandatum enim vagum non sufficeret. Quartò , procurator debet per se exequi procurationem , nec alium potest substituere , nisi hoc exprimat procuratio. Quintò , requiritur ut procuratio non sit revocata eo tempore quo procurator contrahit ; pro tunc enim irritum esset Matrimonium , etiamsi de retractatione non constaret procuratori aut alteri conjugi ; immò si retractatio esset tantùm interna , Matrimonium non valeret, etiamsi ille qui procurationem dedit, jurasset se eam non revocaturum. Hoc est ex jure Canonico , ex quo patet , actum consensûs procuratoris &

consensûs mandantis constituere unum tantùm actum numero in genere moris.

Ratio quare Matrimonium contractum per procuratorem est validum, petitur ex hoc, quòd Christus elevans hunc contractum naturalem & civilem ad esse Sacramenti, non mutavit rationem ejus; unde, quia contractus ille factus per procuratorem vel litteras, est legitimus contractus, ideò talis contractus inter fideles est legitimum Sacramentum. Forma hujus Matrimonii qua procurator uti potest, est hæc; recipio te in uxorem nomine Petri; vel, Petrus accipit te in uxorem mediante me; similiter sponsa dicere debet, ego duco Petrum nomine tuo', vel te mediante. An autem Procurator peccet mortaliter contrahendo Matrimonium in peccato mortali, negatur: quia non est minister principalis, nec Sacramentum recipit; mandans verò peccat mortaliter, si negligat se disponere ad recipiendum Sacramentum, quando probabiliter putat Procuratorem contracturum matrimonium, similiter etiam gratiam recipit pro illo instanti, si non ponat obicem. Si quæratur, an peccet inter dormiendum, si sit in peccato, dùm Matrimonium contrahitur, affirmat Sanchez, negant alii, ob inadvertentiam; & credunt quod potius peccaverit ante somnum, dum prævidens se matrimonium contracturum, præparationem ad illud neglexit.

Quæstio VII.

An Matrimonium clandestinum sit invalidum?

Duplex est Matrimonium, nempè solemne & clandestinum. Primum est illud quod fit coram Parocho & testibus, & denuntiationibus Ecclesiæ præmissis; & hoc dicitur fieri in facie Ecclesiæ, non materiali, sed morali, quia fit coram multitudine fidelium. Clandestinum duplex est, unum quod fit sine denuntiationibus, attamen coram testibus & Parocho: aliud quod fit sine Parocho & testibus, & hoc est propriè clandestinum. Ante Concil. Trident. utrumque erat validum, licet prohibitum; post Concil. verò irritum fuit illud quod fit sine præsentiâ Parochi & testium, ad majorem scilicet reverentiam Sacramenti, ob indissolubilitatem stritiùs observandam, & ad vitandas discordias inter amicos contrahentium.

Conclusio.

Matrimonium Clandestinum sine Parocho & testibus factum, invalidum est. Sic Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. sic Ecclesia reddit votum irritum professionis ante sextum decimum annum, & ante probationem; sic etiam jus civile reddit prodigum inhabilem ad contrahendum pro bonis temporalibus: in hoc autem Ecclesia non extendit suum jus super sacramentum immediatè, sed super contractum civilem, quem condescentione principum invalidat;

& cui Sacramentum ita subest, ut ipso posito ponatur Sacramentum inter Christianos, & ipso ablato auferatur.

Matrimonium tamen contractum sine denunciationibus non est minùs validum post Conc. ac ante; committitur tamen peccatum mortale, nisi in certis casibus. Primò, si timeretur Matrimonium malitiosè impediendum à parentibus & tutoribus, ut eorum bona absumant, vel eos jungant indignis; tunc si non possit adiri Episcopus, aut rogatus noluerit ex odio dispensationem dare, tunc proclamationibus obmissis potest contrahi. Secundo, quando ex proclamationibus oriretur scandalum, v. g. quando vir & fœmina, qui creduntur matrimonio conjuncti, attamen vivunt tantùm in concubinatu, postea contrahere volunt, non requiritur pro tunc ulla proclamatio. Tertio, quando Episcopus dat licentiam, quod tamen ordinariò non facit absolute; jubet enim saltem unam fieri, nè lateant impedimenta. Quarto, quando vir moribundus in uxorem vult ducere suam concubinam ad prolem legitimandam. Sunt & aliæ exceptiones cognitu faciles.

QUÆSTIO VIII.

Quales debeant esse Parochus & Testes?

LEx Concilii, de quâ locuti fuimus in quæstione antecedenti, quæ exigit præsentiam Parochi & Testium, aliquas patitur exceptiones. Primo, respectu infidelium; est

enim illa lex merè Ecclesiastica, & sic non obligat infideles; si unus tamen est fidelis, Matrimonium nullum est. Secundò, respectu fidelium, qui priùs contraxerunt in facie Ecclesiæ, sed invalidè, ob occultum impedimentum, postea clàm contrahere possunt. Aliqui dicunt, ignorantiam etiam dispensare ab hac lege, sed falsò. Tertiò, respectu eorum qui contrahunt in loco, ubi Concil. non est receptum, etiamsi transeant tantùm; imò etiamsi hunc locum accedant eo fine, ut contrahant Matrimonium; qui vult enim contractum civilem facere, ubicumque ipsum inire potest, & fraus tunc non fit legi; potest enim quilibet jure suo uti; habet verò jus eo eundi: peccat tamen mortaliter, quia ante Conc. matrimonium occultum prohibitum erat, & nunc adhuc est, ubi non recipitur Concil. Exceptis his casibus, requiruntur Parochus & testes; sed videamus, quales esse debeant.

Conclusio.

Parochus debet esse proprius parœciæ sponsi aut sponsæ, vel alter ex ejus licentiâ: potest etiam esse Episcopus vel Vicarius generalis Episcopi; qui unam personam constituit cum illo cujus vices gerit: vel Capitulum sede vacante, vel Legatus Pontificis in terris suæ legationis, vel à fortiori Summus Pontifex. Quoad Archiepiscopos in suffraganeorum Diœcesibus, nihil in hoc possunt, nisi cùm actu visitant, aut quando causa ad eos devolvitur per appellationem. Quoad vagos, contrahere debent coram Parocho loci in quo hospitantur, etiamsi non sit Sacerdos; Conc. enim

exigit tantùm Parochum. Quòd si Conc. dicat matrimonium non aliter debere fieri nisi coram Parocho, vel alio Sacerdote; ex hoc non debet inferri, quòd Parochus debeat esse Sacerdos; nam ly, alius, sæpe refertur ad aliquid diversæ qualitatis, ut Luc. 23. *Ducebantur autem & alii duo nequam cum illo.* Licet Parochus sit excommunicatus non toleratus, validè tamen assistit, quia non est actus jurisdictionis, sed testis. Quòd si excommunicatus non possit esse testis; hoc est in causis communibus, non in gravibus, ubi infames possunt adhiberi. Quòd si Parochus vel ejus Vicarius habens commissionem administrandi Sacramenta, dent licentiam alteri; hoc debet fieri alteri Sacerdoti. Debet non esse revocata hæc delegatio & tam Parochus quam commissus debent adsistere modo humano, idest attendere ad contractum; & sic dormiens, amens, & similes adsistere nequeunt.

Quoad Testes, debent esse præsentes præsentiâ etiam morali, & attendere ad ea quæ fiunt; licet tamen adsistant inviti, non minùs sunt legitimi testes, ut declaravit congregatio Cardinalium. Porrò, qualescumque testes præsentes esse possunt, etiamsi illis desint conditiones in jure requisitæ; unde infames, excommunicati, parentes, consanguinei, familiares, famuli, fœminæ recipi possunt; tales enim non rejicit Conc. & sic non est ratio cur excipiantur; favores enim sunt ampliandi, & matrimonium est materia favorabilis.

Quæstio IX.

An Matrimonium sit indissolubile?

Hoc potest intelligi vel respectu statûs innocentiæ, vel respectu statûs legis Mosaïcæ, vel denique respectu Evangelicæ legis. Quoad tempus intermedium inter statum innocentiæ & tempus legis Mosaïcæ, non loquimur de illo, quia nulla fuit in eo lex particularis. Quoad statum innocentiæ, in eo Matrimonium fuit indissolubile; quia pro tunc tale fuit, quale erat ex institutione divinâ, sed ex institutione divinâ erat indissolubile; ex intentione enim Dei & naturæ ordinabatur ad educationem prolis, non solùm ad breve tempus, sed per totam vitam ipsiusmet prolis: ergo parentes debebant simul manere. Quod si Abraham & Moïses dimiserint uxores suas; hoc fuit ex dispensatione Dei; Abraham enim jussu Dei repudiavit Agar quæ serva erat, & accepit Sara quæ erat libera, ut significaret se repudiaturum Sinagogam, & accepturum Ecclesiam. Licet tamen Matrimonium ex se sit indissolubile, potest tamen quæri, utrùm fuerit aliquando dissolutum ex dispensatione divinâ.

Conclusio.

In lege Mosaïcâ sicut in Evangelicâ Matrimonium erat indissolubile, & est adhuc; in illâ tamen ex concessione divinâ licitum fuit justâ de causâ Matrimonium solvere, etiam quoad vinculum.

Pro lege Mosaycâ, patet; quia in omni lege tale fuit Matrimonium, quale fuit ex institutione suâ; sed ut diximus, ex institutione suâ est indissolubile: ergo tale remansit in lege Mosaycâ. Constat tamen ex Deuteronomii 24. quòd ex concessione divinâ solutum aliquando fuerit; ibi enim habetur, *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam; & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu eius & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit amplius eam prior maritus recipere in uxorem.* Nec refert, quòd Matth. 19. dicatur, hoc Deum Iudæis permisisse propter duritiem cordis; sequeretur enim Deum verè non concessisse hanc solutionem, sed eam tantùm reliquisse impunitam; quod falsum est, & pugnat cum verbis supradictis, maximamque dedisset Iudæis occasionem peccandi, quippe qui omnes credebant lege hoc sibi esse licitum. Matth. ergo mox allegatus ostendere tantùm intendit, quòd pronitas Iudæorum ad peccandum fuerit causa cur Deus eorum imbecillitati subvenire cupiens, tale repudium illis concesserit, licet verè & sincerè. Quòd si etiam habeatur Deuteronomii 24. mulierem repudiatam alteri nuptam fieri abominabilem; hoc est in quantùm est repudiata; (per hoc enim infamiam incurrit) non in quantum nupta est.

Quantùm ad legem Evangelicam, Matrimonii indissolubilitas habetur Matth. 19.

Quòd Deus conjunxit homo non separet; *& qui dimissam duxerit*, *mœchatur* : habetur etiam Matth. 19. *Relinquet homo Patrem & Matrem, & adharebit uxori suæ.* Ratio noſtra eſt, quia in lege gratiæ Matrimonium eſt Sacramentum ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſiâ per incarnationem; illa autem unio perpetua eſt, unde Matth. cap. 19. dicens, *Qui dimiserit uxorem, niſi ob fornicationem, mœchatur*, intelligendus eſt de dimiſſione quoad thorum, non quoad vinculum.

Reperiuntur tamen quædam occaſiones in quibus matrimonium poteſt diſſolvi. Primò, quando contractum eſt inter infideles, & alter conjugum ad fidem convertitur, pro tunc fidelis poteſt cum alio inire; non eſt enim obſtrictus infideli; & in hoc caſu Deus ipſe diſpenſat. Secundò, quando matrimonium inter fideles contractum tantummodò ratum eſt, & altera partium religionem ingreditur ante conſummationem matrimonii; hujus rei cauſa eſt voluntas Chriſti declarata per traditionem Eccleſiæ; & hoc habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum non ſolvi per ſolemne votum profeſſionis, Anathema ſit*: unde eo ipſo quo quis profeſſus eſt Religionem approbatam, ſivè militarem, ſivè regularem, conjux poteſt cum alio contrahere; & profeſſus ita liber eſt, quòd ſi Papa diſpenſaret ſupra votum, poſſet aliam ducere, inquiunt aliqui. Non poteſt tamen diſſolvi Matrimonium ratum per receptionem Ordinis ſacri, nec etiam Epiſcopatûs, ut habetur in extravag. antiqua de voto, hoc enim privilegium ſoli

professioni datum est. Tertiò, potest dissolvi matrimonium ratum per dispensationem Summi Pontificis; dispensat enim in vota solemnia religionis quæ sunt majora: deinde, hoc fecit aliquando; non est autem verisimile ipsum errasse in tanto negotio. Dixi justâ de causâ; sine causâ enim invalidè dispensaret; nam in his quæ sunt de jure divino, non est Dominus, sed dispensator: dispensatio autem rei alienæ sine justâ causâ & contra voluntatem Domini, nulla est.

Quæstio X.

An Matrimonium sit necessariò unius cum unâ?

Montanistæ & Novatiani secundas nuptias negantes esse licitas contradicunt Apostolo dicenti ad Rom. 7. *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri; ut non sit adultera, si fuerit cum alio*; & primæ ad Timoth. 5. *Volo juniores viduas nubere.* Dicendum ergo est, quòd si in Neocæsarienſi Conc. prohibeantur Presbyteri interesse celebritati secundarum nuptiarum, cùm pœnitentia injungenda sit illis qui sæpiùs nubunt; hoc ideò dicitur, quia, ut ait D. Thomas, hoc est signum Incontinentiæ, & ideò parùm honorificum est. Quòd si Chrysostomus secundas nuptias Fornicationem appellet; hoc reperitur tantùm in opere imperfecto, cujus non est auctor, quippe qui multis refertus est erroribus; ipse au-

tem contrarium sentit Homil. 2. ad Ephes. ubi dicit, se non damnare secundas nuptias : quæstio ergo nostra non intelligitur, an Matrimonium sit unius cum unâ successive, sed simul & semel; ita quòd homini liceat habere simul plures uxores, & hoc est quærere, an Poligamia sit licita.

Conclusio.

Non possunt simul plures uxores duci; Poligamia enim est absolute illicita: nam repugnat primæ institutioni Matrimonii, quoniam Genes. 1. habetur, *Masculum & fœminam fecit eos*: Aliquomodò etiam est contra legem naturæ (non absolute, quia de eâ non posset fieri ulla dispensatio) nam in primo Matrimonio traditur maritus uxori, & contra legem naturæ videtur esse, quòd res uni tradita tradatur adhuc alteri. Licet tamen Poligamia sit illicita, nihilominùs ex dispensatione Dei concessa est; non quidem ante diluvium, sed post. Non ante diluvium; quia eo tempore solus Lamech habuit duas uxores Genes. 5. qui ob hoc reprehenditur ut Adulter à Nicolao Papâ. Post diluvium plures sanctissimi viri plures habuerunt uxores, utpote Abraham, Jacob, Elcana, David & alii: illi autem vixissent in perpetuo concubinatu, si ex dispensatione divinâ Poligamia illis non licuisset. Nec refert, quòd illæ uxores concubinæ dicantur; concubina enim & uxor usurpabantur pro eodem; & in hoc solùm stabat distinctio, quòd illa quæ dicebatur uxor, sumebatur simul in conjugium & in administrationem familiæ; sic

erat Sara in domo Abrahæ, sic Lia & Rachel in domo Jacob; concubinæ autem dicebantur illæ quæ erant tantùm assumptæ in ordine ad generationem. Porrò, in lege gratiæ reductum est Matrimonium ad primam sui institutionem, ideſt, ad unicam uxorem; ubi animadvertendum, quòd licet fuerit in veteri lege licitum viro habere plures uxores, nusquam tamen habuit eadem uxor plures viros.

Quæstio XI.

Quænam sint bona Matrimonii?

Confundunt vulgò bona Matrimonii cum effectibus ejus; unde postquam diximus, quòd Sacramentum Matrimonii conferat gratiam habitualem illis qui obicem non ponunt, sicut & gratiam actualem seu Sacramentalem, quæ consistit in auxiliis quibusdam actualibus à Deo collatis pro loco & tempore, ut onera Matrimonii portentur; postquam etiam asseruimus, hoc Sacramentum inter fideles contractum legitime, & ab illis consummatum producere indissolubilitatem; nobis dicendum remanet de bonis ipsius Matrimonii, si prænotaverimus, quod ad gratiam habitualem per hoc Sacramentum recipiendam non requiritur, ut tollatur obex peccati mortalis per confessionem; nulla enim lex hoc præcipit, sed ad hoc sufficit contritio, vel vera, vel existimata: si enim sit vera, peccatum tollit, &

pro tunc confessio non est necessaria necessitate medii, nec præcepti; si verò est tantùm existimata, contrahens vi Sacramenti de attrito fit contritus.

Conclusio.

Tria communiter assignantur bona Matrimonii; nempè bonum Sacramenti consistens in Charitate & in Indissolubilitate, de quâ egimus; bonum Fidei; bonum denique Prolis. De istis supereſt loquendum.

Ad fidem conjugalem tria exiguntur; primò, ut sponsi simul cohabitent & administrent familiam, cum hoc ordine, ut viro subdita sit mulier in tali administratione; & vir teneatur præstare vxori & familiæ alimenta & alia necessaria. Ex illâ ratione tenetur uxor sequi habitationem viri, nisi in hoc pateretur grave incommodum, ut si ad bellum proficisceretur. Secundò, ut alter alteri debitum reddat 1. Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro*: & ad hoc tenentur ex justitiâ; nam uterque conjux contrahendo tradit alteri potestatem sui corporis, 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: conjux ergo qui negaret debitum conjugi petenti sivè tacitè, sivè expressè, iret contra justitiam: petere autem tacitè censetur mulier, quando vir cognoscit in eâ voluntatem petendi, quam præ verecundiâ non explicat. Tertiò, requiritur ad fidem coniugalem, ut conjux vivente conjuge cum aliâ personâ non contrahat; esset enim Adulterium, Rom. 7. *Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*;

unde, ut altera partium ad alias nuptias convolet, debet haberi certum testimonium de morte suæ partis, nec quantumlibet tempus absentiæ ad hoc sufficit.

Licet ad fidem conjugalem cohabitatio requiratur, impediri tamen potest per divortium, in hoc distinctum à repudio, in quo fiebat solutio Matrimonii quoad vinculum, ubi in divortio fit tantùm solutio quoad thorum & cohabitationem: fieri autem potest quoad thorum, propriâ authoritate; sed quoad habitationem, tantùm authoritate Ecclesiæ, cap. *Porrò*, de divort. Potest divortium fieri ex pluribus causis remanente vinculo; scilicet ob ingressum utriusque partis in religionem, ob Adulterium, Hæresim, perditos mores, denique ob sævitiam, & morbum contagiosum. Ista tamen impediunt, quominùs conjux possit separari à conjuge propter Adulterium; si Adulterium sine crimine sit, ut quando mulier patitur violentiam, vel alium virum cognoscit quem credit esse suum coniugem; si uterque conjux teneatur eodem crimine; si conjux sit conjugi adulterandi causa; si denique post Adulterium unus cum alio rem habuerit.

Plura similiter conjuges dispensant à debito reddendo, quæ prolixiùs retexere non intendo, tùm quia hoc meæ menti repugnat, tùm quia hæc omnia de facili haberi possunt à Canonistis; dicam tamen in sequentibus casibus posse à redditione debiti dispensari. Primò, quando conjux petit benevolè, non intendens conjugem adstringere ad hoc, sicut quando amicus petit rem sibi debitam ab amico, non in-

tendens illum obligare. Secundò, quando conjux Adulterium commisit, conjux innocens potest illi negare debitum. Tertiò, excusatur à peccato qui rarò negat, vel qui petitus differt à redditione per breve tempus; & hoc ob parvitatem materiæ, modò non sit periculum Incontinentiæ; pro tunc enim non potest cessare obligatio debiti. Quartò, quando una partium frequentiùs petit, quàm par sit; debet enim in omnibus modus servari. Denique ob furorem, morbum contagiosum & metum mortis in partu justum & rationabilem; non verò quando timetur filiorum multiplicatio, nisi conjuges mutuo consensu & sine periculo Incontinentiæ cedant juri suo, aut quando non habent unde filios alant; tunc enim unum posse alteri debitum negare sentiunt Doctores.

Quæstio XII.

Quanam sint impedimenta Matrimonij?

Nemo dubitat, quin Papa possit impedimenta statuere, quæ dirimant Matrimonium; hoc enim habetur in Conc. Trident. sess. 24. can. 3. & 4. Non quòd habeat potestatem super Matrimonium, ut Sacramentum est, sed ut est contractus ciuilis, quem potest (non tamen sine iustâ causâ) irritare; non tantùm in terris ubi dominatur temporaliter, sed per totam Ecclesiam; quia talis potestas circa res matrimoniales ablata est prin-

cipibus temporalibus in iure canonico, & reſervata eſt Eccleſiæ, ut patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 24. can. 12. exceptâ causâ dotis & matrimonii infidelium, de quibus contractibus poſſunt cognoſcere principes ſæculares. Ratio quare talis poteſtas reſervata eſt Eccleſiæ, eſt, quia Matrimonium non eſt tantùm contractus ciuilis, ſed Sacramentum & res ſpiritualis, quod debet judicari ab Eccleſiâ. Quantum ergo ad principes fideles, præcisè ſtatuere poſſunt impedimenta ad Matrimonium, ut eſt contractus civilis; ſed illa poteſtas ab eis ſublata eſt, & tantùm illis reſervatur cauſa dotis & Matrimonii infidelium & hæreticorum, quod non habet rationem Sacramenti, ſed contractûs purè civilis. Quantum ad principes infideles, poſſunt ſtatuere impedimenta; tum quoad ſubditos infideles, reſpectu quorum Matrimonium eſt tantum contractus civilis; tum quoad fideles, inter quos Matrimonium non eſt vere Sacramentum, niſi ſit vere contractus civilis: non eſſet autem legitimus contractus civilis, ſi leges civiles iuſtæ quæ cedunt in reipubl. utilitatem illum prohiberent. Porrò, Judæi non poſſunt talia impedimenta condere; quia nec habent rempubl. nec principem legitimum, nec poſſunt uti legibus ceremonialibus Moſaïcis, quia abrogatæ ſunt.

Conſtat ergo Eccleſiam poſſe ſtatuere impedimenta ad Matrimonium, & multa reverà condidiſſe quorum aliqua impediunt, nè fiat, factum tamen non dirimunt; alia verò faciendum impediunt, dirimuntque factum. Sunt autem quinque ſpecialiter quæ faciendum Ma-

trimonium impediunt, quorum primum est tempus prohibitum ab Ecclesiâ; unde peccarent mortaliter qui à primo die Adventûs usque ad diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè contraherent; hoc enim prohibitum est à Conc. Trident. sess. 24. cap. 10. Quòd si ibi prohibeantur tantùm solemnitates nuptiarum; per illas intelliguntur benedictio conjugum in Ecclesiâ & traductio sponsæ, non tamen consummatio Matrimonii. Potest dispensare Ordinarius, ut sine solemnitatibus fiat. Secundum impedimentum est interdictum seu prohibitio, ut quando Episcopus, vel Parochus, vel judex justè prohibent, nè una persona cum aliâ contrahat, vel hoc tempore aut illo. Tertium est votum Castitatis, aut ingrediendæ religionis, aut suscipiendi Ordines sacros, aut non nubendi; peccat enim qui facit contra votum in re gravi. Quartum petitur ex sponsalibus celebratis cum aliâ personâ. Quintum denique est crimen; multa autem crimina Matrimonium impediunt quæ videri possunt apud Bonacinam. Hæc quinque impedimenta duobus his versibus continentur.

Tempora, Mandatum, Votum, Sponsalia, Crimen,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quantùm ad impedimenta dirimentia, fuerunt semper duodecim expressa in versibus sequentibus, quibus duo adjunxit Concil. Tridentinum; impedit enim, quominùs Matrimonium clandestinum sit legitimum, sicut & illud quòd contrahitur inter raptorem &

raptam, quamdiu manet in potestate raptoris.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas:
Si sis affinis, si fortè coïre nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

CONCLUSIO.

ERROR cadere potest vel in substantiam personæ, ut quando quis credens ducere Annam, ducit Mariam; & tunc invalidum est Matrimonium, iure etiam naturali; contrahens enim non consentit cum illâ personâ; unde non valeret apud infideles. Hoc intelligitur, etiamsi error esset concomitans, ut quando quis ducit Annam putans ducere Mariam, quam tamen duceret, si cognosceret illam; quia non consentit actu circa illam; & consensus actualis requiritur. Vel potest error esse circa qualitatem personæ, ut quando aliquis ducit Mariam, quam putat diuitem, formosam, nobilem, & talis non est; Matrimonium est validum, nisi talis qualitas apponatur per modum conditionis, vel transeat in errorem personæ. Ratione primi, si quis dicat, duco te in uxorem, si tu es nobilis, & non sit reverà, Matrimonium nullum est; defectus enim conditionis, sine quâ non factus fuisset contractus, invalidat contractum. Ratione secundi, non valeret Matrimonium, si Maria sponsaret Petrum se fingentem esse filium regis Galliæ, in quem illa consentit sicut in filium regis, qui reverà talis non est; tunc enim error censetur versari circa determinatam personam: vale-

ret autem si contraheret cum Petro qui se fingit esse filium regis simpliciter ; consentit enim in determinatam personam quam præsentem ducit ; & error tantùm cadit supra qualitatem.

Conditio est secundum impedimentum Matrimonii ; sumitur autem Conditio non latè, de eâ enim loquuti fuimus anteà ; sed strictè, pro servitute, & de eâ dicitur, quòd Matrimonium contractum cum errore Conditionis servilis sit invalidum, modò conditio errantis sit deterior ; sic qui contrahit cum servâ, quam putat liberam, invalidè contrahit, licet cum illâ contraheret, si illam cognosceret servam : si tamen servus contraheret cum servâ, quam putat liberam ; aut cum liberâ, quam putat servam, contraheret validè ; quia conditio eius non sit deterior. Hoc impedimentum inductum est ab Ecclesiâ, ut tollatur inæqualitas inter contrahentes, & nè fiat injuria contrahenti. Servitus extendi potest ad illos qui damnati sunt ob crimina ad remos perpetuos, vel perpetuo carceri, quia sunt servi pœnæ.

Votum tertiò Matrimonium dirimit, nimirùm solemne, quale in professione religionis & in sacrorum Ordinum receptione emittitur ; simplex autem votum Castitatis tantùm impedit, excepto apud RR. PP. Societatis Iesu, qui elapso biennio emittunt votum simplex castitatis, quod non tantùm impedit & dirimit Matrimonium respectu illorum, sed de facto excommunicationem incurrunt si contrahant.

Cognatio quartum impedimentum est diri-

mens Matrimonium ; & eſt triplex, nempè legalis, ſpiritualis, & naturalis. Cognatio legalis eſt quædam propinquitas inter certas perſonas proveniens ex adoptione: Adoptio autem eſt legitima aſſumptio perſonæ extraneæ in filium aut filiam ; illa cognatio impedimentum eſt, primò, inter aſcendentes & deſcendentes uſque ad quartum gradum incluſivè : ſecundò, inter adoptatum & filios adoptantis ; tertiò, inter adoptatum & uxorem adoptantis, & inter adoptantem & uxorem adoptati ; primi ſunt cognati in lineâ rectâ ; ſecundi in lineâ tranſverſali ; & tertii per modum affinitatis legalis. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas inter quaſdam perſonas ex Baptiſmo & Confirmatione proveniens : & triplex eſt, nempè Paternitas inter baptiſantem & baptiſatum, & inter levantem & levatum, ſic de confirmato ; Compaternitas, inter baptiſantem, confirmantem, patrinum, & patres carnales baptiſati aut confirmati ; denique eſt Confraternitas inter baptiſatum ſeu confirmatum & filios baptiſantis, confirmantis & patrinorum ; ſed ablata eſt Fraternitas per Concil. Trident. & remanſerunt ſolà Paternitas & Compaternitas, quæ ex eodem Concil. non ampliùs ſe extendit ad ſuſceptores, & etiam limitatur ad unum & ad unam. Ad cognationem ſpiritualem multa requiruntur. Primò, ut teneatur infans in Baptiſmo ; unde ſi domi eſt baptiſatus, qui tenet, dùm ſupplentur ſolemnitates in Eccleſiâ, non contrahit. Secundò, ut quis teneat in primo Baptiſmo ; unde ſi rebaptiſetur, ſuſceptores non contrahunt cognationem, niſi probabile

esset primum fuisse invalidum ; probabiliter enim esset Cognatio. Tertiò, debet teneri infans in baptismo solemni; & si teneatur tantùm domi, nulla est cognatio, quia Ecclesia non instituit susceptores nisi in Bapt. solemni. Quartò, susceptores suscipere debent puerum de manibus baptisantis statim ac baptisatus est; aliàs non dicerentur levare de fonte sacro: unde mulier suscipiens puerum non de manibus baptisantis sed patrini, non contrahit; & etiam, si susceptores tangant puetum tantùm digito, non dicuntur propterea tenere; ex quo patet contactum physicum esse necessarium, sivè sit proprius vel alienus; qui enim suscipit per procuratorem, contrahit, ut major pars Doctorum sentit; non ipse procurator, ut declaravit congregatio Cardinalium; qui tamen constituit alium, ut suo nomine baptiset, non ipse contrahit, sed designatus.

Quantùm ad cognationem naturalem, nil aliud est, quàm propinquitas personarum descendentium ex eodem stipite proximo per naturalem generationem. Distinguitur per lineas & gradus. Linea est series seu ordo personarum ascendentium vel descendentium ab eodem stipite; stipes autem est illa persona ex quâ fit descensus. Gradus est distantia major vel minor quâ una persona magis vel minus distat ab aliâ. Linea duplex est, recta & collateralis; illa est secundùm quam plures personæ ita à stipite descendunt, ut una sit genita ab aliâ; hæc est, quâ plures personæ ab eodem stipite descendunt, non tamen quòd una sit ab aliâ. Ut cognoscatur quot gradibus una perso-

na distet ab aliâ, accipiendæ sunt hæ tres regulæ. Prima, in lineâ rectâ ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot personæ, unâ demptâ, scilicet stipite; sic Pater & Filius sunt in primo, quia dempto Patre qui est stipes, remanet tantùm una persona; sicque est tantùm unus gradus; pari jure Nepos est in secundo gradu consanguinitatis cum Patre. Pronepos in tertio, &c. Secunda regula, in lineâ collaterali & transversâ tot gradibus distant personæ inter se, quot distant à stipite; sic quia duo fratres distant à Patre uno gradu, distant inter se uno gradu. Tertia regula hæc est; si in lineâ transversâ, duæ personæ distent inæqualiter à stipite, quot gradibus distat persona remotior, tot gradibus inter se distant; unde si una sit in secundo gradu distans à stipite, & alia in tertio, sunt inter se distantes in tertio. Hoc posito, dico primò, Matrimonium esse invalidum intra quartum gradum consanguinitatis, tùm in lineâ rectâ; tùm in collaterali; sed hoc est tantùm de jure Ecclesiastico, quod olim illud prohibebat fieri intra septimum. Dico secundò, quòd aliqui sentiant, prohibitum esse Matrimonium in omni gradu lineæ rectæ, & hoc de jure naturæ; quia contractus & usus Matrimonii repugnant reverentiæ quæ debetur parentibus: alii tenent esse tantùm de jure naturæ prohibitum in primo gradu, juxta id Levitic. 18. *Turpitudinem Patris tui vel Matris tuæ nè discooperias; Mater enim tua est*: Unde, si Matrimonium intra quartum gradum ascendentium prohibetur, hoc est tantùm de jure Ecclesiastico. Ad adversarios

respondentes, dicunt quòd maxima reverentia debeatur tantum principio immediato, nempè Patri; non mediato, scilicet Avo. Dico tertiò, in lineâ transversâ Matrimonium esse prohibitum de iure naturæ in primo gradu, v. g. inter Fratrem & Sororem; inter illos enim est maximus pudor, cui adversatur usus Matrimonii. Quò si initio mundi contrahebant Fratres cum Sororibus; hoc erat ad conservandam speciem humanam, quod præceptum cuilibet alteri præponderat; unde, si eadem necessitas rediret, posset Pater contrahere cum Filiâ, & Frater cum Sorore.

Quintum impedimentum matrimonium dirimens est *Crimen*: illud autem crimen duplex est, nempè Homicidium & Adulterium. Ratione primi criminis, si vir & mulier simul machinentur mortem alteri conjugum; aut si unus eorum machinetur mortem suæ conjugis, ut matrimonium ineat cum aliâ, Matrimonium iniri non potest. Ratione secundi, si Adulteri sibi inuicem promiserint fidem de Matrimonio ineundo post mortem coniugis, contrahere Matrimonium non possunt; quia videntur mortem alterius coniugis procuraturi: sic nec illi qui contraxerunt vivente altero coniuge; Matrimonium tamen non est irritum, si unus fingat alteri suam partem esse mortuam, ut illum decipiat, & inducat ad Adulterium: Non etiam irritatur Matrimonium, si v. g. Petrus occidat ex vindictâ maritum Annæ, non verò ut cum illâ contrahat. Non etiam irritatur, si solus Petrus occidat maritum Annæ ut eam ducat, modò illa non concurrerit, nec præcesserit Adulterium cum Homicidio.

Sextò impeditur Matrimonium per *cultus disparitatem*; Unde fidelis contraheret invalidè cum infideli non baptisato, etiam cathecumeno; validè tamen contrahit cum hæretico; hoc enim nullâ lege cautum est, licet sit grave peccatum, propter prohibitionem Ecclesiæ & periculum subversionis: quod intelligendum est de locis in quibus hæretici non sunt tolerati; alibi enim, ut in Galliâ, cessante periculo perversionis & scandalo (quæ rarò absunt) non esset peccatum mortale de se. Istud impedimentum est tantùm de consuetudine Ecclesiæ, quæ non fuit tempore Augustini, cujus mater Monica virum duxerat infidelem. Quod si 1. Corinth. 7. Paulus permittat mulierem fidelem manere cum viro infideli; loquitur de muliere factâ fideli post Matrimonium.

Impeditur septimò Matrimonium per *metum extrinsecum* cadentem supra constantem virum. Dicitur primò, per metum extrinsecum, qualis incuti potest à causâ extrinsecâ liberâ, ut ab homine; non à causâ intrinsecâ, qualis est ille qui incutitur à periculoso morbo, à morte, à feris animalibus, &c. Matrimonium enim initum ut hæc omnia vitentur; validum est: sic validum est Matrimonium filiæ medici nolentis curare ægrotum, nisi ducat ægrotus illam filiam; metus enim non intutitur à medico, sed à morbo: Valet etiam dùm contrahitur ob metum inferni. Dixi secundò, cadentem supra constantem virum, seu gravem; gravis metus à levi in hoc differt; quòd gravis est ille qui cogit eligere minus malum, ut majus vitetur: levis ex opposito est ille quo aliquis

cogitur elicere majus malum ut minus devitetur : posito gravi metu ut extorqueatur consensus, Matrimonium invalidum est. Ad metum gravem reducitur metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, carceris diuturni, exilii, stupri, amissionis partis notabilis bonorum, infamiæ, &c. Quoad metum reverentialem, nisi sit gravis, ideſt, conjunctus cum minis gravibus, verberibus & similibus, Matrimonium non invalidat.

Octavò, Matrimonium invalidatur per *Ordines majores* susceptos validè, & hoc tantùm ex præcepto Ecclesiastico, non divino ; aliàs Ecclesia Romana non permitteret Sacerdotibus Græcis usum Matrimonii. Licet tamen matrimonium Ordines majores subsequens invalidum sit propter votum solemne illis implicitè adjunctum, ex decreto Ecclesiæ ; non tamen susceptio sacrorum Ordinum Matrimonium anteà contractum invalidat. Dixi, susceptos validè ; si enim quis invalidè ordinaretur, v. g. nolens, aut ab Episcopo non intendente ordinationem, validè posset contrahere Matrimonium. Si quis Ordinem sacrum susciperet, nesciens illi annexum esse votum Castitatis, ad illam teneretur ; qui vult enim statum, vult ea quæ sunt annexa statui, ut illud votum : Quòd si intentionem haberet positivam non vovendi, ad castitatem nihilominus teneretur ; non ratione voti, quia nullum est, sed præcepti Ecclesiastici Matrimonium ordinati prohibentis. An ille qui ordinatus est Ordine sacro ante usum rationis teneatur Castitatem servare, dùm sit adultus ; omnes respondent negativè,

nisi Ordinem ratificaverit: sed controvertuntur de ordinato ante ætatem pubertatis, seu sexdecim annorum: affirmativam probabiliorem tenet Bonacina.

Per *ligamen* nonò Matrimonium impeditur; Per ligamen autem intelligitur vinculum prioris matrimonii, quo stante, nullus potest aliam uxorem ducere. Vinculum hoc invalidat matrimonium ex jure naturæ, in quantùm repugnat quieti & paci familiæ; unde super illud non potest dispensare Summus Pontifex. Quòd si in veteri Testam. licita fuerit Poligamia, seu pluralitas uxorum, hoc factum fuit ex Dei dispensatione; & sic hoc præceptum pertinet tantùm ad secundarium jus naturæ, quoniam Deus in illud dispensat, quæ dispensatio ablata est à Christo, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur*; si enim mœchatur, dimissâ aliâ, à fortiori mœchatur, illâ retentâ. Quoniam jure naturæ plures uxores prohibentur, à fortiori prohibentur plures viri unius uxoris; hoc enim repugnat fini primario Matrimonii, nempe procreationi prolis, quæ impeditur ex seminum commixtione. Ex nostrâ conclusione sequitur, certitudinem moralem requiri de morte conjugis, ut superstes ad novum matrimonium convolet; & illa certitudo non censetur haberi per multorum annorum absentiam viri, nec per famam solam, nec per unum testem, nisi hæc conjungantur cum indiciis ita evidentibus, ut nullus remaneat dubitandi locus, quod relinquendum est judicio prudentis viri. Mulier quæ existimato mortuo conjuge alium duxit, cognoscens

certò primum esse viventem, à primo recedere debet; si verò tantummodò dubitat, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere. Porrò, licet Poligamia, quæ consistit in possessione plurium uxorum, illicita sit; Bigamia tamen, qua plures habentur successiuè, non est illicita, ad Rom. 7. *Si mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri; utnon sit adultera, si fuerit cum alio viro*: immò secundæ nuptiæ sunt Sacramentum, licet ille qui ad eas transit fiat irregularis, quia per secundas nuptias non significatur perfectè conjunctio unius Christi cum unicâ Ecclesiâ.

Invalidat decimò matrimonium *publica honestas*, quæ est propinquitas quædam orta ex validis sponsalibus de futuro, vel ex matrimonio rato, non consummato; cum hac differentiâ, quod prima, quæ extendabatur usque ad quartum gradum inclusivé, limitetur ad primum: secunda verò ad quartum gradum protendatur. Istud impedimentum vocatur publicæ honestatis; quia indecens est, ut frater ducat filiam quæ fuit sponsa fratris sui mortui.

Undecimò, irritatur matrimonium per *Affinitatem*, quæ est propinquitas personarum proveniens ex carnali copulâ, sivè licitâ, sivè illicitâ: si oriatur ex licitâ, extendit se ad quartum gradum; si ex illicitâ, ad primum limitatur. Cognoscuntur gradus Affinitatis per hanc regulam; quo gradu aliquis est consanguineus viro, eo gradu est affinis mulieri. Licet autem consanguinei viro sint affines uxori ejus, non tamen consanguinei viro sunt affines consanguineis uxoris; & sic duo fratres possunt in Matrimonium ducere duas uxores, & pater & filius contrahere

contrahere possunt cum matre & filiâ. An Affinitas Matrimonium dirimat jure Ecclesiastico vel naturali ? Resp. dirimere jure Ecclesiastico usque ad quartum gradum ; jure verò naturæ aliqui dicunt dirimere in primo gradu lineæ rectæ; & sic Papam non posse dispensare, ut aliquis contrahat cum matre & filiâ , si filia sit orta ex copulâ licitâ , secùs si ex illicitâ : alii in nullo gradu sentiunt Matrimonium esse prohibitum jure naturæ ; sed omnes conveniunt in hoc, quod lege naturæ validum sit Matrimonium in primo gradu lineæ transversæ : unde Genes. 29. Iacob duas sorores sibi junxit, & Summus Pontifex dispensavit cum Rege Angliæ Henrico VIII. ut sponsaret Catharinam uxorem fratris sui ; licet eam postea repudiaverit ex prætextu , quòd talis dispensatio esset invalida : unde propter hoc excommunicatus fuit. Quod si Ioann. Baptista Herodem reprehenderit, dicens; *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* , hoc est, quia illam habebat vivente fratre, & quia hoc prohibitum erat lege divinâ positivâ, Levitici 18. *Turpitudinem fratris tui non revelabis :* quæ lex abrogata est per novam: unde nunc tale Matrimonium est tantùm prohibitum lege Ecclesiastica.

Invalidatur Matrimonium duodecimò per *Impotentiam* , modò sit perpetua , & respectu cujuscumque personæ , & Matrimonium præcesserit. Impotentia censetur perpetua quæ per triennium duravit ex jure canon : & quæ non potest tolli arte humana, vel sine vitæ periculo : sic ille censetur impotens perpetuus qui potens reddi non potest , nisi per miraculum , aut arte

magicâ, aut committendo aliquod peccatum; ut quando mulier à viro cognosci non potest, nisi ab alio anteà cognoscatur: sic mulier censetur impotens quæ non potest reddi apta, nisi per incisionem vitæ periculum inducentem. Quod si impedimentum sit tantùm respectu unius personæ, respectu talis personæ est quidem invalidum, non respectu aliarum; & sic facto divortio authoritate Ecclesiæ, cum alio contrahi potest: sed debet illa impotentia probari per triennium. Quod si impotentia sit antecedens Matrimonium, irritatur; quia finis Matrimonii est, ut conjuges per copulam possint fieri una caro: si verò superveniat Matrimonio consummato, non dirimit; quia jam facti sunt una caro per copulam: licet autem potestas ad copulam sit de essentiâ Matrimonii, non tamen copula actualis ad essentiam ejus spectat. Ex hoc sequitur, Matrimonium contractum ab Eunucho perfecto, qui omninò caret semine, esse invalidum etiam de jure naturæ; quia copulam habere non potest, quæ consistit in emissione seminis; steriles verò inter quos potest esse vera copula, validè contrahunt; non verò senex decrepitus, si sit omninò impotens ad seminationem; & ad hoc non possit juvari aliquâ arte. Quando cognoscitur Impotentia perpetua, separari debent conjuges, nè sit periculum Incontinentiæ in tactibus & osculis, quæ tantùm licent in ordine ad copulam: seclusò tamen scandalo & illo periculo, vir potest habere sororem quam non potest habere uxorem. Supersunt duo impedimenta quæ Matrimonium insuper irritant à Concil. Trident. inducta, quorum unum

est absentia Parochi & testium, & secundum est Raptus. De primo diximus antea; de Raptu dicam, Matrimonium non posse contrahi, sed esse invalidum, si fiat cum puellâ raptâ, quamdiu manet in Raptoris potestate.

Quantùm denique ad potestatem dispensandi in impedimentis Matrimonii; Summus Pontifex dispensare potest in impedimentis dirimentibus matrimonium jure Ecclesiastico, nam habet summam potestatem in totâ Ecclesia; non debet tamen hoc facere nisi justâ ex causâ, maximè in his quæ sunt magni momenti, & quæ occasionem scandali præberent: in illis autem impedimentis quæ apponuntur jure naturæ, aut divino, dispensare non potest. Quoad impedimenta quæ Matrimonium non dirimunt, sed tantùm prohibent, Episcopus dispensare potest, licet inducta à superiore sint, hoc enim consuetudine receptum est; excipe tamen votum Castitatis & Religionis. Episcopus etiam dispensare potest super impedimenta dirimentia, quando sunt occulta & Matrimonium publicum, conjugesque sine scandalo separari non possunt, nec facilè ad Summum Pontificem recurrere. Potest insuper Episcopus dispensare super impedimenta dirimentia quæ Matrimonio superveniunt, & impediunt, nè petatur debitum; ut quando advenit Affinitas vel Cognatio spiritualis. Affinitas illa advenire potest, quando sponsus cognovit consanguineam sponsæ; & cognatio spiritualis, quando sponsus extra necessitatem suum filium baptisavit.

Quæstio Ultima.

Quid dicendum sit de Sponsalibus?

Sponsalia, quæ à spondendo, seu promittendo dicta sunt, sumuntur primò pro futuri Matrimonii promissione: secundò pro contractu Matrimonii rato, non consummato; unde venit nomen sponsi & sponsæ; unde etiam Luc. 2. Maria dicitur fuisse Ioseph desponsata uxor: tertiò pro muneribus quæ olim à sponso dabantur sponsæ. Hîc sumuntur Sponsalia primo modo, in quibus tres conditiones requiruntur; prima, ut sit promissio futuri matrimonii; secunda, ut sit inter personas habiles ad contrahendum; tertia, ut manifestetur signis aut verbis. De his tribus dicendum est.

Quantùm ad primum, dico, quòd illa promissio futuri matrimonii debeat esse deliberata, mutua, & facta inter præsentes. Debet primò esse *deliberata*, id est facta cum tali advertentiâ, quanta requiritur ad opus meritorium, vel demeritorium. Si sponsalium promissio fiat ex iracundia, aut aliâ passione, dicendum est, quòd si illa passio ita perturbet rationem, ut advertentiam requisitam impediat, tantam quantam requirit commissio peccati mortalis, illa promissio non sufficit: quòd si cessante illo motu, promissionis sponsum pœniteat (nullâ aliâ superveniente ratione) signum est non fuisse sufficientem deliberationem. Quando sponsalia fiunt fictè, & aliquis promittit exte-

rius, non tamen habet animum promittendi aut se obligandi, sponsalia nulla sunt. Quando quis habet voluntatem promittendi & se obligandi, non tamen adimplendi promissum, valida sunt sponsalia. Quando aliquis habet intentionem promittendi, non tamen se obligandi, controvertuntur Doctores, an illa promissio sit valida, & utramque partem existimant probabilem. Quando quis promisit Matrimonium contrahendum cum aliquâ, etiam cum juramento, non tamen habet animum promittendi aut jurandi, non tenetur contrahere ratione fraudis aut injuriæ, quia nulla fit; posset tamen teneri, si in violatione fidei intercederet scandalum; si autem sub promissionis & juramenti prætextu aliquis Virginem violaverit, non sufficit illi dotem constituere, sed eam ducere debet; modò scandalum grave non superveniat, aut modò vir notabiliter mulierem non excesserit, aut nisi ex circumstantiis evidentibus potuerit mulier cognoscere fictionem promissionis; videretur enim pro tunc consensisse fraudi.

Debet secundò promissio Sponsalium esse *mutua*; sponsalia enim sunt promissio futuri matrimonii, & matrimonium requirit consensum utriusque partis. Debet, inquam, esse mutua; unde quando sponsorum alter matrimonium promittit, & alter non repromittit, sed tantùm promissionem alterius acceptat, invalida sunt sponsalia; per hoc enim iste acceptat quidem voluntatem promittentis, sed non intendit repromittere; nec pro tunc tacendo videtur consentire in repromissionem, sed tantùm

in acceptationem. An ille qui promittit matrimonium, alio non repromittente, obligetur ad illud, quando alter postea repromittit? alii dicunt obligari, non ex vi sponsalium, sed promissionis liberalis: alii sentiunt non obligari, quia illa promissio est onerosa; fit enim sub onere seu conditione repromissionis quæ non fuit: alii dicunt quod si alter paulò post repromittat, ita ut sit continuitas moralis, & voluntas in alio perseveret, iste obligetur reverà.

Debet tertiò promissio Sponsalium fieri *inter præsentes*: unde si promissio matrimonii futuri facta sit alicui fœminæ absenti, nullo pro illâ tali promissionem acceptante, revocari potest ante absentis acceptationem; & hæc acceptatio promittenti innotescere debet per litteras, vel per nuntium acceptantis. Quod si aliquis illam promissionem acceptet nomine absentis, revocari non potest: modò tamen illa promissio fiat præsenti, ut quando quis diceret, promitto tibi me ducturum Annam; si enim promissio fieret directè absenti, dicendo, promitto Annæ, me illam ducturum, posset revocari illa promissio, antequam acceptaretur ab absente. Quod si acceptans non habeat commissionem specialem repromittendi pro absente, ipse absens potest illam promissionem acceptatam non ratificare, quia acceptans non acceptavit illam nomine proprio, sed sub beneplacito absentis. Porrò, non omnes pro absente acceptare possunt, sed tantùm illi qui commissionem habent, vel qui sunt absenti consanguinitate, aut affinitate conjuncti, vel qui ex illa promissione aliquod commodum

reportant, vel qui subsunt absenti aut præsunt; ut Filius pro Patre, servus pro Domimino, Princeps pro Subdito, Tutor pro Pupillo, &c.

Quantùm ad secundum, Sponsalia fieri debent inter personas habiles ad conttahendum; sponsalia enim ad Matrimonium ordinantur: unde qui habent inhabilitatem perpetuam ad Matrimonium, habent etiam ad Sponsalia. Dixi *perpetuam*, nam impuberes, & illi qui voto Castitatis obstringuntur ad tempus, possunt Sponsalia emittere de Matrimonio contrahendo, elapso illo tempore. Quoad ætatem; septem anni completi requiruntur ad Sponsalia, & quatuordecim ad Matrimonium in viris, duodecim verò in fœminis. Non requiritur diversa ætas in Sponsalibus, benè autem in Matrimonio; quia ad Sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore cunctis advenit; ad Matrimonium verò requiritur virtus generandi, quæ tardiùs advenit viris. Si sponsalia fiant ante completum septennium, invalida sunt, modò malitia non suppleat ætatem; malitia autem censetur ætatem prævenire, si contrahentes possint cognoscere naturam contractûs quem faciunt, & si sint doli capaces. Quod si ultima dies septennii sit inchoata, hoc sufficit ad Sponsalia; in favorem Matrimonii, sicut sufficit in Testamenti favorem.

Quantùm ad tertium; Sponsalium promissio debet esse externa; nam promissio fit homini, & ab homine acceptari debet; non potest autem homo promissionem sibi factam acceptare, nisi sibi manifestetur aliquo signo exteriori:

Votum ergo, quia fit Deo, potest consistre in promissione internâ; Sponsalia verò, quia fiunt homini, debent habere promissionem externam. Ad Sponsalia non sufficit votum factum Deo de contrahendo matrimonio cum tali fœminâ, quia votum est de meliori bono; erit tamen validum si matrimonium necessarium sit, ut quando aliquis aliquam defloravit sub promissione matrimonii, vel quando ex tali matrimonio contrahendo advenit magna utilitas reipublicæ, ratione cujus matrimonium est melius cœlibatu. Promissio Sponsalium non satis exprimitur per taciturnitatem; si enim una regula juris habeat; *qui tacet consentire videtur*; in aliâ habetur, hoc esse verum, quando consensus est in sui favorem, non verò quando est in sui præjudicium; tradere autem alteri potestatem sui corporis, hoc non est in favorem tradentis, sed illius cui fit illa traditio. Debet ergo consensus Sponsalium manifestari verbis, aut signo aliquo habente verborum æquipollentiam, v. g. per nutum; annuli autem subarrhatio est signum de se æquivocum; quod non semper promissionem matrimonii significat, cùm possit annulus dari ratione simplicis amicitiæ; unde non est signum sufficiens consensûs: sufficit tamen in locis ubi matrimonium futurum significat, vel ubi verba unius partis præcesserint, si postea fiat ab unâ immissio annuli, & ab aliâ receptio ejus: si etiam, habito contractu de matrimonio inter amicos, una pars alteri mittat arrhas vel jocalia, nihil aliud exprimendo, & altera recipiat, hoc sufficit; si-

cut quando vir promittit matrimonium per verba, & fœmina sponte manum dederit; qui tacet enim consentire videtur, ubi advenit aliquis actus positivus; hæc enim omnia verbis æquivalent: verba autem quibus exprimitur Sponsalium promissio, sunt ista, aut similia, *Accipiam te in uxorem*, vel *promitto te ducturum in sponsam*, &c.

Quantùm ad obligationem Sponsalium, certum est illa sub peccato mortali obligare; quia contractus Sponsalium est obligatorius in materiâ gravi; ergo sub mortali peccato obligat, etiam jure naturæ, quo aliquis ex fidelitate tenetur promissis stare, & ex justitiâ debet reddere alteri quod suum est. Quòd si in Sponsalium promissione non determinatum fuerit tempus quo contrahi debeat Matrimonium, non tenetur sponsus aut sponsa illud contrahere, nisi alter id petat, modo audeat petere; ex lege enim debitor non tenetur solvere, nisi à creditore requisitus: quod si sponsa non audeat petere adimpletionem Sponsalium, debet sponsus contrahere eo tempore quo prævidet sponsam velle exigere Matrimonium. Non est eadem ratio de Voto quod aliquis emittit de ingressu religionis; debet enim datâ opportunitate statim impleri, quia Deus semper illud exigit. Quod si Sponsalia facta sint à parentibus & tutoribus pro filiis aut pupillis suis, qui septimum annum non attigerunt, quod fieri potest in magnâ necessitate; sunt quidem valida, modo accesserit consensus expressus vel tacitus illorum, dùm habent usum rationis; non tamen obligant illos ad consensum,

non tenentur enim regularirer filii parentibus obedire in his quæ ſtatum matrimonialem concernunt ; unde ſi jura dicunt , filium factum puberem teneri ad matrimonium contrahendum quod Pater promiſit pro illo , dùm nondum adultuseſſet; hoc verum eſt de debito honeſtatis , non de debito obligatorio ſub peccato mortali.

Quantùm denique ad Sponſalium ſolutionem , multæ communiter afferuntur rationes ob quas dirimuntur. Primò , per religionis ingreſſum factum bonâ fide , ſive ſequatur profeſſio , ſive non ; licet etiam ſponſalia firmata fuerint juramento, quo non obſtante aliquis religionem ingredi poteſt ; promiſſio enim illa & juramentum , quod illam ſequitur , cenſentur fieri ſub tacitâ conditione , quòd ſtatus melior non eligatur : quòd ſi tamen virtute Sponſalium copulam habuerit cum ſponsâ , religionem ingredi non poteſt ; quia reſarcire injuriam , eſt de jure naturali , & religio tantùm de conſilio. Quòd ſi poſt votum de religione factum virginem defloravit aliquis , contrahere cum eâ tenetur , quia vinculum juſtitiæ fortius eſt vinculo charitatis ; hoc intellige , ſi votum erat ignotum mulieri. Secundò dirimuntur etiam per votum ſimplex caſtitatis , ſive anteceſſerit Sponſalia , ſive illis ſucceſſerit ; nam in contractu Sponſalium ſemper ſupponitur conditio hæc , modò ſtatus melior non eligatur; cælibatus autem de fide prævalet Matrimonio. Si ille qui Caſtitatem vovit, diſpenſationem ſui voti obtinuerit , eſt liber ut contrahat cùm aliâ; ſicut ſi aliquis è religione egrediatur , modò

votum & ingressus religionis facta fuerint bonâ fide. Ratio est, quia quod extinctum est, nunquam reviviscit. Tertiò, dirimuntur Sponsalia per votum suscipiendi sacros Ordines; quia est illis annexum votum Castitatis. Quartò, dissolvuntur per Matrimonium cum alia legitime contractum: quia obligatio Matrimonii est major obligatione sponsalium: si autem subsequens Matrimonium sit irritum, non dissolvuntur Sponsalia; sicut nec dissolvuntur priora Sponsalia per posteriora, etiamsi sequuta fuerit copula affectu maritali; dissolvebantur tamen ante Conc. Tridentinum, quia per talem copulam Sponsalia posteriora transibant in Matrimonium. Et si posteriora Sponsalia facta fuerint cum juramento, non anteriora, non minùs illa sunt valida; juramentum enim quod cedit in præjudicium tertii, iniquum est. Quintò, Sponsalia facta ante pubertatem dissolvi possunt in pubertate; hoc enim jus concedit: intra tamen pubertatem non possunt dirimi, etiamsi uterque consentiat; nam daretur eorum levitati occasio sæpiùs Sponsalia contrahendi. Si unus fiat pubes ante alium, potest revocare Sponsalia, modò hoc fiat statim, hoc est intra triduum; nam statim dicitur fieri, quod intra triduum fit, ex lege. Pubes contrahens Sponsalia cum impubere, non potest ab illis resilire, etiamsi impubes consentiat; quia non censetur habere sufficiens judicium ad solutionem Sponsalium; unde solus impubes, quando fiet pubes, resilire poterit. Sextò, per lapsum termini præfixi dissolvuntur Sponsalia; non quidem ex parte illius, per quem

stetit mora; sed respectu innocentis, qui paratus erat ad matrimonium contrahendum; tunc enim liber est à sponsalibus, modò dilator moram non fecerit ex justo impedimento. Septimò, dissolvuntur ob discessum alterius sponsi absque licentiâ alterius, etiamsi sponsalia sint firmata juramento: An autem debeat observari jus civile præcipiens, quod expectetur biennium, si sponsus sit intra provinciam; vel triennium, si sit in aliâ; dico debere tantùm servari in foro externo, in interno enim jus canonicum nullum tempus præscribit. Octavo, dirimuntur per Fornicationem; illa enim sufficit ad separationem thori: quod intellige, etiamsi vim passa fuerit sponsa, ex cap. *Raptores* 27. *quæst.* 2. tunc enim fit notabilis mutatio in personâ. Denique dissolvuntur ob impedimentum dirimens quod supervenit; ut est Affinitas; ob notabilem fœditatem, vel gravem morbum; ob sponsorum inimicitiam; ob conversationis antipathiam; ob paupertatem supervenientem, & similia.

DE ACTIBUS HUMANIS

COMPENDIOSA TRACTATIO.

Um Philosophis Moralibus incumbat necessitas loquendi de actibus humanis ex professo, Theologi illorum explicationem ex Philosophiâ supponentes, de iis tantùm agere tenentur, in quantùm sunt veluti fundamentum peccatorum & virtutum, quæ ad considerationem Theologicam per se spectant, unde prolixitatis inutilitatem devitare cupientes, philosophicas difficultates ad Philosophiam remittimus, quædam solùm dicturi de Actibus Humanis quæ & necessaria videntur, & brevi Appendice explicari possunt.

Dico primò, quòd actus humanus sumatur latissimè, pro omni actione quæ ab homine fit, sive etiam fiat à plantis & brutis, ut nutritio, augmentatio, visio, &c. Sumitur verò latè pro actione illâ quæ fit tantùm ab homine, ut locutio, intellectio, &c. Denique usurpatur propriè pro actione quæ fit ab homine agente per deliberationem, seu cum ratione & libertate. Iste actus vocatur actus humanus, illi autem dicuntur tantùm actiones

humanæ. Actus humanus propriè sumptus definitur, operatio hominis voluntaria, seu omissio ejus; non tantùm enim ille dicitur agere, qui bonum operatur; sed etiam qui bonum, ad quod tenetur, omittit.

Dico secundò, quòd Vis, seu Coactio, quæ fit ab extrinseco, tollat libertatem; vis enim affertur passo non consentienti, sed repugnanti; unde voluntas non potest cogi, nec violentari in actibus elicitis; eo enim ipso quo vult aliquid, & in illud consentit, libera est libertate saltem essentiali, quam explicuimus fol. 195. primæ partis: potest tamen cogi in actibus imperatis, licet enim manui imperetur ut quiescat, potest ipsa manus moveri violenter ab extrinseco. Quoad Concupiscentiam, non tollit, sed minuit libertatem; quanto magis enim concupiscentia ad aliquid faciendum allicit, magis ad hoc se sponte & delectabiliter voluntas applicat, in quo stat libertas essentialis; quia tamen ad libertatem requiritur objecti cognitio, cùm perturbet concupiscentia aliqualiter judicium rationis, ideò libertatem minuit: hoc habetur fol. 347. secundæ partis. Quantùm ad Ignorantiam, videantur ea quæ habentur fol. 348. 2. par. Quantùm denique ad Metum, etiam diximus in præcitatis, quòd voluntarium & liberum non tollat, sed minuat: non tollit quidem, quia metus v. g. naufragii adducit consensum in mercatore, ut merces in mare projiciat; & ubi est consensus voluntatis, ibi est libertas; illa tamen minuitur, quia talis projectio fit cum repugnantiâ & displicentiâ voluntatis.

An per metum ita minuatur liberum & voluntarium, ut promissio sic facta adimplenda sit. Respondet Dom. Gamachæus per tres sequentes regulas, quarum prima est hæc, *qua fiunt metu interno, debent censeri simpliciter voluntaria; unde promissio per talem metum facta adimplenda est.* Metus intrinsecus vocatur ille, ubi ab intrinseco tantùm impellimur; ut quando quis metu mortis eleemosinam vovet, tale votum obligat, quia nemo cogit, sed homo sibi imponit legem; & licet sit aliqualis repugnantia in voluntate, actus tamen volendi prævalet actui nolendi. Secunda regula ista est, *Qua fiunt ex metu externo, sunt voluntaria & obligatoria in rebus honestis & indifferentibus; ubi Ecclesia non declaravit illa esse irrita.* Si quis ergo seriò juravit se daturum pecuniam latroni aliunde mortem allaturo, tenetur illam solvere; quia juramentum non est de re malâ respectu jurantis, licet sit mala ex parte vexantis: hoc habetur cap. *debitores.* Quòd si Votum & Matrimonium per metum gravem facta sint invalida; hoc est, quia Ecclesia illa irritavit. Tertia regula sequitur, *Omnis actio & omissio metu externo elicita voluntaria est, & ad culpam imputatur, si est contra legem Dei vel naturæ negativam*, ut est lex, *non mentieris, non occides*, &c. *Si autem est contra legem humanam Ecclesiasticam vel politicam, non solet ordinario facere hominem reum coram Deo, quando est metus gravis; nisi legislator hunc metum prævidens, excipere noluerit*; unde dux belli imperare potest militi, ut pugnet cum vitæ periculo. Quoad legem Dei positivam,

non obligat præsente metu gravi, modò absit scandalum ; in hoc enim differunt lex positiva & negativa, quòd negativa obliget pro semper, positiva autem urget tantùm datâ opportunitate, & certo tempore, quo si adveniret gravis metus incussus ab extrinseco, non obligaret. Per gravem metum intelligitur ille qui sufficeret ad turbandos constantes viros, v. g. metus infamiæ, mortis, aut notabilis detrimenti; ob hoc dicitur metus cadens in constantem virum.

Dico tertiò, bonitatem actûs humani desumi ex bonitate objecti, finis & circumstantiarum. Duplex est finis actûs humani, nimirùm finis operis, seu intrinsecus, & est ille quem immediatè respicit actio ; & finis operantis, seu extrinsecus, qui respicitur ab agente: quando quis v. g. furatur, finis operis qui essentialis est furto, est ablatio rei alienæ; quando verò furatur ad fornicandum, fornicatio, quæ est accidentalis furto, est finis operantis. Quoad circumstantias, nihil aliud sunt, quàm quædam formalitates extrinsecæ substantiam operis circumstantes, & illæ continentur hoc versu, *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodò, Quando*. Illarum aliquæ augent bonitatem actûs intra eamdem speciem, ut colere Deum, & colere majori affectu, utrumque spectat ad virtutem religionis: aliæ addunt actui interiori bonitatem specie distinctam, ut dare eleemosinam pauperi sacerdoti ; eleemosina pertinet ad Charitatem, quòd verò detur sacerdoti, ad Religionem spectat. Quando actus ex objecto indifferens est, reddi potest à fine bonus

& malus; ut quando quis Ecclesiam ingreditur ut Deum colat, vel ob vanam gloriam. Quando actus est bonus ex objecto, & refertur in bonum finem, ita ut bonitas finis sit diversa à bonitate objecti, actus desumit novam rationem bonitatis ab illo fine; unde, qui daret eleemosinam sacerdoti, ut Deum deprecaretur, ille actus esset bonus ex Charitate & ex Religione; modò ametur illa eleemosina propter se, & propter finem qui honestus est.

Dico quartò, eodem modo philosophandum esse de malitiâ, ac de bonitate actuum humanorum; quòd scilicet desumatur vel ex objecto, vel ex fine, vel ex circumstantiis; cum hoc discrimine tamen, quòd bonitas objecti, finis, & circumstantiarum sint tres conditiones requisitæ ad bonitatem actûs; ad malitiam verò, defectus unius tantùm conditionis sufficit; unde, si in aliquo eorum sit turpitudo, jam actus non erit bonus, sed malus; *bonum enim est ex integrâ causâ & malum ex quocumque defectu*: si ergo actus sit bonus ex objecto, & malus ex fine, non est dicendus partim bonus & partim malus, sed malus simpliciter censendus est. Quantùm ad circumstantias quæ reddunt actum malum vel bonum, dicendum est, quòd si sumantur formaliter, ut circumstantiæ sunt, non addant novam bonitatem aut malitiam essentialem actui, sed tantùm illam augent intra suam speciem, ut furari decem aut centum nummos; quia ut sic sunt tantùm accidentariæ in ipso actu, unde supponunt, non verò faciunt actum habere talem malitiam vel bonitatem essentialem: Quòd si sumantur circumstantiæ,

ut sunt objectum actûs humani, addunt illi bonitatem & malitiam essentialem; ut quando quis furatur in loco sacro, vel ob fornicationem.

Dico quintò, quòd actus exterior non addat novam bonitatem aut malitiam essentialem actui interiori, licet aliquam accidentalem adjiciat. Primum patet ex Genes. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, benedicam tibi*; ubi Deus factum reputat quod tantùm volitum est, & tanquam factum remunerat: ergo est æqualis meriti & bonitatis: Ratio est, quia actio externa non est bona aut mala, nisi quia actus internus à quo procedit, bonus aut malus est. Secundum constat primò, quia sæpè accedente actu externo, internus repetitur & augetur illius bonitas vel malitia: secundò, quia diuturnior mora reperitur in actu interno dùm exteriori conjungitur, & sic bonitas vel malitia augetur: tertiò, delectatio quæ in exercitio actûs mali reperitur, & difficultas quæ est in exercitio actûs boni, actum internum intendunt; sicque illum faciunt peiorem vel meliorem; unde regulariter martyr actu magis meretur, quàm martyr desiderio. Ex his sequitur, quod, licet actus internus & externus sint duæ actiones physicæ, sunt tamen una tantùm actio in genere moris, & unum tantùm peccatum formaliter; estò dicantur aliquando duo peccata materialiter & denominativè, in quantùm una & eadem malitia denominat actum internum & externum, malum. Si dicatur contra primam partem: ergo non debuit Christus diversis præceptis pro-

hibere actum internum & externum, quod tamen fecit, dicendo, *Bonum proximi non concupisces*, & *Non furtum facies* : ergo etiam frustra suadentur opera externa : ergo denique sufficit dicere in Confessione, adulterari volui. Resp. ad primum, hoc sic fecisse Christum, ut doceret rudes Judæos, non solùm furtum esse peccatum, sed & solam volitionem furti esse peccaminosam. Resp. ad secundum, ideò bona opera suaderi, quia sunt occasio augendi affectum & reiterandi actum internum. Ad tertium dico, actum externum debere exprimi in Confessione, ut appareat censura, reservatio, obligatio restituendi, firma determinatio voluntatis ad malum, quæ sine actu externo potuisset esse forsan tantùm simplex peccandi velleitas : denique actus externus explicari debet, quia voluit Christus, ut in Pœnitentiâ peccatum aperiatur secundùm suam totam entitatem, quæ completur ex actu interno & externo, tanquam ex materiali & formali.

Dico sextò, quod bonitas vel malitia formalis priùs competat actibus internis, quàm externis ; quia actus internus causat actum externum, tanquam suum effectum, v. g. volitio eleemosinæ causat ipsius largitionem ; sed sicut causa est prior effectu, sic bonitas causæ est prior bonitate effectûs : ergo priùs competit bonitas actui interno, quàm externo. Deinde, bonitas & malitia sunt proprietates actûs humani, sed actus humanus est actus voluntatis, qui interior est : ergo bonitas & malitia competunt formaliter primò actui interno, & postea actui externo ; quatenùs scilicet infor-

matur quodammodo à bonitate actûs interni. Dixi, quod bonitas & malitia formalis conveniant primo actibus internis; si enim quæstio intelligeretur de bonitate & malitiâ objectivâ, dici debet, quod bonitas & malitia objectiva priùs competat actibus externis; sic v. g. actio furti priùs est mala obiectivè, in quantum est dissona rationi, quàm volitio furandi, quæ non est mala, nisi quia furtum malum est; sed ipsa actio furti non est mala formaliter, nisi adveniat actio interna, seu volitio furandi; antea enim non est actio humana; sed eo ipso, quo actui exteriori advenit actio interna, actio externa incipit esse humana, & proinde bona vel mala; ita quod postea una & eadem bonitas informet tum actum interiorem, tum exteriorem; cum hoc tamen ordine, quod prius competat actui interiori, & deinde externo. Quod si dicat Vasques primariò prohiberi actionem externam, v. g. Furtum, Homicidium, &c. hoc est, quia prohibendo actionem externam, prohibetur interna, sine quâ externa non esset mala; quippe non esset humana, quoniam actio humana est operatio voluntaria hominis. Si etiam actio externa dicatur primario dissona rationi: ergo & primario mala. Utrumque verum est objectivè & fundamentaliter, non formaliter; à solo enim actu voluntatis concomitante actum externum, ipse actus externus humanus est, & similiter bonus vel malus.

Dico septimo, quod bonitas moralis sit convenientia actûs liberi cum naturâ rationali, ut tali; ideſt, quatenus ex ratione opera-

tur: Sicut enim illud dicitur bonum alicui, quod est illi conveniens; sic ille actus hominis dicitur bonus, quia convenit illius naturæ: ergo bonitas moralis consistit in convenientiâ. Consistit, inquam, in convenientiâ cum naturâ rationali, ut tali, ideſt, ut operanti secundùm rectam & prudentem rationem; unde non sunt actus moraliter boni in brutis, quæ licet operentur conformiter naturæ suæ, non tamen eliciunt actus suos secundùm rationem, cum illâ careant. Actus etiam hominis indeliberati, licet sint materialiter boni, nimirùm ex objecto, non sunt tamen boni formaliter; quia bonitas formalis est convenientia actûs liberi; & illi non sunt liberi, quia non fiunt ex deliberatâ intentione: possunt tamen ex non moraliter bonis, fieri moraliter boni, dùm ex non liberis fiunt liberi, ut quando motibus primò primis advenit advertentia rationis, quando continuantur. Porrò, ut actus sit propriè moraliter bonus, non sufficit quòd sit libet libertate essentiali, quæ consistit in determinatione voluntatis ad aliquem actum cum præviâ cognitione; sed requiritur, ut sit liber libertate indifferentiæ, ita quod necessitatem excludat; ubi enim reperitur necessitas agendi, actus censeri non debet laude vel vituperio dignus; nec consequenter bonus aut malus moraliter dicendus est, nisi tantùm latè & impropriè. Ex his apparet, quòd bonitas actûs moralis sit entitas respectiva realis; est primò respectiva, quia est convenientia actûs cum ratione, & convenientia est relatio: est deinde realis & non tantùm denominatio merè extrinseca, au-

ens rationis, ut voluerunt aliqui; nam à parte rei actus qui dicitur bonus, est conformis rectæ rationi.

Dico octavò, quòd malitia moralis sit disconvenientia & repugnantia actûs liberi cum rationali naturâ, seu cum naturâ operante per rationem; discurrendum est enim de malitiâ, sicut de bonitate; sed animaduertendum est, quod ratio peccati & malitia moralis distinguantur in hoc, quod malitia peccati consistat in oppositione ad legem Dei; definitur enim *aliquid dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*; malitia autem moralis consistit in oppositione ad rationem præcisè; licet enim omnis actus malus repugnet aliqualiter legi diuinæ, quâ omne malum prohibetur; sunt tamen aliqui actus de se moraliter mali citra specialem Dei prohibitionem, ut Odium Dei, Blasphemia, & similes; qui ideò prohibentur à Deo, quia mali sunt de se: alii autem ideò mali sunt, quia prohibentur jure positivo. An autem malitia moralis & malitia peccati consistat in aliquo positivo reali, aut tantum in privativo; Respondedum est, non tantum malitiam quæ reperitur in omissione actûs precepti esse quid privativum, ut ipsa actûs omissio; sed etiam malitiam quæ est in actu positivo peccati, ut quando aliquis furatur, consistit formaliter in privativo; licet materiale actionis sit quid positivum. Utrumque patet ex hoc quod peccatum definiatur, *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*; ubi dùm dicitur, *factum, dictum, vel concupitum*, indicatur materiale actionis; dùm additur verò, *contra le-*

gem Dei, ostenditur negatio & repugnantia cum voluntate divinâ præcipiente, vel prohibente actum. Ob hoc dicunt Theologi, peccare nihil aliud esse, quam deficere à bono; & asserunt Philosophi, loquentes de concursu, peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem; similiterque bonum & malum non opponi contrariè, nisi quoad materiale actûs; sed opponi tantùm privativè, quantùm ad formale.

Dico nonò, dari actus indifferentes, nedùm in specie, sed & in indiuiduo. Per actus indiffetentes in specie, intelliguntur actus in se considerati, qui ex suâ naturâ nec boni nec mali sunt, ut spuere, ambulare: per actus indifferentes in individuo intelliguntur iidem actus, quatenus eliciuntur ab homine, qui cùm debeat in omnibus actibus suis se conformare rationi, ideò aliqui dicunt; quòd, licet dentur actus indifferentes secundùm speciem, idest, secundùm se, non dantur tamen actus indifferentes in individuo, quia in illis vel homo se conformat rationi, & tunc boni sunt; vel rationi non se conformat, & tunc sunt mali: non obstante tamen hac ratione, dicimus, dari actus indifferentes in individuo; sic Alensis, Bonavent. Scotus & plurimi. Probatur ex Hyeronimi Epistolâ ad Augustinum, quæ est secunda inter Epistolas Augustini; *Bonum est*, ait, *Continentia, malum Luxuria, inter utrumque iudifferens ambulare; capitis purgamenta naribus proiycere, sputis rheumata iacere, hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris, sivè non feceris, iustitiam non habebis, nec iniustitiam.* Quæ in-

telligi debent de actibus in dividuo sumptis; dicit enim, *sivè in fecerit, sivè non fecerit:* & sic spectantur non tantùm in se, sed ut eliciuntur ab homine, quod est considerare illos in individuo: Ratio nostra est, quia illi actus sunt indifferentes etiam in individuo, qui eliciuntur ab homine cum advertentiâ rationis, & feruntur in objectum quod neque bonum neque malum est; sed plures eliciuntur tales actus, ut v. g. actus scribendi, ambulandi, &c. non enim sunt boni, quia non fiunt honestatis gratiâ; nec mali, quia licet ea prosequi quæ sunt commoda naturæ, modò non prohibeantur. Si quis dicat, actum illum in individuo esse malum, cui deest conditio finis honesti, si autem fit ex fine honesto, pro tunc esse bonum: ergo nullum dari actum humanum indifferentem in individuo. Resp. hominem non semper debere sibi finem honestum præfigere, sed sufficere aliquando quòd non agat contra finem honestum, licet agat propter finem utilem tantùm, aut delectabilem. Si dicat Paulus 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Resp. esse ibi consilium, non præceptum; quòd si sit præceptum; est tantùm negativum, quo prohibetur, nè quid contra gloriam Dei faciamus, vel quòd non possit in gloriam Dei referri. Si Matth. 12. habeatur, quòd de omni verbo otioso reddenda sit ratio: hoc intelligitur de verbo otioso quod mendacium & calumniam includit, inquiunt Chrysostomus & Theophilactus; vel hoc intelligitur de eo quod est absolutè otiosum & nullum habet finem: illud autem quod fit ob utilitatem, vel recreationem, vel necessitatem, non censetur

censetur purè otiosum, cujusmodi sunt actus nostri indifferentes, qui licet non fiant ob finem honestum, & ob hoc non dicantur boni; fiunt tamen ob utilem aut delectabilem finem. Si quis instet, actionem esse malam, quæ non est consentanea rationi; & illam esse bonam, quæ est rationi consentanea, quia ratio est regula actuum humanorum: ergo omnis actio vel bona vel mala est; Resp. Ut actio non sit mala, sufficere quòd sit consentanea rationi negativè, ita quòd illi non repugnet; non requiritur autem quòd sit consentanea positivè. Deindè, actus indifferentes sunt conformes aliquo modo rationi, quæ judicat illos esse conformes naturæ rationali, ut rationalis est; quia non fiunt ob finem honestum, sed sistunt in fine utili vel delectabili, non tamen prohibito. Si quis urgeat, actiones illas esse bonas, quia fiunt ob finem honestum; nam recta ratio dictat, esse v. g. amdulandum ad conservandam sanitatem; Resp. illam actionem cum tali respectu esse reverà bonam & honestam; sed loquimur de actione quæ sistit purè in commodo, vel utili, quærentes v. g. utrùm calefacere se, præcisè quia frigus corpori molestum est, sit moraliter bonum; quod nos asserimus esse actum indifferentem, qui bonus non est, quia non est quid honestum, nec malus, quia non est prohibitus; unde, inter bonum & malum mediat non bonum. His omnibus non obstantibus, christianissimum semper erit omnes actiones suas in gloriam Dei referre, juxta D. Paulum dicentem, *Sivè manducatis, sivè bibitis, sivè quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Dico decimò, quòd, ut actiones humanæ bonæ sint, debent esse conformes legi æternæ, voluntati divinæ, & conscientiæ agentis. Debent primò esse conformes legi æternæ, quia illa est prima & radicalis regula omnium agendorum: undè peccatum definitur ab Augustino, *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Lib. 22. contra Faustum cap. 7. Debent secundò esse conformes divinæ voluntati; ex intellectu enim divino & divina voluntate resultat exemplar primarium & regula quædam universalis, quibus conformari debent actiones nostræ, ut bonæ sint. Debent tertiò esse conformes conscientiæ agentis; quod enim est contra conscientiam, est peccatum, ex Paulo, *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*; idest, quod non sit secundùm dictamen conscientiæ. Sicut ergo lex æterna est prima & mediata regula faciendorum, ita conscientia est proxima & immediata regula eorum quæ facere aut vitare debemus. Conscientia propriè sumpta dicitur actus intellectûs, quo judicamus aliquid esse hîc & nunc faciendum, vel non faciendum: Quòd si attribuatur aliquando voluntati, cùm aliquis dicitur bonæ vel malæ conscientiæ, quia benè vel malè operatur per voluntatem; hoc est latè, & consequenter, in quantùm conscientia excitat ad benè operandum; formaliter tamen est actus intellectûs. Conscientia distinguitur à Synderesi & à Ratione, in hoc, quòd Synderesis sit habitus intellectûs, quo cognoscuntur prima principia practica, v. g. *bonum est faciendum, malum fugiendum, alteri nè facias*

quod tibi fieri non vis: Ratio vero est discursus, mediante quo conclusio deducitur, & Conscientia est ipsamet conclusio dictans aliquid esse faciendum hîc & nunc. Hoc patet in isto syllogismo practico, *Omne bonum est faciendum; sed eleemosina est bona: ergo facienda est hic & nunc.* Prima propositio est à Synderesi, secunda à Ratione dictante eleemosinam esse bonam; Conclusio est à Conscientiâ. Conscientia dividi solet in rectam seu in fallibilem, erroneam, probabilem, dubiam, & scrupulosam. Recta seu infallibilis est ea quæ cognoscendo objectum sicuti est per media infallibilia, dictat faciendum quod revera faciendum est. Erronea est illa quæ cognoscendo objecta aliter quàm sunt, dictat facienda quæ non sunt facienda. Probabilis est ea, quæ cognoscendo objecta per media probabilia cum formidine falsi, dictat aliquid esse faciendum. Dubia est illa quæ ex diverso dictamine practico ita fluctuans remanet, ut in neutram partem se determinare nequeat. Scrupulosa denique illa est, quæ assentitur uni parti cum formidine alterius ob levissimas & incertas conjecturas. De conscientiâ rectâ seu infallibili nihil est dicendum, nisi quòd actiones, quæ fiunt ex ipsius dictamine, sunt infallibiliter bonæ; de aliis dicemus aliqua scitu necessaria.

Dico undecimò, non esse licitum agere contra Conscientiam Errantem, faciendo quod ipsa prohibet, vel omittendo quod præcipit: Ratio est, quia non licet velle malum judicatum ut malum; qui autem operatur contra Conscientiam Errantem, vult malum judica-

tum ut malum : ergo non licet agere contra Conſcientiam Errantem. Si quis dicat, Conſcientiam Erroneam non eſſe rectam regulam: non eſt recta regula reſpectu intellectûs, cuius judicium erroneum eſt ; ſed eſt recta regula reſpectu voluntatis, quæ tenetur Conſcientiam ſemper ſequi. Nec quis objiciat, ergo poterit quis gaudere de actu præterito, qui malus cognoſcitur, quando cognitus eſt error. Reſp. poſſe quidem gaudere, de actu voluntatis, quo Petrus v. g. dedit pecuniam quam credebat ſuam, quia talis largitio bona fuit ; non poteſt tamen gaudere de objecto ; nempè de largitione pecuniæ alienæ, dùm cognoſcitur aliena. Si conſcientia erronea judicet ex ignorantiâ invincibili aliquid eſſe faciendum aut vitandum, quod neutrum tamen eſt, tenetur ſe conformare illi judicio erroneo ; & ſi non faciat, peccabit, quia voluntas judicium intellectûs tenetur ſequi tanquam ſuam regulam. Peccabit, inquam, mortaliter in materiâ gravi, venialiter in materiâ levi. Dùm aliquis ex ignorantiâ vincibili judicat aliquid eſſe præceptum quod tale non eſt, voluntas debet ſequi dictamen illius conſcientiæ ; debet enim ſequi ſuam regulam, nempe tale judicium : Licet tamen voluntas exequatur id quod ex ignorantiâ vincibili credebat bonum, & tale non erat, in hoc non benè operatur ; immò malè agit, quando malum operatur quod putabat bonum ; quia ignorantia vincibilis non excuſat à peccato, ſicut ignorantia invincibilis ; undè debuit ſic agens perquirere; an quod agit bonum ſit vel malum, & deponere conſcientiam

errantem, quantùm potest; quandiù tamen perseverat illa conscientia errans, debet voluntas illam sequi ex quâcumque ignorantiâ erret. Nec dicendum est, ergo sic agens, necessariò peccat, sivè agat ex Conscientiâ Erroneâ vincibili, sivè illi non se conformet. Hoc falsum est; quia vel potest deponere suum errorem, & sic potest non peccare; vel non potest adhibitâ omni diligentiâ deponere suum errorem, & pro tunc illa ignorantia est invincibilis; & operari ex ignorantiâ invincibili, non est peccatum.

Dico duodecimò, Conscientiam Opinativam distingui à Dubiâ in hoc, quòd in dubiâ fluctuet intellectus, nec ulli parti assensum tribuat; in opinante verò intellectus ad unam partem se determinet, sed ob motivum tantùm probabile, cui falsum subesse potest. Nullus dubitat, quin inter opiniones æquè probabiles alterutram sequi liceat; immò communis opinio est, quòd non teneamur necessariò probabiliori adhærere, cùm possimus, relictâ probabiliori, sequi probabilem, quæ peritis & doctis placet, sic inter alios Dom. Gamachæus in 1. 2. quæst. 19. fol. 155. Quod intelligendum est cum hac restrictione, modò non immineat periculum aliquod, ad quod vitandum Charitas vel Justitia excitet ut probabiliorem sequamur; modò etiam probabilis sententiâ suam probabilitatem non amiserit, vel ideò quia antiquata est, vel ob rationem novam authoribus contrariæ sententiæ ignotam, quam putamus insolubilem. Per Probabilem opinionem non intelligimus illam, quæ plures habet

authores simpliciter; sed quæ plures habet authores classicos, probos & peritos, qui ex professo quæstionem examinent & perpensis utriusque partis rationibus, unam è contradictoriis opinionibus determinent. Quòd illa probabilis opinio seligi possit, patet; quia si teneremur probabiliorem eligere, maximè angeremur in perquirendâ opinione probabiliori; & non est verisimile, quòd ad tantam anxietatem nos Deus reducere voluerit; immò credibilius est, quòd ille qui prudentum opinionem sequitur, non peccet, cùm prudenter & rationabiliter agat. Ratione districtionis appositæ, nullus potest in administratione Sacramentorum uti materiâ, aut formâ, aut intentione dubiâ, licet sint probabiles; nisi in casu necessitatis, ubi materia certa v. g. aqua pura haberi non potest, sed tantùm Lixivium: Ratio hujus est, quia in hoc casu imminet salutis periculum, ad quod vitandum Charitas & Justitia excitant, ut quilibet probabiliorem partem sequatur. Eâdem ratione medicus habens pharmacum certò profuturum ægroto, non potest adhibere pharmacum tantùm probabiliter profuturum, aliàs censeretur imprudenter agere in re magni momenti; & in his occasionibus verum censetur hoc axioma, *in dubio tutior pars eligenda est.*

Dico tertio-decimò, illam Conscientiam esse dubiam, quando intellectus neutri parti assentitur, sed fluctuans in æquilibrio manet, vel ex ignorantiâ juris, vel ex ignorantiâ facti, vel ex diversis authorum opinionibus. Ignorantia Juris, est quando v. g. aliquis ignorat, an mena-

dacium sit licitum : ignorantia autem Facti, est quando aliquis dubitat, an tale verbum sit mendacium. Conscientia potest esse dubia, vel speculativè, vel practicè; est dubia speculativè, quando quis dubitat in genere, an aliquid licitum sit vel illicitum : est dubia practicè, quando quis in ipso exercitio dubitat, an talis actus in particulari sit licitus; quando miles v. g. dubitat, an bellum in se sit licitum, conscientia est speculativè dubia; quando verò dubitat an hoc bellum in quo est, sit licitum, est dubia practicè. Debet regulariter conformari judicium practicum judicio speculativo intellectûs, nisi aliqua ratio adveniat in objecto, propter quam objectum varietur; sic qui cognoscit in genere, Furtum esse illicitum, debet scire, hîc & nunc non licere furari; qui tamen scit Furtum esse illicitum, judicare potest, licitum esse surripere rem alienam in extremâ necessitate. Nunquam licet agere ex Conscientiâ practicè dubiâ, idest, dubitante, an hoc sit hic & nunc licitum; sed determinatè debet intellectus dictare, hoc mihi licet: primò, quia qui sic ageret in humanis, frangeret leges amicitiæ; secundò, quia qui sic agit, se exponit peccandi periculo, quod est malè operari; tertiò, quia voluntas non potest dici à ratione dirigi, quamdiu ratio non se determinat ad alterutram partem. Peccat ergo qui agit ex Conscientiâ practicè dubiâ; peccat inquam tali peccato, quale est dubium; idest, si dubitat an peccatum sit mortale aut veniale, an sit peccatum Furti, vel Homicidii; contrahitur hujusmodi peccatum,

Debet ergo dubium deponi antequam fiat actio; hoc est, debet intellectus ad alterutram partem se determinare cum ratione aliquâ. Quòd si occurrant duo præcepta incompossibilia, ut audire sacrum, vel moribundo assistere; examinandum est, quodnam magis obliget, & illud debet præeligi, deposito dubio: Si undequâque sit periculum peccandi quod vitari non potest, eligatur quod apparet minus, ait Greg. 23. Moral. & tunc non eligitur malum ut malum est, sed ut minus malum, & ideò ut bonum. Si denique sit æquale periculum peecandi æqualiter, nec possit dubium deponi, attamen necessarium sit alterutrum agere, utrumque licitum est; & adveniente bonâ fide quis non peccabit, cùm faciat in tali eventu quod in se est. Aliquando licet operari ex Conscientiâ speculativè dubiâ, quando practicè ad unum est determinata; quia regula voluntatis non est scientia speculativa, sed judicium practicum intellectûs: sic aliquis potest dubitare speculativè, an bellum hoc sit justum; & esse certus practicè, quòd sibi liceat certare in tali bello, cùm sciat non suum esse judicare de justitiâ belli, sed debere Principi obedire, donec appareat de belli injustitiâ; & ibi est certitudo practica cum dubitatione speculativâ. Quando quis dubitat speculativè de honestate alicujus actionis, & postquam consuluit Jurisperitos, si res spectet ad dispositionem juris; vel inquisivit consuetudines locorum, si perrineat ad jus particulare ioci; vel denique interrogavit Doctores Ecclesiasticos in rebus morum vel fidei, & nondum apparere

possit de honnestate actionis, illa actio omittenda est.

Dico ultimò; in hoc differre Conscientiam probabilem & scrupulosam; quòd illa fundamenta habeat rationabilia suæ probabilitatis, v. g. authores famæ, vel rationem aliquam firmam; ista verò fundatur tantùm in suspicione ortâ ex levibus fundamentis & motivis. Nomen scrupuli per metaphoram desumitur à parvo quodam lapillo in calceo pedem urgente, qui ob hoc scrupulus dicitur. Ille conscientiam dicitur habere scrupulosam, qui licet practicè judicet aliquid sibi esse licitum, speculativè tamen timet & dubitat ex levibus fundamentis, nè illicitum sit. Licet bonum sit scrupulosam conscientiam deponere, antequam fiat actio de quâ habetur scrupulus; potest tamen actio illa benè fieri manente scrupulo: Ratio est, quia hic scrupulus non inducit dubitationem practicam, sed tantùm speculativam, ortam ex levi motivo: cùm ergo judicium practicum, dictans aliquid esse bonum, habeat rationabile fundamentum, & judicium speculativum, dictans illud non esse bonum, nitatur levi fundamento; qui sequitur judicium illud practicum, censetur benè & prudenter agere, præferendo firmum motivum levi fundamento: si tamen scrupulus ille deponi queat, deponendus est. Scrupuli suboriuntur communiter ex melancholiâ, quâ homo in omnibus timidus efficitur: ex Ignorantiâ, quâ stante, non potest verum à falso discerni: ex Suggestione Diaboli angustias inducentis in animam, ut pax interior perturbetur: ex Jejuniis nimiis,

vigiliis, & aliis corporis macerationibus, quæ cerebrum exsiccantes, judicium perturbant; ex conversatione cum scrupulosis; denique ex Superbiâ, quam Deus punire intendens, suborum scrupulorum & anxietatis animæ permittit. Inter alia scrupulorum remedia, utilissimum est, ut ille qui scrupulis torquetur; primò Deum frequenter oret, ad implorandum ipsius auxilium; secundò, ut cum omni mentis humilitate has animi molestias acceptet, indignum se reputans, qui Conscientiæ serenitate perfruatur, ob sua peccata, & neglectum gratiæ; tertiò, ut deponat suum judicium, & non obstantibus suis ratiocinationibus, se humiliter submittat iudicio docti & probi Confessarii.

TRACTATUS

De Legibus, & de pœnis Ecclesiasticis contra infractores legum; seu de Censuris.

DUPLICEM habemus regulam cui conformari debent actus humani, quarum prima est interna, scilicet Conscientia; alia verò est externa, nempe Lex, quæ facienda præcipit & prohibet vitanda. Postquam ergo de actibus humanis in bonum dirigibilibus, & de Conscientiâ, quæ est ipsorum directiva intrinsecè, dictum est; non ineptè agendum venit de Legibus, quæ ipsosmet humanos actus

extrinsecè regulant, acturi posteà de Censuris, quæ sunt certæ quædam pœnæ inflictæ ab Ecclesiâ in suarum legum infractores. Hoc fiet in tribus Disputationibus; quarum una erit de Legibus in genere, secunda de Legibus in specie; tertia de Censuris, ubi & de Irregularitate.

DISPUTATIO PRIMA.

De Legibus.

NOMEN Legis vel à *ligando* habetur, in quantum homines ad aliquid obligantur per legem; vel à *legendo*, quia lex editur & scribitur, ut sæpiùs legatur ad instructionem subditorum; vel denique à *deligendo*, quatenus docet quæ sunt deligenda & eligenda. Videamus aliquid de Legibus in communi.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Lex?

NEc de existentiâ, nec de utilitate legis ullus dubitare potest; quantùm enim ad existentiam, constat ab orbe condito datas fuisse leges & Angelis & hominibus: immò ab æterno erant ideæ quædam in monte divinâ existentes, ad quas Deus tanquam ad certas leges respiciens, in tempore omnia crea-

vit, ordinavit, & conduxit, ſicut decreverat ab æterno. Quoad legum utilitatem, clarior adhuc eſt; quomodò enim ſine legibus poſſet humana ſocietas ſubſiſtere; niſi per leges improborum malitia refrænaretur, & excitaretur bonorum labor & virtus? Agendum eſt ergo ſolum de ipſarum Legum definitione, & quæ ſit illarum diviſio.

CONCLUSIO.

LEx eſt regula quædam perſeverans, indita vel præſcripta ab eo qui poteſtatem habet obligandi communitatem, in cujus utilitatem cedit, actiones humanas conducens in bonum & avertens à malo, ſufficienter promulgata. Dicitur primò, *Regula*; quia actus humani diriguntur per legem: ſed an illa regula ſit actus intellectûs aut voluntatis, controvertuntur Doctores; Thomiſtæ enim volunt legem ad intellectum pertinere; Scotiſtæ verò meliùs illam ad voluntatem referunt; vis enim obligandi ad voluntatem formaliter ſpectat, licet præſupponi debeat actus intellectûs legiſlatoris, judicantis, an quod per legem fertur, bonum ſit & utile. Dicitur ſecundò, *perſeverans*; in quo à præcepto diſtinguitur, quod modò adeſt, modò abeſt, & ſemper ceſſat per mortem præcipientis, ubi leges perſeverant & ſunt ſtabiles regulariter ratione ſui, licet aliquando mutentur ratione finis ob quem conditæ ſunt; ſic leges ceremoniales Veteris Teſtamenti abrogatæ fuerunt per Legem novam, quia inſtitutæ erant ad figurandam legem novam; & dum præſens eſt veritas, figura ceſſare debet: aliquando etiam mutantur

ratione subjecti cui feruntur leges, ut patet de legibus judicialibus legis antiquæ, quæ datæ erant populo in servitutem reducto; cessante autem illâ servitute, tales leges rigorosæ cessare debuerunt. Dicitur tertiò, *indita, vel præscripta*; ut includantur in hac definitione, tùm lex naturalis, quæ à naturâ est; tùm positiva, quæ à legislatore præscribitur. Dicitur quartò, *ab eo qui potestatem habet obligandi communitatem*; nullus enim potest alium obligare, nisi legitimam in illum habeat authoritatem; cùm ergo lex vim habeat obligandi communitatem, ferri debet ab eo qui potestatem obligandi habeat. Additur quintò, *in cujus utilitatem cedit*; leges enim in bonum commune cedunt, sivè mediatè, sivè immediatè, v. g. cùm leges feruntur in favorem pupillorum & minorum, hoc mediatè vergit in bonum communitatis; nam bonum partis conducit ad bonum totius: lex etiam tributorum, quæ solam utilitatem Regis concernit, vertitur in bonum commune; si enim debitè Princeps non sustentaretur, non posset onera reipublicæ sustinere. Adjungitur sextò, *actiones humanas conducens*; licet enim ad aliquid faciendum vel omittendum astringi possint Angeli lege & præcepto, de actionibus tamen Angelicis hîc loqui non intendimus, sed tantùm de humanis. Adjicitur septimò, *conducens ad bonum, & removens à malo*; excitare enim ad bonum & à malo removere, sunt præcipui fines legum. Additur ultimò, *sufficienter promulgata*; quia nullum superioris imperium inferiorem obligare potest, nisi in subditorum notitiam dedu-

catur: sed hæc est differentia inter leges; quòd lex naturalis sufficienter singulis promulgetur per judicium naturale quod possident, quo judicant naturaliter, Deum esse colendum, parentes honorandos, &c. positivæ verò externam requirant promulgationem.

Quæstio II.

Quotuplex sit Lex?

Aliter respondent Juristæ, aliter Theologi; illi, jus cum lege confundentes, ipsum dividunt in jus naturale, jus gentium, & jus civile. Jus naturale est illud quod est commune & brutis & hominibus, ut procreatio prolis, conjunctio maris & fœminæ. Jus gentium est illud quod est proprium solis hominibus, & illis ferè omnibus commune est, ut cultus erga Deum, honor erga parentes, vim vi repellendi licentia, &c. Jus civile est illud quod est proprium alicui regno, seu reipublicæ; ut v. g. jus Athenienſium, jus Lacedemonum, jus Gallorum; sed præsertim jus Romanorum nomine juris civilis simpliciter gaudet. Quoad Theologos, alio modo leges dividunt, quod explicabit

Conclusio.

Lex primò dividitur in legem naturalem & positivam. Lex naturalis subdividitur in legem naturalem sacram, moralem, & politicam. Lex positiva in legem æternam, divinam, & humanam.

Lex naturalis est judicium naturale, quo ratio nobis dictat, bonum esse faciendum, & malum fugiendum. Ex illo principio practico multa alia deducuntur, quorum alia sunt faciliora, alia difficiliora. Quòd si illa principia practica quæ dictantur à judicio naturali, Deum respiciant, ad legem naturalem sacram pertinent; ut v. g. quando lex naturalis dictat Deum esse colendum & cum summâ humilitate adorandum. Si illa principia præscribant homini modum quo debeat mores componere in ordine ad finem ultimum, spectant ad legem natnralem moralem: Si denique illa principia lumine naturali cognita dirigant hominem in ordine ad societatem communem, legem naturalem politicam concernunt, per quam v. g. vir & uxor sibi mutuam fidem servare debent, ad prolis educationem & instructionem tenentur parentes, filii ad parentum reverentiam, reges ad conservationem legatorum alterius principis, cives permanere debent in factâ agrorum divisione, &c.

Lex positiva est ea quæ præscribitur à legislatore; & hæc, ut diximus, duplex est, divina & humana; Lex enim æterna, quæ nihil aliud est, quàm decretum Dei æternum, quo statuit homines & Angelos sic esse in tempore regulandos, non est propriè Lex, ab æterno enim non sunt subditi, & Lex dicitur per respectum ad subditos; unde si vocetur Lex, hoc est, quia est regula practica, non actu, sed aptitudine. Lex positiva divina, est ea quam Deus præscripsit ratione utentibus, illis tradens modum quo possint pervenire ad cæ-

lestem beatitudinem, quæ est finis hominis. Deus illam dedit vel per se, ut in novo Testamento, in quo Deus homo factus multa præcepit quæ legem gratiæ integrant: vel illam contulit Angelorum ope, ut Lex vetus, quam Deus dedit Moïsi in summitate montis Sinaï per Angelos tradentes eam nomine Dei. Lex positiva humana, est regula quædam præscripta ab homine habente publicam authoritatem, præscribens subditis aliquid faciendum, vel prohibens aliud. Alia est lex Ecclesiastica, quæ ad bonum supernaturale dirigit; alia est civilis, quæ tendit in bonum naturale. De his omnibus dicere conabimur.

QUÆSTIO III

De Materia, Proprietatibus, Fine, & Affectibus Legis.

QUANTUM ad Materiam legis; quæstio potest intelligi, vel de materiâ *in qua*; id est, de subjecto in quo lex residet; vel de materiâ *circa quam* leges versantur.

CONCLUSIO PRIMA.

MATERIA *in qua*, seu subjectum in quo primariò leges residunt, est intellectus antecedenter, & formaliter voluntas; quando enim superior aliquis legem condere intendit, cognoscit primò id quod statuere vult, an scilicet sit bonum & utile, & illud judicium est in intellectu; deinde præscribit suis inferioribus id quod sibi congruum & illis

utile videtur, in quo ſtat formalis ratio legis; & hoc decretum in voluntate, tanquam in ſuo ſubjecto, remanet: & ſic mareria *in qua* legis, ſaltem primaria, eſt intellectus & voluntas legiſlatoris. Legis materia ſecundaria *in quâ*, eſt vox, tabula, liber, ſcriptura, & alia id genus; poſtquam enim leges ſtabilitæ ſunt in mente legiſlatoris, ut habeant ſuam eſſentiam, non phyſicam, ſed moralem, quæ conſiſtit in vi obligativâ, debent inferioribus manifeſtari per talia inſtrumenta. Materia denique *circa quam* verſantur leges, ſunt actiones humanæ, quæ ſub legem cadunt, nt bonæ fiant, & declinent à malo.

Conclusio Secunda.

Tres aſſignantur communiter proptietates legis, nimirùm authoritas, veritas, & bonitas; lex enim habet principium, formam & finem. Ratione principii condentis legem, debetur legi Authoritas; quia nullus poteſt legem edere, niſi authoritate polleat. Ratione formæ, debetur legi Veritas, ſeu rectitudo; nam lex injuſta non eſt lex, ſed tyrannis. Ratione finis, legi debetur Bonitas, quia lex non ordinatur niſi in bonum commune hominum, & in bonum particulare Dei; ſi enim quæratur, quare punitur Petrus? aptè reſpondetur, ut obſeruetur lex; ſi ſecundò quæratur, quare talem punitionem lex præſcribit? meritò dicitur, propter bonum communitatis, quæ detrimentum pateretur, ſi non punirentur malefactores; ſi perquiratur ulteriùs, propter quid eſt bonum communitatis? hoc eſt, propter bonum Dei, qui eſt omnium creatorum finis ultimus. Per hoc patet reſponſio ad

tertiam partem tituli quæstionis, nimirum de fine legis, qui alius non est, quàm reipubl. utilitas.

Conclusio Tertia.

Effectus legis duplex est; primò obligat, & secundò nata est subditos reddere bonos. Quod leges natæ sint reddere subditos bonos; hoc intelligitur de lege morali, quæ instituitur ad mores componendos: si aliquando subditi boni non efficiantur per legem, immò fiant prævaricatores; hoc est per accidens, contra naturam legis & legislatoris intentionem. Quod etiam leges obligent subditos; constat, quia essentia moralis legis est, quod obliget, & illa obligatio duplex est, una sub peccato, seu in foro interno; alia sub pœnâ temporali, seu in foro externo. Obligatio legis supponit promulgationem, ut diximus, nullus enim tenetur ad id quod ignorat, nec scire potest; non est autem necesse, ut lex obliget, maximè in foro externo, quod singulis intimetur; sed sufficit, quod illius publicatio fiat in singulis prouinciis regni; non obligat tamen in conscientiâ, nisi eos ad quorum aures pervenerit, sed pro tunc ignorantia excusat, modò non fuerit crassa & vincibilis; ita quod subditus talem legem audire potuerit & debuerit, assistendo, v. g. missis parochialibus in quibus proclamantur præcepta Ecclesiæ, maximè circa festa & jejunia. Quoad legis receptionem à subditis, hoc non requiritur; legislator enim vim obligandi habet independenter à populo; & populus majori authoritate polleret, si legem principis posset impe-

dire: si tamen non fuit in usu per decennium, censetur abrogata per desuetudinem, modò casus observandi legem aliquoties adveneris intra illud tempus.

Quæstio IV.

Quis Leges condere valeat?

Constat quidem, patrem posse imponere præcepta suis liberis, maritum suæ uxori, dominum suis servis aut famulis, sicut & judices inferiores intra terminos suæ jurisdictionis; quia omnes illi habent potestatem œconomicam: cum tamen non habeant potestatem publicam, nec jurisdictionem universalem super omnia membra reipùblicæ, leges propriè dictas instituere nequeunt; nam legislatio est præcipuus actus, quo gubernatur respublica: ergo fieri tantùm potest ab eo qui authoritate pollet publicâ super rempublicam; ideò erit

Conclusio.

Ille tantùm habet authoritatem condendi leges, qui jurisdictionem publicam habet, qualem habet Deus super Angelos & homines, Summus Pontifex in omnes Christianos, Respublica in suos cives, & Reges in suos subditos. Deus habet à seipso suam authoritatem, Pontifex immediatè à Deo, & Reges jure successivo, vel electionis; cùm enim communitas seu respublica sit corpus quoddam liberum,

habet naturaliter jus regendi seipsam, unde vel tale jus sibi reservare potest, vel in alium transferre, sine limitatione, vel cum limitatione. Ex hoc multa sequntur.

Primò, Summus Pontifex potest leges Ecclesiasticas instituere in toto orbe Christiano: Christus enim absolutè dixit Petro, *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis*, &c. Quantùm ad leges civiles & politicas, nullas potest ferre, nisi in suo territorio, in quo potestatem Politicam & Ecclesiasticam in eâdem personâ conjungit. Sic dicendum est de Archiepiscopis & Episcopis in suis Diœcesibus, & de Cardinalibus in subditos dependentes ab Ecclesiâ sui tituli. Concilia generalia, si fiant authoritate Summi Pontificis, leges universales totam Ecclesiam obligantes instituere possunt; & hoc juxta potestatem illis traditam, & non ampliùs: Quod si celebrentur independenter ab illo, talem potestatem non habent; Christus enim non dedit illam potestatem cætui Ecclesiæ sine capite, sed Petro; *Quacumque ligaveris*, &c. Concilia Nationalia, quæ fiunt authoritate Primatis vel Archiepiscopi, præsentibus Episcopis nationis, non possunt condere leges, quæ obligent extra nationem, sicut nec Provincialia extra provinciam; nisi hæc Concilia generaliter approbet Summus Pontifex, & satis declaret, se velle ut tales leges ad totam Ecclesiam se extendant. Quoad Generales Ordinum, leges condere possunt in Capitulo Generali, sicut & Provinciales in Provinciali, in his scilicet quæ observantiam regulæ spectant.

Secundò, Imperator legitimè electus potestatem obtinet condendi leges in regnis & provinciis sibi subditis tantùm. Dixi, *Legitimè electus*, quia si per viam injustam & illegitimam imperium invaserit, deest illi justa authoritas, quæ ad condendas leges requiritur, nisi paulatim populi consentiant, & ablata fuerit potestas legitimi superioris, v. g. per mortem ejus, & hæredum legitimorum carentiam, in quorum præjudicium nihil prodest subditorum consensus in favorem usurpatoris. Adjunxi, *In suis provinciis tantùm*; obligare enim potest tantùm subditos; unde si vocetur, v. g. Imperator Occidentis, non est quod jus habeat in omnia Occidentis regna; sed ideò taliter vocatur, quia est Imperator in Occidente, & aliquam præcedentiam habet in Conciliis ante alios reges & præsides.

Tertiò, Reges in suo regnò leges civiles & politicas ferre possunt; habent enim authoritatem publicam in suos subditos, sicque jus habent dirigendi illos & legibus coërcendi. Sic & dicendum est de aliis supremis principibus, qui in jurisdictione temporali superiorem non agnoscunt. Reginæ etiam regni dominæ leges possunt ferre, quia potestatem regiam habent; unde si in lege habeatur, quòd fœminæ remotæ sint ab omnibus officiis publicis & civilibus; hoc verum est de fœminis ordinariis, quæ publicam jurisdictionem non habent. An contracto Matrimonio reginæ cum aliquo, stet potestas condendi leges apud reginam vel regem, quando jure hæreditatio dominium pertinet ad reginam; controvertuntur Do-

ctores, quorum major pars sustinet remanere apud reginam; nec Matrimonium transferre dominium regni in maritum, nec tale ius posse dari in dotem, nec alienari posse. Quòd si vir sit caput mulieris, & mulier sit sub illius potestate; hoc est, quantùm ad usum matrimonii, seu quantùm ad œconomicum regimen familiæ; non verò quantùm ad jus regium, & politicam administrationem regni.

Quartò, communitates perfectæ, quæ respublicæ vocantur, leges statuere possunt; ipsis enim competit suprema authoritas, quam vel apud se conservant, aut magnatibus, aut duci transferunt, aut denique mediam faciunt inter Ducem & Cives; ita ut nec dux sine communitate, nec communitas sine duce leges statuere possint, sed caput cum membris. Est autem magna differentia inter duces illos qui regulariter præsunt istis rebuspublicis, & reges qui suis subditis dominantur; quòd tales duces in suâ potestate limitati sint, tùm quoad terminum, tùm quoad qualitatem authoritatis; reges verò plenariam, ut plurimum, habeant authoritatem, & præsertim Rex noster Christianissimus, qui in omnibus, quæ iusta sunt, pleniſſimum habet imperium, & in omnibus quæ agit nullam aliam affert rationem, nisi solummodò hæc verba, *talis est voluntas nostra.* Porrò, licet subditi authoritatem dederint suis principibus, illam tamen pro libito revocare nequeunt; quia illam subditi concesserunt in perpetuum, & hoc repugnaret paci & tranquillitati regnorum, frequenterque motus & seditiones excitaret.

Quæstio V.

Qui Legibus subijci possint?

Quantum ad legem naturalem & divinam, omnes omnimò homines, sivè etiam sint justissimi, illis subjiciuntur, quidquid dicant Lutherus & Calvinus, putantes justos & probos viros nullâ lege, divinâ aut humanâ constringi, quantùm ad reatum & imputationem, modò habeant singularem fiduciam in Deum, & credant se esse justos licet multa peccata commiserint; quia, inquiunt, *justo non est lex posita*! Sed hoc est directè contra D. Paulum Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; & Hebr. ult. *Obedite præpositis vestris.* Si ergo idem Apostolus 1. Timoth. 1. dicat, *Iusto non est lex posita*; ideſt, justus non indiget coactione legis, sed obedire paratus est ex solo Dei amore. Non est ergo nobis quæstio de subiectione hominum, respectu legis divinæ aut naturalis; sed respectu legis humanæ, sivè sit civilis, sivè Ecclesiastica; ubi difficultas esse potest respectu regum, infidelium, amentium, puerorum, indigenarum & peregrinorum.

Conclusio Prima.

Principes sæculares aut Ecclesiastici non tenentur ex vi coactivâ ad servandas leges quas ipsi, aut prædecessores condiderunt; sed tenentur ex vi directivâ ad illarum observantiam. Non tenentur primò ad illas ex vi

coactivâ; quia lex obligat tantùm subditos, & nullus est sibi subditus; deinde, actus legislatorius involvit jurisdictionem, & nullus in se habet iurisdictionem, aliàs esset simul Dominus & subditus; tandem, hoc habetur in lege *princeps, de legibus*, ubi dicitur, *Princeps legibus solutus est:* tenentur tamen legibus contractuum, quia in contrahendo agunt potiùs personam privatam, quàm publicam. Tenentur secundò ad observationem legis ex vi directivâ, & æquitate fundatâ in iure naturæ; quia debent alios suo exemplo movere, & magis excitant facta, quàm dicta: Deinde, caput debet se conformare membris. Tertiò, non videtur leges observari posse, quando publicè à legislatore videntur violari. Quartò, quia absurdum est, ut princeps aliter agat, & aliter iubeat actiones fieri. Quintò denique, quia Christus Matth. 23. arguit illos *qui dicunt, & non faciunt*. Dum ergo dicit lex, solutum esse principem à legibus: hoc verum est directè & formaliter ex vi illarum legum, quatenus ab illo latæ sunt; falsum est verò indirectè & mediatè, nimirum ex vi iuris naturalis, quatenus ex ipso, si non teneantur ad leges ex vi coactivâ, in quantùm non subjacent pœnis latis contra transgressores legum, tenentur tamen ex vi directivâ ad illarum observationem, propter rationes allatas. Si quæratur, an legislatores peccent mortaliter, dum suas leges non observant: Ad hoc respondent primò omnes, ipsos peccare reverâ, non servando leges taxantes pretia rerum; quia de iure naturæ est, nè res pluris vendatur, aut minoris ematur, quàm valet communiter; tantùm

tantùm autem præsumitur valere, quantùm per legem determinatur. Idem dicendum de contractibus, in quibus debet esse æqualitas ex utraque parte contrahentium, & sic leges de contractibus observare debent sub peccato. Respondetur secundò, principes legem ferentes non teneri ad eas leges quæ non habent materiam universalem, nec principi accommodatam; sic quando prohibent, nè quis arma deferat, aut palatium ingrediatur cum ense, vel cervos venetur in sylvâ, ad talia non tenentur; hoc est enim contra majestatem & authoritatem principis. Respondent aliqui, legislatorem non peccare, dum legem infringit quæ materiam habet universalem & legislatori accommodatam, ut quando Papa non jejunat, non recitat horas, aut committit simoniam juris tantùm humani; sed longè meliùs tenent alii, ipsum peccare; non quidem directè ex efficaciâ propriâ legis, quia non potest se directè obligare, cùm non habeat in se directam jurisdictionem; sed indirectè, in quantùm lex à se ipso lata est conditio, quâ positâ, lex naturæ obligat principem ad præstandum id quod aliis præscripsit.

Conclusio Secunda.

Pueri usu rationis carentes nullis legibus tenentur; ligantur tamen legibus Ebrii, Amentes, Dormientes, & legem invincibiliter Ignorantes; Infideles verò & Catechumeni illis nullomodò subjiciuntur. Probatur prima pars de Pueris, quia leges imponuntur illis tantùm qui possunt eas intelligere; ipsisque

præbere obedientiam; hoc autem falsum est de pueris usu rationis carentibus; ergo legibus non subjiciuntur: unde tempore jejunii possunt uti carnibus; & adulti possunt illis carnes porrigere, modò non sit specialis prohibitio Ecclesiæ, quæ viget in Gallia; possunt etiam sacris interesse tempore interdicti: quòd si priventur sepultura Ecclesiasticâ; illo durante; hoc est in pœnam aliorum vel ob incapacitatem loci: possunt etiam introduci in Monasteria Monialium, seclusâ speciali prohibitione; unde si Concilium Tridentinum excommunicationem pronuntiet in introducentes personas alterius sexûs; intelligitur de personis ratione pollentibus. Probatur secunda pars; quia licet Ebrii; Amentes, Dormientes, & legem Ignorantes nequeant per accidens intelligere legem, nec illam observare ex accidenti: per se tamen afficiuntur legibus, legesque ad illos, velut ad subditos diriguntur per se, quia de se sunt usus rationis capaces: non peccant tamen actu, defectu advertentiæ; sed si quis illis porrigeret carnes tempore jejunii, peccaret mortaliter; quia concurreret ad actionem materialiter malam; sicque illas administrans peccaret formaliter. non verò Ebrii aut Amentes illis utendo, ob defectum advertentiæ. Tertia pars evidens est pro Infidelibus & Catechumenis; non sunt enim subditi Ecclesiæ; ergo nec ligari possunt legibus Ecclesiasticis. unde non peccant manducando carnes in jejunio Ecclesiæ, nec illi qui eas administrarent ipsis, quia non concurrunt ad actionem malam formaliter aut materialiter; peccarent tamen qui alimenta vetita por-

rigerent hæreticis, qui ratione Baptismi subditi sunt Ecclesiæ.

CONCLUSIO TERTIA.

CLERICI primò non subjiciuntur principum sæcularium authoritati in causis Ecclesiasticis; ideſt, in illis causis quæ non pendent ex legibus civilibus, sed ex Evangelio, aut Conciliis, aut Pontificum constitutionibus. Hoc asserit Justinianus Novellâ 83. & Concilium Milevitanum Can. 13. & Matisconense Can. 8. quæ pronuntiant, puniendos esse graviter Clericos, qui causam Ecclesiasticam ad judicium Imperatoris deferunt. Secundò, Clerici nullomodò sunt exempti à legibus civilibus quæ non sunt contra libertatem Ecclesiasti cam, sed ordinantur ad bonum regimen Reipublicæ; ut cùm princeps pretia rebus venalibus constituit, prohibet ne quis noctucum armis incedat, aut frumentum transferat ad inimicos; nam clerici, præterquam quòd clerici sint, sunt adhuc partes & cives reipublicæ politicæ; sicque politicas leges observare tenentur. Tertiò, Clerici leges civiles violando, non possunt regulariter à judice seculari puniri, ex Tit. *de foro competenti*, & Tit. *de immunitate Ecclesiarum*. Sic etiam Justinianus in Novellis Constitutionibus 79. 83. & 123. unde Concilium Agathense Can. 32. habet, *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente, pulsare*; sic & Concilia Carthag. 3. Can. 9. & Tolet. 5. Can. 13. Dixi, *regulariter*; nam aliquando contrarium usitatur per privilegia, ut in isto regno, ubi vigent immunitates Ecclesiæ Gal-

licanæ. Quartò, bona clericorum non subjiciuntur regulariter legibus tributariis; sic in Conc. Lateran. par. 1. c. 19. sic in cap. *Quamquam, de censibus in 6.* & in Tit. *de immunitate Ecclesiarum*; item ex *L. sancimus, cap. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Unde Genes. 47. Joseph voluit omnes Ægyptios certum tributum solvere Pharaoni, exceptis Sacerdotibus, quos immunes ab illis debere esse judicavit. Hoc intelligitur adhuc, secluso privilegio; per conventionem enim factam inter Summos Pontifices & Reges Galliæ, isti exigunt jus regale super quædam Ecclesiæ sui regni bona.

Conclusio Quarta.

Quando aliquis extra territorium suum versatur, non ampliùs tenetur legibus sui territorii, modò sint particulares pro illo; sic habetur cap. *Vt animarum 2. de Constit. in 6.* Unde Augustinus Epist. 118. ad Joan. cap. 2. refert hæc verba Ambrosii, *Cùm Romam venio, Sabbato jejuno; cùm Mediolani sum, non jejuno: sic & tu, ad quamcumque Ecclesiam fortè veneris, morem illius serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Ratio est, quia lex est quædam regula pro bonâ gubernatione territorii instituta, quæ proinde non involvit subditos in alieno territorio existentes. Ex quo sequitur, delinquentes extra Diœcesim non incurrere censuram annexam delicto in Diœcesi: Sic qui transit è loco in quo festum est, ad alium ubi non festivatur; potest ibi operari, non jejunare, & manducare carnes. Quantùm verò ad auditionem sacri, aliqui putant, quòd debeat illam prævenire, si exeat eodem mane

quo festum agitur ; quia, inquiunt, præceptum audiendi missam non est determinatum ad certam aliquam horam, & sic obligat, ut quamprimùm impleatur, si posteà implendum non est : alii sentiunt nullum ad hoc teneri, quia hoc præceptum non limitatur ad certam horam, sed se extendit usque ad meridiem; unde ut obliget, debet quis manere intra illud spatium in loco, ubi festum agitur : primum tutius est & consulerem in praxi. An ille qui ex territorio suo ubi jejunium est, transmeat ad illud ubi non est jejunium, peccet manducando carnes in isto, quando venit in illud cum animo eximendi se à lege jejunii ; controvertuntur Doctores ; Suares, Sanches, Basilius, Pontius, Bonacina, Lessius, hoc licitum esse tenent ; quia eundo ex territorio suo, suo jure utitur, & dùm est extra territorium, licitè utitur privilegio : alii tamen contrarium sentiunt, in quantùm talis exitus sit in fraudem legis, & scandalum generare potest ; quod peccatum est saltem veniale & necessariò vitandum.

Quantùm ad peregrinos & advenas ; tenentur primò legibus generalibus Ecclesiæ, quæ obligant fideles ubicumque sint. Tenentur secundò legibus particularibus loci in quo sunt pro contractibus faciendis ; unde contractus facti in tali loco sine formalitabus quas talis locus exigit, nulli sunt ; sicque vir & mulier manentes in territorio ubi non recipitur Concilium Tridentinum, validè contrahunt in eo sine præsentiâ Parochi ; si contrahant verò ubi receptũ est, invalidè contrahunt, licet sint in terri-

torio ubi non recipitur. Tenentur tertiò ad pretium taxatum in venditione & emptione, quia est quid sequens naturâ contractûs. Tenentur quartò legibus particularibus loci in quo sunt, v. g. jejunio, festis, &c. statim atque ad illum accesserunt cum animo constituendi ibi suum domicilium: animum autem constituendi domicilium alicubi habet ille, qui actu in tali loco inhabitat, & intendit ibi manere pro majori anni parte, aiunt aliqui, vel pro morâ notabili, aiunt alii; quòd si hoc desit, tales leges non obligant advenas, nisi ratione scandali, quod ut vitetur, debet quisque se conformare legibus loci in quo est, juxta illud Proverbium, *Cùm fueris Romæ, &c.* Ex quibus patet, scholares posse & teneri Sacramenta recipere in loco in quo sunt pro studiis faciendis, licet nondùm in eo manserint pro majori anni parte, modò talem intentionem habeant.

Quantùm ad vagos, qui sine certâ habitatione huc & illuc divertunt, tenentur legibus locorum in quo sunt; aliàs nullis ligarentur legibus, cùm nullum territorium habeant.

DISPUTATIO SECUNDA.

De qualibet Lege in particulari.

NON pauca remanent dicenda de legibus in genere; sed quia vel de facili intelligi possunt, vel intelligentur ex iis quæ sumus dicturi de legibus in specie, quælibet à nobis examinanda remanet.

QVÆSTIO PRIMA.

De lege Naturali.

LEx Naturalis dupliciter sumitur; vel prout est in Deo, estque actus divini intellectûs & divinæ voluntatis, quo Deus judicat & vult homines vivere & regulari secundùm rationem; vel prout est in nobis, estque actus humanæ mentis, quo judicamus nos debere vivere conformiter rationi. Ex quo patet, quòd si primo modo sumatur, idem sit lex naturalis, ac pars quædam legis æternæ, quæ se extendit ad omnes creaturas, & lex naturalis tantùm creaturas rationales respicit, prout à nobis hic spectatur, ut regulativa actuum humanorum: secundo modo debemus illam considerare in præsenti quæstione.

CONCLUSIO.

LEx Naturalis est dictamen rationis practicæ, quo per lumen naturale evidenter cognoscimus facienda esse illa quæ cum ratione conveniunt, & vitanda esse illa quæ rationi adversantur; & sic ex convenientiâ vel disconvenientiâ rei cum recta ratione oritur essentia legis naturalis, sicut ex conformitate vel difformitate actionis cum lege divinâ oritur ratio legis divinæ. Unde distinguitur jus naturale à jure gentium, in quantùm Jus Naturale, ut hîc à nobis sumitur, convenit creaturæ rationali, ut sic consideratæ; Jus Gentium verò competit creaturæ rationali, quatenùs

in ſocietate civili verſatur. Quia diximus legem Naturalem conſiſtere in convenientiâ vel diſconvenientiâ cum ratione; ideò licet multa præcipiantur & prohibeantur à Deo quæ ſunt de jure naturali, citra illam juſſionem eſſent ſemper bona vel mala: unde pertinent ad legem naturalem, quatenùs ſunt convenientia aut diſconvenientia rationi; & ad legem divinam ſpectant, prout à Deo expreſsè præcipiuntur, aut prohibentur.

Primum & generalius principium legis naturalis eſt, bonum eſſe proſequendum & malum fugiendum; ſicut enim intellectus non poteſt aſſentiri niſi vero, ſic nec voluntas poteſt aliquid proſequi, niſi bonum ſit. Ex hoc principio tamquam ex fonte derivantur iſta; *Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris; Deus eſt colendus, parentes honorandi, vita conſervanda, ſublevandi miſeri, adulterium vitandum, furtum non eſt committendum*; & in genere omnia Decalogi præcepta. Licet lex naturalis habeat plura iſta principia practica, manet tamen in ſe una, unitate ſaltem generică; in quantùm omnia illius præcepta ad generale iſtud reducuntur, *Bonum eſt proſequendum, & malum fugiendum*; unde alia dicuntur concluſiones deductæ ex illo principio, quarum aliæ ſunt faciliores, aliæ difficiliores. Quia autem à principiis communioribus legis naturali s certæ quædam concluſiones ſunt remotæ, quæ non poſſunt elici, niſi cum difficultate; ideò dicitur, quòd lex naturalis ſit una apud omnes, quantùm ad principia communiora & concluſiones faciliores; non tamen

sit una apud omnes, quantùm ad singulares conclusiones.

Quod est de jure naturali tantùm permissivè mutari potest, introducendo scilicet contrarium illius quod natura non præcipit aut prohibet: unde quia natura permittebat tantùm omnia esse communia, & non præcipiebat, ideò potuit fieri agrorum divisio; potest etiam quis propriam libertatem vendere. Quod autem est de jure naturali positivè præceptum aut prohibitum, mutari non potest, manentibus iisdem circumstantiis; quia lex naturalis consistit in rebus ipsis quæ habent convenientiam vel disconvenientiam cum recta ratione: si autem circumstantiæ rerum non mutentur, semper habent convenientiam vel disconvenientiam cum ratione: ergo, non mutatis circumstantiis, lex naturalis mutari non potest. Si autem circumstantiæ mutentur, mutari potest id quod aliunde erat de jure naturali: sic licet de jure naturæ honorandi sint parentes, potest hoc mutari, si sint jurati patriæ hostes: licet homicidium prohibeatur, licitum fit dùm patratur authoritate Dei habenti jus in mortem & vitam; vel authoritate publicâ, cui tale jus per commissionem competit in subditos; vel denique ad conservationem suæ propriæ vitæ, quæ aliter conservari non potest: Licet res aliena restituenda sit domino, non tamen gladius furioso reddendus est: licet furtum prohibeatur, in extrema tamen necessitate constituto permittitur.

Deus non potest dispensare in ullâ lege

naturali, sivè sit in Decalogo, sivè extra; dispensare enim est concedere alicui, ut agat contra legem, etiam quatenus obligat: benè autem facere potest Deus, ut mutatis aliquibus circumstantiis lex naturalis non obliget; sicque quando Deus dispensare videtur in aliquibus præceptis naturalibus; hoc est, quatenus declarat in talibus circumstantiis illa præcepta non obligare. Quando, v. g. lex naturalis prohibet homicidium; hoc est, quando fit privatâ authoritate, non publicâ, aut divinâ, aut in conservationem suæ propriæ vitæ; sic Deus cum Abrahamo non dispensavit super præceptum, *non occides*; non obligat enim in eo casu ubi homicidium fit authoritate divinâ. Quando etiam jussit Oseæ, ut adiret mulierem fornicationis, non dispensavit super præceptum, *non mœchaberis*; non jussit enim, ut illam cognosceret ante contractum, sed ut cum illâ contraheret. Quando jussit Israëlitis, ut auferrent bona Ægyptiorum, non dispensavit super præceptum, *non furtum facies*; non concessit enim, ut acciperent bona illorum, tanquam aliena; sed tanquam sibi propria per donationem Dei, qui omnium bonorum Dominus erat, & qui poterat tale Dominium transferre ad Israëlitas qui pro toto labore Ægyptiis reddito verbera solùm reportaverant. Quando Deus concessit Poligamiam, non dispensavit super legem naturalem; sed abstulit circumstantiam, quâ ablatâ, cessat obligatio legis naturalis, nempè inhabilitatem viri; inhabilis est enim, ut tradat dominium sui corporis secundæ uxori, postquam tradidit primæ: Deus

autem ut supremus Dominus facit illum de inhabili habilem, permittendo, ut dominium corporis viri sit commune duabus uxoribus; & in hoc casu lex naturalis non obligat, quoniam obligat tantùm personas inhabiles. Quando similiter aliàs vir repudiabat uxorem, Deo permittente, non contradicebat legi naturali; quia lex naturalis prohibebat tantùm ejectionem uxoris, & conjunctionem cum aliâ, stante priori vinculo; illud autem vinculum dissolvebatur authoritate divinâ, mediante libello repudii, sicut nunc per mortem dissolvitur. Ex his patet, quod Deus non dispensèt propriè in lege naturali, sed advenientibus certis circumstantiis, lex naturalis non obliget.

Idem dicendum est à fortiori de Summo Pontifice, quòd non dispensèt in illis quæ sunt de lege naturæ, sed aliquando tollit certas circumstantias, quibus ablatis, cessat obligatio legis naturalis, quod vocatur dispensare, sed largè, ob rationem anteà allatam. Redditio voti, v.g. & impletio juramenti, sunt de jure naturali, quia supponunt promissionem Deo factam & non relaxatam, & manente illâ promissione non relaxatâ, nec Deus, nec Summus Pontifex dispensare possunt, quin impleatur: Deus autem, vel Pontifex ejus vices gerens talem promissionem relaxat, & sic cessat obligatio voti reddendi; idem fit apud homines, ubi promissio est de jure naturali adimplenda, quamdiu non relaxatur. Eodem modo dispensare dicitur Summus Pontifex supra residentiam pastorum, quæ est de jure divino naturali ex Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. de *reformat.*

non quòd dispensèt propriè, sed remittit Pastori obligationem residendi nomine Ecclesiæ, cui per pactum ad residendum se addixit, saltem tacitè, suscipiendo curam animarum; sed hoc non debet fieri nisi ob magnam utilitatem Ecclesiæ, aut gravem necessitatem Pastorum. Pariter agit Ecclesia, quando Matrimonium ratum dissolvit occasione ingressûs religionis approbatæ; tollit enim nomine Dei vinculum Matrimonii; & tali vinculo ablato, ille qui anteà coniugatus erat, religionem approbatam suscipere potest.

Porrò sciendum est, quod licet aliqua legis naturæ præcepta non obligent in certis quibusdam circumstantiis, ut vidimus; sunt tamen aliqua quæ immutabiliter obligant, quibus contradicere nunquam licet, & illa sunt, Mendacium, Perjurium, Odium Dei & Idololatria.

QUÆSTIO II.

De Lege Divinâ.

PRÆTER legem naturalem, quam Deus impressit ita fortiter menti hominum, ut nullâ virtute expungi valeat; superaddidit multa præcepta positiva, quæ diversa fuerunt pro diversitate statuum in quibus versati fuerunt homines. In statu innocentiæ præceptum fuit Adæ, Evæ; & utriusque posteris, nè manducarent de fructu vetito. In statu legis naturæ viguit præceptum de usu remedii contra peccatum originale, & de non comedendâ carne

cum sanguine, Genes. 9. Postea præcepit Circumcisionem familiæ Abrahami. Deinde seligens filios Iacob, seu Israëlitas in populum suum, tulit illis certam præceptorum congeriem, quæ vocata fuit lex vetus. Tandem per Filium suum, legem novam, seu gratiæ condidit. Divina meritò dicitur utraque, quia nomine Dei data est; prima ministerio Angelorum, & per ipsum Deum hominem factum, innotuit secunda. De quâlibet dicemus.

Conclusio Prima.

Lex vetus fuit bona, sancta, & justa; contra Manichæos, volentes ipsam esse malam, non à bono Deo, sed à malo conditam. Nostra conclusio habetur ad Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, justum & bonum.* Ubi dicitur *sancta*, propter præcepta ceremonialia; *justa*, propter judicialia; & *bona*, propter moralia. Triplex ergo fuit lex vetus; nempe Moralis, cujus præcepta generatim continentur in Decalogo: Ceremonialis, quæ determinabat ritus & ceremonias, quibus Deus esset colendus: & Iudicialis, quæ dictabat quomodò justitia esset reddenda proximo. Si contra conclusionem habeatur Ezechiel. 20. *Dedit illis legem non bonam*: hoc est comparatè ad legem Evangelii. Si 1. Corinth. 3. vocetur lex vetus, *Ministratio mortis & damnationis*; hoc est per accidens in quantum præbebat occasionem peccati, non per se, sed ex perversâ hominum inclinatione, qui concupiscentiam legi præferebant; & ob hoc dicit Paulus Rom. 4. *Lex iram operatur*; quod ipsemet explicat, ad Rom. 7. ubi habet, *Occasione acceptâ*,

Si ad Hebr. 3. in Græco idiomate habeatur, *Vetus Testamentum non vacasse culpa*: hoc est, non vacasse defectu; licet enim illa lex fuerit bona & sancta & utilis, quia nos, tanquam Pædagogus, conducebat ad cognitionem faciendorum; non fuit tamen perfecta, quia non conferebat gratiam ex *opere operato*, unde Paulus ad Galat. 4. vocat ceremonias legis, *infirma & vacua elementa*. Si dicant Manichæi, Deum permisisse usuram; saltem cum Gentilibus, Deuteron. 23. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*: D. Thomas respondet 2. 2. quæst. 78. permissam fuisse usuram, non quoad forum internum, quasi caruisset peccato; sed quoad forum externum, in quantùm non puniebatur: Alii respondent, positâ illâ permissione D. Judæos potuisse accipere aliquid supra sortem, non ratione mutui, in quo consistit usura; sed ratione donationis divinæ, quatenus Deus dabat illis tale auctuarium, cùm sit supremus omnium Dominus: & hoc ita fecit Deus, nè Judæi fratres suos per usuram exhaurirent. Sic permisit libellum repudii, nè suas uxores, quas repudiare non possent, occiderent: fuit tamen talis libellus licitus, quia Deus supremâ authoritate potuit solvere vinculum Matrimonii, ut habetur in quæst. præcedenti. Si addant Manichæi, talem legem fuisse tyrannicam, ob hoc quod habetur Exod. 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu*: ex hoc concludi tantùm potest, quòd fuerit servilis & accommodata statui Judæorum, qui cùm essent servi, debebant terreri à peccatis metu pœnarum. Si denique Matth. 19. declaret

Deus se odio habere sacrificia illorum ; hoc non erat ratione sacrificii, talia enim præcipiebat; sed ratione offerentium, qui nolebant à peccato obstinere.

Lex vetus sicut & nova Deum agnoscit authorem : Sic Concil. Trident. Sess. 4. unde Matth. 4. lex Mosaïca vocatur mandatum Dei, *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Ratio est, quia lex Evangelica est finis legis Mosaïcæ; & lex Mosaïca est medium ad legem Evangelicam disponens, tanquam minùs perfectum ad perfectius, & tanquam figura ad veritatem : ejusdem autem est proponere media & finem : ergo idem Deus qui dedit legem Evangelicam, dedit & veterem. Neutram tamen Deus promulgavit per se, sed primam per Angelos ad Galat. 3. *Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris*; ideſt, Mosis: & secundam per Christum suum, ad Hebr. 1. *Multifariàm, multisque modis olim Deus loquens in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Lex vetus data fuit in monte Synaï die quinquagesimo ab egressu filiorum Israël ex Ægypto; & hoc latè describitur Levitici 26. Sed notandum est, quod in illo die data fuerit lex vetus quantùm ad præcepta Moralia, contenta in Decalogo, & hoc in summitate montis Synaï; præcepta verò Iudicialia & Ceremonialia data fuerunt in radice montis, successive, per varios dies.

Lex vetus quantùm ad obligationem diversimode considerari potest ; in quantùm enim continebat præcepta Moralia, Ceremonialia, & Iudicialia, obligabat solos Iudæos, Deuter. 4.

Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia & universam legem? Psal. etiam 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Poterat tamen quilibet gentilis se adjungere populo Dei per Circumcisionem, quæ erat janua veteris legis, sicut Baptismus janua novæ; & pro tunc obligabatur legi veteri. Exod. 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, circumcidetur prius omne masculinum; & tunc erit sicut indigena terræ.* Si autem lex vetus sumatur præcisè quantùm ad præcepta Moralia; obligat etiam Gentiles, quia talia præcepta erant legis naturæ, & quilibet ad legem naturæ tenetur. Lex vetus obligabat Iudæos ex genere suo sub peccato mortali, non tantùm quoad præcepta Moralia, sed & quoad Cæremonialia & Iudicialia; quia horum materia erat satis gravis, ut de se obligationem induceret; addunt tamen Doctores communiter, illam non obligasse cum periculo mortis regulariter, nisi quoad præcepta Moralia negativa, quæ continentur in Decalogo, & quæ prohibent aliquid intrinsece malum. Dixi, *regulariter*, ut significetur, quòd si observatio legis Cæremonialis aut Iudicialis esset necessaria ad vitandum contemptum Dei, vel religionis, periculum mortis non excusaret; unde 2. Machab. cap. 6. & 7. Eleasarus & septem Fratres cum matre suâ mori potiùs elegerunt, quàm porcinas carnes manducare.

Lex vetus abrogata est de facto, non quidem quantùm ad præcepta Moralia, quæ adhuc perseverant; sed quantùm ad Cæremonialia &

Judicialia, quidquid dicant Cerinthiani, Ebionitæ & Naſaræi. Hoc probatur pluribus ex locis, ſed præſertim ad Galatas 3. *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto; at ubi venit Fides, iam non ſumus ſub Pædagogo.* Fuit autem abrogata, non per Joannem, ſed per Chriſtum; fuit enim umbra, & umbra ceſſare non debet, niſi adveniente lumine, qui eſt Chriſtus: unde ſi habeatur Luc. 16. *Lex & propheta uſque ad Ioannem*; non eſt quod pro tunc ceſſaverit, ſed quaſi mori inceperit; inchoatio enim Prædicationis Evangelii, fuit initium mortis legis veteris. Non eſt abrogata ante mortem Chriſti, ipſe enim illam obſervavit; ſed ceſſavit eius obligatio in ipſius morte, ubi dixit Chriſtus, *Conſummatum eſt*, & ubi ſciſſum eſt velum templi; ad denotandum nullam poſteà deberi templo reverentiam, & omnia eſſe communia inter Judæos & Gentiles. Quòd ſi dicant aliqui, non ceſſaſſe illam legem, niſi in promulgatione Evangelii, factâ die Pentecoſtes: Reſp. quòd ſicut rex ſatis promulgare cenſetur legem, quando illam in palatio ſuis proceribus exponit; ſic Chriſtus in nocte cænæ ſatis viſus eſt promulgare Evangelium, dùm illud propoſuit Apoſtolis; unde in tali tempore obligabat Evangelium eos qui illud audierant; & promulgatio quæ facta fuit in die Pentecoſtes, non erat de eſſentiâ legis, ſed tantùm conditio ſine quâ Evangelium non obligabat illos, qui de eo nihil audierant: ſic Auguſtinus, Hieronymus, & multi alii, contra nonnullos. Aliqui putant, veterem legem non ceſſaſſe à morte Chriſti quoad utilitatem, licet ceſſaverit quoad

obligationem; sed verisimilius est veterem legem cessasse quoad utrumque; extinctum enim fuit Sacerdotium Aaronicum ad præsentiam sacrificii Christi, quod evacuavit omnem efficaciam sacrificiorum antiquorum: quod intelligendum est respectu eorum quibus Evangelium promulgatum erat, quales erant Apostoli.

Lex vetus à Hieronymo creditur ab eo tempore mortifera & prohibita sub peccato, ac fuit mortua; ita quòd sicut à morte Christi, vel ut dicunt alii, à die Pentecostes, fuit mortua, seu cessavit; ita ab illo tempore fuit mortifera, & prohibita sub peccato mortali. Augustinus contrarium docet, affirmans, quòd licitus adhuc esset usus legalium paulopòst publicationem Evangelii, non animo ostendendi talem usum esse necessarium aut utilem; sed ut ostenderetur, tales ceremonias fuisse bonas & à Deo institutas, non verò à Dæmonibus, ut erant Gentilium ceremoniæ: & hoc est quod vocatur communiter, Synagogam cum honore debuisse sepeliri; & hoc ad differentiam Gentilium, quorum ceremoniæ nunquam toleratæ fuerunt post eorum conversionem, ubi ceremoniæ Judæorum fuerunt aliquamdiu permissæ, ut Synagoga sepeliretur cum honore. Augustinum sequuntur passim Scolastici, & iure merito, quia Paulus circumdidit Timotheum Act. 16. & cum Judæis purificatus est Act. 21. Nec respondeat Hieronymus, Paulum hoc fecisse animo simulandi; simulatio enim est species Mendacii, & Mendacium est intrinsecè malum, unde nunquam licitum est. Quòd si Paulus reprehenderit Petrum, quia tales cere-

monias observabat, unde dixit ad Galat. 2. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem restiti ei, quia reprehensibilis erat:* hoc est, quia Petrus volebat, ut Gentiles antequam Evangelium susciperent, observarent ceremonias Judæorum; addit enim, *Dixi Cephæ coram omnibus, quomodò gentes cogis Iudaïsare?* & in hoc potuit Petrus in consideratè agere, & peccare venialiter; licet non potuerit peccare mortaliter, quia erat confirmatus in gratiâ. Inconsideratè inquam egit, quia licet essent adhuc licita Legalia pro Judæis, ut Synagoga cum honore sepeliretur eo modo quo diximus, non tamen ipsis legalibus uti debebant Gentiles, qui immediatè transibant de lege naturali ad Evangelium; unde Paulus Timotheum conversum circumcidit, quia erat ex matre Judæâ; non Titum, qui ex Gentilibus erat ortus. Hoc habetur in Conc. Jerosolimitano, ubi super quæstionem factam, an Gentiles conversi deberent circumcidi, & observare legalia; Patres responderunt, *Visum est Spiritui Sancto & nobis, non ultera vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Hæc ultima autem non prohibebantur absolutè, quasi retenta essent de lege Mosaïcâ; sed ut faciliùs Gentiles coalescerent cum Judæis, qui propter antiquatam suam legem abominabantur sanguinem & suffocata; ne etiam manducando carnes immolatas idolis, darent occasionem judicandi, quòd vellent ad sua idola redire. Verò, si Gentilibus conversis prohibeatur specialiter fornicatio; hoc

est, quia non credebant illam esse peccatum.

Lex vetus Synagogam continebat, quæ licet aliquando sumatur in Scripturâ pro conventu malignantium, aliquando pro ædificiis in quibus Judæi solebant legere, & explicare scripturas; sumitur tamen communiter pro totâ congregatione seu Ecclesiâ Judæorum. Moïses ædificavit Synagogam, sicut Christus Ecclesiam; illa tamen erat ancilla, & ista libera, ad Galat. 4. *Non sumus filij ancillæ, sed liberæ.* Synagoga continebat ministros ordinarios, nempè Levitas, Sacerdotes, & Summum Pontificem: continebat ministros extraordinarios, nempe Prophetas: continebat certos quosdam religiosos: continebat denique sectarios, scilicet Pharisæos, Saducæos, & Essenos; de his omnibus dicendum est aliquid. Primò, Levitæ Sacerdotibus ministrabant; Sacerdotes offerebant victimas super altare holocausti, nutriebant ignem perpetuum, subministrando ligna, adolebant incensum super altare Thimiamatis, concinnabant lucernas juxta illud existentes, singulis sabbatis ponebant panes duodecim calidos super mensam propositionis, & auferebant veteres quos comedebant; adjuvabant mulieres in casu Zelothipiæ, discernebant inter lepram & lepram, mundabant leprosos & seminifluos & puerperas & menstruatas, denique legem Dei interpretabantur. Quoad Pontificem, qui erat ex solâ familiâ Aaronis; consecrabat Levitas & Sacerdotes, in controversiis legalibus agebat supremum judicem, & illius sententiæ tenebantur omnes acquiescere sub pœnâ mortis;

in solemni die Expiationis Sanctuarium introibat, & publicam expiationem instituebat super omnia peccata legalia populi & immunditias toto anno contractas; denique in rebus magni momenti Deum consulebat, & ab eo accipiebat responsum; Aliqui dicunt per Angelum quasi voce humanâ loquentem, alii per occultam Spiritûs Sancti revelationem, & Josephus cum aliis per gemmarum splendorem in Rationali existentium supra pectus Pontificis; ita quòd si gemmæ plus solito splenderent, signum erat fælicis successûs, si minùs solito, signum erat mali; si more naturali, nec magis, nec minùs, signum erat, Deum non velle respondere. Secundò, erant in Synagogâ Ministri extraordinarii, nempe Prophetæ, qui erant certi quidam homines, vel ex sacerdotibus, vel aliunde assumpti à Deo, quorum officium erat docere populum & reformare in cultu veri Dei, illosque arguere qui à tali cultu & religione recedebant: ipsorum etiam erat prædicere futura, sive ad consolationem, sive ad terrorem populi; denique occulta revelabant ordinarie, probabantque se esse à Deo missos ad reformandum populum; & hoc per miracula & veras prædictiones. Tertiò, duæ species erant religiosorum qui à communi populo distinguebantur, nimirùm Nasaræi & Rechabitæ; quorum illi ex utroque sexu erant qui se Deo consecrabant voto, sive in perpetuum, sive ad tempus, ut erant Samson, Samuel, & similes: dicebantur Nasarei, quia erant separati, & novacula non ascendebat super capita eorum, nisi quando cessabat illorum votum; abstine-

bant se ab omni potu inebriante, ab aceto, & à quibuscumque uvis ; illorum institutum descriptum est Numer. 6. Rechabitæ sic dicti sunt à Rechab patre Jonadab, qui præcepit filiis & filiabus & cunctis posteris suis, ut non biberent vinum, ut manerent in tabernaculis, nec domos ædificarent ; ut denique nec seminarent, nec meterent ; quod exactè observarunt. Quartò denique, erant in Synagogâ Sectarii, nimirùm Pharisæi, Saducæi, & Esseni. Pharisæi sic dicti sunt à verbo Hebraïco *Pharasc*, quod significat dividere ; veste enim & modo vivendi ab aliis dividebatur illorum secta : Sic orti sunt Pharisæi ; Moïses in monte Synaï nedùm accepit legem quam scripsit, sed & intelligentiam legis, quam non scripsit ; illam autem tradidit Josuè successori suo vivâ voce, Iosué senioribus populi qui eum sequuti sunt, hi prophetis, isti viris magnis Synagogæ, ex quibus orti sunt Pharisæi. Dogmata Pharisæorum quæ acceperant à lege & Prophetis, alia erant vera ; & de illis dicit Christus, *Quæcumque dixerint vobis, facite* : alia verò erant falsa & erronea, unde etiam dixit, *Cavete à fermento Pharisæorum*. Docebant omnia fato evenire, traditiones antiquiorum præferebant præceptis legis, animas justorum volebant transmigrare de corpore in corpus, unde dicebant, Christum esse Heliam, Jeremiam, aut unum ex Prophetis, putantes animam alicujus istorum migrasse in corpus Christi. In hoc distinguebantur à Scribis, quòd Scribæ non constituerent sectam particularem, licet utrique essent legis periti. Saducæi erant hære-

tici quidam, sic dicti à Sadoch eorum authore; solum Pentatheucum pro verâ scripturâ admittebant, & nullam volebant traditionem, nec interpretationem factam à Moïse, vel Prophetis, aut Doctoribus. In omnibus erant contrarii Christo & adversabantur Pharisæis in hoc, quòd nec immortalitatem animarum, nec mortuorum resurrectionem, nec spiritum, aut Angelos crederent. Esseni denique componebant sectam omninò similem cœtui religiosorum; manebant enim cælibes, bona habebant communia, albis utebantur vestibus, sine viatico incedebant, accuratè servabant silentium, novitios probabant quadriennio, & similia faciebant pietati epnsona,

CONCLUSIO SECUNDA.

LEx nova, quæ lex Evangelii vocatur, à Christo Domino est instituta, juxta id quod habetur Can. 21. *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, Anathema sit.* Illam instituit non tantùm pro Judæis, sed pro toto mundo, Marc. ult. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*; Et ratio est, ut qui erat omnium redemptor, legem instituret pro omnibus, per quam ad salutem pervenire possent. Quòd si Joan. 1. habeatur, *lex per Moïsen data est, & gratia per Christum*: per hoc non est intelligendum, quòd Christus sit tantùm collator gratiæ, & non institutor legis; sed quòd Moïses dederit solam legem, & non gratiam, Christus verò & legem dederit, & gratiam per quam lex observari possit; per Sa-

cramenta scilicet, quæ illam conferunt ex opere operato.

Lex nova triplicia continet præcepta; nempè Moralia, Sacramentalia & Theologalia. Dedit, inquam, Moralia, ut patet ex Matth. 5. 6. & 7. ubi præcepta Decalogi renovat & perficit, prohibetque divortium, quæ omnia spectant ad mores. Dedit secundo præcepta Sacramentalia, de Sacramentis scilicet administrandis & recipiendis; v. g. de Baptismo, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*; de Pœnitentiâ, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. de Eucharistiâ, Joan. 6. *Nisi manducaveritis*, &c. Tertiò, dedit præcepta Theologalia, quæ respiciunt actus virtutum Theologicarum, Marci 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*; & Luc 10. *Diliges Dominum Deum tuum*. Præcepta Sacramentalia absolutè fuerunt à Christo instituta; de nostris enim Sacramentis nihil fuit præceptum in lege naturæ, aut veteri. Præcepta Moralia, quæ sunt præcepta Decalogi, vel ad illum reducuntur, non sunt tam instituta à Christo, quàm explicata; quoniam erant de lege naturæ. Præceptum Theologale de fide fuit auctum; nam Christi Nativitas, Mors, Passio & ejus mysteria obscurè & implicitè tantùm credebantur à Judæis; nunc autem distinctè & explicite credi debent à Christianis.

Licet ad hæc tria præceptorum genera teneantur Christiani, non minùs tamen libertatem Christianam, quam introduxit Christus, conservant; non consistit enim in hoc, quòd liberi

liberi simus ab observatione mandatorum Dei, sed in duobus principaliter posita est; nimirùm in libertate à servitute peccati, Ioann. 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati: si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*; & ad Rom. 6. *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ.* Posita est etiam in libertate à jugo legis veteris, quantùm ad Cæremonialia & Iudicialia, ad Galat. 4. *Quomodò iterum convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis?* Licet ergo Paulus ad Rom 6. dicat, *Non estis sub lege*; non minùs tamen sumus in lege; immò ipsemet, 1. Corinth. 9. dicit, *Se non esse sub lege, sed in lege:* unde est differentia, inquit Augustinus in Ps. 1. *inter esse sub lege, & in lege*; Iudæi erant sub lege, quia tanquam servi subditi erant pœnis legalibus; nos verò sumus in lege, quia tanquam filii observamus legem ex amore, per gratiam scilicet, quam confert ipsa lex Christi, & quam non conferebat lex Mosaïca; sic Augustinus lib. de Continentiâ, cap. 3.

Sicut diximus ex mente Patrum, legem veterem cessasse in morte Christi, sic lex Euangelica pro tunc incœpit obligare universum orbem, quoad authoritatem & vim obligandi; non tamen obligavit quoad reatum, seu sub peccato, nisi post sufficientem Evangelii promulgationem, quæ in communi facta est in die Pentecostes, & particulariter dùm Apostoli illud publicaverunt per totum mundum, juxta id, *In omnem terram exivit sonus eorum.* Quòd vim habuerit obligandi in ipsâ morte Christi, constat per hoc, quòd desinente lege veteri, lex nova debuerit incipere, aliàs sine lege positivâ re-

manſiſſent homines. Incœpit, inquam, illa lex Evangelica obligare illos quibus innotuit, non alios, quibus non fuit promulgata; ſed in die Pentecoſtes ſufficienter publicata fuit, maximè reſpectu Iudæorum, quorum aliqui ex qualibet tribu & natione convenerant Ieruſalem; reſpectu verò Gentilium, expectari debuit prædicatio Evangelii, ut poſſet obligare eos ſub reatu peccati. Licet lex nova ſit duratura in æternum, ut patet ad Hebr. 13. & ex conſecratione calicis, ubi regnum Chriſti & teſtamentum eius dicitur æternum; tamen abrogari poteſt authoritate Dei, qui ſicut illam non dare potuit, ita & illam abrogare valet, demptis præceptis quæ ſunt de jure naturæ: Abrogari tamen non poteſt authoritate humanâ; in illis enim quæ ſunt à Deo, inferiores non poſſunt diſpenſare, niſi ſpecialem habeant conceſſionem, quod non apparet de diſpenſatione Evangelii; unde dictum Matth. 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram*, intelligi debet de juriſdictione accommodatâ ſuo ſtatui, non de poteſtate univerſali. Porrò, licet lex nova explicationem patiatur, non patitur tamen Epikiam. Ratio primi eſt, quia lex poſitiva non eſt menti hominum inſcripta quoad omnes eius circumſtantias; unde poteſt ſenſus legis verbis explicari. Ratio ſecundi petitur ex hoc, quòd Epikia eſt emendatio legis generalis in aliquo caſu, quem legiſlator judicatur non fuiſſe comprehenſurus, ſi illum prævidiſſet; Deus autem omnes caſus prævidit: ergo in lege Dei non debet admitti Epikia.

In multis lex vetus & nova differunt: primò,

ratione causæ, quia illa fuit data ministerio Angelorum, ista ex ore filii prodivit. Secundò, differunt in materiâ, quia mysteria quorum fides præcipiebatur in veteri, erât imperfectè tantùm cognita; in novâ autem sunt apertè revelata, & sacrificiis veteribus successit admirabile sacrificium crucis & altaris. Tertiò, differunt in formâ; illa enim gratiam non includebat ad observationem mandatorum, benè ista. Quartò, differunt in fine; quia nova erat finis veteris, & consummatio eius. Quintò, lex vetus erat lex servorum, unde Deus agit cum illis, quasi cum mercenariis quibus promittit bona temporalia, Esay 1. *Si audieritis me, bona terra comedetis*; lex verò nova est lex filiorum quibus promittitur hæreditas, Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sextò denique, lex vetus maximè rigorosa est, unde ad Galat. 5. vocatur jugum importabile; nova autem vocatur Matth. 11. *Jugum suave, & onus leve*; denique differunt in subjecto; vetus enim data est in tabulis lapideis, Exod. 24. & Deuteron. 4. & 5. & nova ab Apostolo ad Hebr. 8. dicitur scripta in cordibus nostris, *Dabo leges meas in mentem ipsorum, & in corda eorum superscribam*: non quòd lex Mosaïca non fuerit scripta in cordibus Iudæorum, qui illius habebant notitiam; non etiam quòd lex nova non sit scripta in libris; sed nova dicitur scripta in cordibus, à gratiâ Spiritûs Sancti, quam confert ex operato, & quæ dicitur esse in nostris cordibus, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; lex autem vetus non sic continebat gratiam.

Quæstio III

De Lege Humanâ.

De lege humanâ nobis supereſt loquendum; quæ dividitur in temporalem ſeu civilem, & in ſpiritualem ſivè Eccleſiaſticam: illa procedit à temporali poteſtate, & ordinatur ad bonum politicum & temporale reipublicæ; iſta emanat à juriſdictione ſpirituali, tenditque ad bonum ſpirituale. De utrâque erit diſſerendum.

Conclusio Prima.

Ad legum humanarum cognitionem, præſupponendum eſt quid ſit jus in ſe, quod à Iuriſperitis definitur, *Arſ juſti & boni*; ideſt, ars præſcribens quod juſtum & bonum eſt. Præcepta juris in univerſum ſunt tria; nempè, *honeſtè vivere, alterum non lædere, denique ſuum cuique tribuere*. Diviſio juris fit in jus naturale, quod natura omnibus animantibus indidit, de quo anteà diximus; in jus gentium, quo omnes gentes utuntur; & in jus civile, quod legibus alicujus regni vel provinciæ conſtat, de quo diſſerere intendimus. Nationes diverſæ ſibi diverſas leges conſtituerunt; unde aliud eſt jus Lacedemonum, aliud Athenienſium, aliud Hiſpanorum, aliud Gallorum, & aliud jus Romanorum, quod per Antonomaſiam jus commune vocatur; illud tamen non admittitur in Galliâ, niſi in iis quæ videntur rationi conformia.

Aliud est jus non scriptum, quod in consuetudinibus localibus consistit, quæ multis in locis in scriptis redactæ sunt; & aliud scriptum, quod apud Romanos *in legibus, Senatûs-consultis, rebus iudicatis, authoritate iurisperitorum, plebiscitis, principum placitis, pratorum edictis & responsis prudentum consistebat. Lex* est id quod populus Romanus constituebat, interrogante senatorio magistratu seu consule, penes enim populum stabat authoritas; unde interrogabatur, an vellet hoc vel hoc fieri; & quando illud habebat ratum, vim legis habebat. *Plebiscitum* est id quod plebs, quæ erat tertia pars populi, constituebat, interrogante magistratu Plebeïo seu Tribuno, sine patritiis & senatoribus. *Senatûs consultum* est id quod senatus constituebat vice populi, qui suam authoritatem ad Senatores dimiserat. *Placita principum* erant principum constituriones, seu edicta & rescripta imperatorum; quod enim placet principi vim habet legis, ut patet in nostris regibus decretis suis addentibus, *Quia ita nobis placet. Pratorum edicta* emanabant, non à populo, sed ab ipsis Prætoribus vi authoritatis propriæ, quâ poterant uti in utilitatem populorum. *Responsa* denique *prudentum* erant sententiæ aliquorum jurisperitorum, quibus authoritate principis licebat de jure respondere, itaut judices non possent à tali sententiâ recedere. His omnibus leges duodecim tabularum addiderunt Romani, quas per deputatos exquisierunt ab Athenienſibus, quibus tot successivè addiderunt alias & diversas leges, quod tempore

Iustiniani infinita propè volumina legibus referta extiterint.

Iustinianus tali legum multiplicati remedium adhibere percupiens, tribus jurisperitis jussit, nimirùm Triboniano, Dorotheo, & Theophilo, ut justas & necessarias leges colligerent, supprimerentque superfluas; unde volumen unum composuerunt quatuor libris digestum, ubi compendiosè juris elementa habentur, & illud vocatum *Instituta* vel *Institutiones Iustiniani*: sic verò citari solent illæ institutiones, *Instit. de justitia & jure*, hoc est, in libris Institutionum sub titulo *de justitia & jure*: & si titulus constet pluribus Parugraphis, addi potest Paragraphus, citando prima illius verba. Aliud volumen composuerunt, vocatum *Pandectæ*, quia omni scientiarum genere refertum est; vocatur etiam *Digestæ*, quia in illo digesta sunt præcipua capita veteris Iurisprudentiæ. Quinquaginta libri in eo continentur, in quibus sunt plures tituli, qui vocantur à veteribus *rubricæ iuris*, propterea quòd minio notantur, vel croco. His additus fuit *Codex Iustiniani* duodecim libros continens, in quibus agitur de constitutionibus imperialibus. Accesserunt *Novellæ* constitutiones Iustiniani, quæ vocantur alio nomine *Authenticæ collationes*, libros novem continentes; *edicta Iustiniani* sub titulis tredecim; *Novellæ Iustini* sub quinque titulis; *Constitutiones Tiberii* sub totidem titulis; *Volumen aliud* quatuor titulis digestum, in quo sunt constitutiones Iustiniani, Iustini & Tiberii; *Novellæ Leonis septimi Imp.* ubi reperiuntur 113. tituli vocati Constitutiones; *Consti-*

nationes imperiales 37. numero; *Tractatus denique defeudis* anteà incognitis. Porrò ultra præcedentia, quæ apud Romanos vim legis habebant, juris adhuc duplex species admittebatur; nempè, *ius Quiritum*, seu civium, quo cives Romani regebantur & distinguebantur ab alienigenis: *Et ius Prætorium*, quod prætores introducebant in quâlibet provinciâ, ut suppleretur jus ciuile, vel adjuvaretur illius observatio.

Cùm Gallia sit regnum, cujus princeps & imperator supremam possidet authoritatem, jura Romanorum nullomodò agnoscit, nisi in quantùm sunt conformia rationi, quæ pro legum fundamento agnoscitur; plura tamen jus Gallicum continet juribus Romanorum non dissona. Hujusce ergo regni jura, quæ apud omnes regnicolas observantur, Regum edictis & Senatûs-consultis coalescunt, sicut & cujuscumque provinciæ consuetudinibus de trium ordinum consensu introductis, & per principem approbatis. Regis solius est justitiam administrare, & hoc in signum supremæ suæ authoritatis; aliquando per se jus reddebat singulis, sed pro rerum multiplicitate, quæ augebatur in dies, Prominiſtros in quâlibet provinciâ & singulis oppidis regulariter instituit. Quod ut clariùs pateat, sciendum est, uniuersum regnum dividi in tres ordines; primus Ecclesiasticorum est, secundus Nobilium, & tertius Plebeïorum, qui tertii ordinis nomen retinet. Dum Franci in Galliam copias traduxerunt, de omnium militum consensu Pharamundum instituerunt in regem; postquàm verò ex Francis & Gallis una gens resultavit, in duos

ordines distincta est, quorũ primus ex præcipuis belli ducibus componebatur, qui nunc vocantur Nobiles & apud Romanos Patritii; alius verò de Primatibus populi factus est, qui est secundus ordo, apud Romanos Plebeiorum ordo vocatus: dùm denique fidem Christianam susceperunt reges nostri, pro ordine primario sui imperii Ecclesiasticos instituerunt.

Omnia totius regni bona & possessiones à Rege dependent immediatè vel mediatè; singula enim vel sunt in manu regis, & sic regium patrimonium constituunt; vel possidentur à Proceribus regni, & tunc jure clientelæ Regi obstringuntur, vel denique pertinent ad tertii ordinis viros, tanquam plebeia prædia, quæ sub clientelâ Procerum existunt. Unde duplex est dominium in prædia; unum utile, ad illos pertinens qui prædiis fruuntur; aliud directum, quod ad Regem spectat, vel Proceres. Quoad bona Ecclesiastica, quæ Ecclesiasticis donata sunt; eamdem naturam, sub quâ erant in manu donatorum, retinent. Prædia nobilia regni Procerum, vel sunt Ducatus, aut Marchionatus, vel Comitatus, vel Baronatus, aut certa quadam feuda, quæ in Normaniâ præsertim feuda loricata nuncupantur, Gallicè, *Fiefs de Haubert*. His prædiis ordinariò conjuncta est dicendi juris potestas; unde apud nos reperitur jurisdictio duplex, quarum prima est regia; & si fari ita liceat, dominialis altera: hæc verò in superiorem, mediam & infimam subdividitur. Jurisdictio dominialis superior de omnibus civilibus & capitalibus judicat inter subditos, demptis quibusdam casibus,

qui regii nuncupantur. Media agit tantùm de rebus mobilibus inter clientes. Infima jus dicit super clientelarias functiones & obsequia solùm.

Quantùm ad jurisdictionem regiam, longè nobiliorem dominiali; Reges nostri causarum multitudinem videntes, sibi sanctius consilium reservarunt, & pro capitalibus & civilibus judicandis certum quemdam Senatorum numerum præfecerunt, qui ultimæ cognitionis proferrent judicia; & horum judicum congregatio, quibus Pares Franciæ annumerantur, supremus Senatus, seu Parlamentum dicta est. A Pipino an. Dom. 377. institutum est istud Parlamentum, sed deambulatorium, quia ubique sequebatur principem; fixum autem stetit Parisiis authoritate Philippi, dicti *le Bel*, qui palatium in sedem justitiæ, construi jussit. Ille autem perillustris Senatus tantum sibi nomen vendicavit, tùm apud exteros, tùm apud indigenas; ut Papæ, Imperatores, & alii Reges & Principes angustissimi hujusce cœtûs sententiis se libenter subjecerint; teste imperatore Friderico cum Innocentio VII. summo Pontifice, teste etiam rege Castellæ cum rege Lusitaniæ, & similibus. Prædictus Philippus duos tantùm consessus quolibet anno instituit; quorum primus celebrabatur in diebus festivis Nativitatis Domini, alter verò die Purificatæ B. V. M. Senatum distribuit etiam in duo tantùm conclavia; in conclave scilicet primum, seu *Grand' Chambre*, aliàs *Grand' voute*; & in conclave inquisitionum, seu *des Enquestes*; & in ho-

rum conclavium primo res majoris momenti agebantur.

Senatus ille Parisiensis, qui Parium Franciæ Curia vocatur hisce temporibus decem conclavia obtinet. Hæc sunt: Conclave primum; Capitalium causarum conclave, seu ex circuitu; edictale conclave, sic nominatum, quia per edictum pacificationis erectum est in favorem hæreticorum; duo supplicum conclavia, & quinque inquisitionum. In supremo conclavi sunt octo infulati præsides, & senatores quamplurimi. In capitalium causarum conclavi sunt duo præsides infulati, & sex vel octo Senatores ex primo conclavi assumpti, & duo ex quolibet conclavi inquisitionum, qui cùm ad hanc curiam vicissim accedant, ob hoc dicitur classis ex circuitu. Edictale conclave duos habet infulatos præsides cum sexdecim senatoribus, assumptis ex conclavi primo & inquisitionum; & hi quolibet biennio à Cancellario regni & generali deputato præsumptæ reformationis eliguntur. In quolibet requisitionum conclavi duo sunt præsides & circiter decem senatores, à quorum judicio ad superius conclave provocatio seu appellatio fieri potest; unde non sunt ultimæ cognitionis judices. Quodlibet denique conclave inquisitionum duobus præsidibus & senatoribus triginta componitur, Prima classis Appellationes judicat, quæ procedunt ex sententiis super lites sine scriptis instructas ortis, & de Abolitionibus criminum viris nobilibus concessis. Classis ex circuitu Reos judicat, demptis nobilibus. Classis edictalis Lites in quibus vocantur hæretici,

quos tolerat Gallia, componit. Classis inquisitionum Appellationes sententiarum quæ ex rationibus Tutorum oriuntur, vel litium quæ scriptis instruuntur, dirimit. Curia verò Supplicum, Privilegiatorum causas judicat.

Præter Senatum Parisiensem, sunt & alii novem in Galliâ. Secundus omnium est Tolosanus, quem erexit Philippus IV. dictus Pulcher, an. 1302. & stabilem esse jussit Carolus VII. anno 1643. Tertius est Rothomagensis, quem erexit Carolus VII. anno 1443. & fixum reddidit Ludovicus XII. anno 1503. Quartus est Gratianopolitanus per Carolum VII. erectus anno 1453. Quintus est Burdegalensis, quem creavit Ludovicus XI. Sextus an. 1476. à Ludovico XI. Divione institutus est. Septimus Aquisextanus, sub Ludovico XII. an. 1501. Octavus Rhedonensis sub Henrico II. anno 1533. Nonus Palensis à Ludovico XIII. dùm regionem adivit Bearniam; anteà tamen Henricus primus Navarræorum Rex, Henrici IV. Tritavus sedem jurisdictionis supremæ in hac urbe Palo instituerat. Tandem decimus fuit Metensis, Tulli olim sedens, ab ipsomet Ludovico XIII. creatus. In qualibet urbe reperiuntur ut plurimùm diversæ jurisdictiones inferiores; nempe Prætorialis, Tribunalis, Tributarii Judicii Præfectura, Aquis regiis Præfectura, & Præfectura Capitalium. Prætores de rebus civilibus & capitalibus agunt inter Nobiles & Ecclesiasticos, & de iis quæ spectant ad Beneficia, Decimas, Patronatus, regia Privilegia, & de aliis rebus quæ ipsis attribuuntur per regum Edicta & Provinciarum con-

ſuetudines ſcriptas. Tribuni de litibus in tertio ordine ſubortis judicant. A Tribuno fiunt Appellationes ad Prætorem; & ab iſto, ad Præſidiales judices in civilibus tantùm: quando enim de criminibus agitur, ad Supremum Senatum debet fieri appellatio, etiam à juriſdictione Tribuni, qui ex incidenti de crimine aliquando judicat. Si res civilis, de quâ agitur apud Prætorem, ſit proviſoriè judicata de mobilibus, quæ non excedant quingentas libras, ad Præſidialem curiam debet fieri appellatio; ſicut quando res definitivè eſt judicata in mobilibus & non excedit libras ducentas & quinginta: Aliàs ſi agatur de prædio, vel ſi prædictus pecuniæ numerus excedatur, ad Supremam Parlementi curiam debent appellationes deferri. Tributarii judices agunt de Tributis, Subſidiis, Impoſitionibus, & Salariis vectigalibus; & hujus curiæ appellationes ad rei tributariæ ſummum tribunal devolvuntur. Aquis regiis Præfecti, nemorum & aquarum in quibus fiunt nevigationes curam habent; & dum appellationes ab illorum judicio fiunt, hæ ad ſedem matmoream ſpectant. Quantùm ad capitales Tribunos, ipſis regiones latronibus & graſſatoribus expurgare incumbit, de certis quibuſdam criminibus judicant, modò judices præveniant ordinarios; illa crimina ſunt furta quæ fiunt in viis regiis, Virginum Stupratio, domorum Infractiones, & ipſarum Incendia.

Sunt & alia tribunalia de quibus pauca tantùm referemus; nimirum, Magni conſilii Curia, Rationum Principis Curia, Tributari

Senatûs conclave, Monetalis Curia, Galliæ Mareſcalorum præfectura, præfectura rei maritimæ. Curia magni conſilii præſertim agit de rebus quæ ad beneficia ſpectant, de ſubſidiis ſupra merces impoſitis, de Edictorum contrarietatibus, de controverſiis inter ſupremos ſenatus obortis, & litigiis quæ inter Caſtrenſium præfectorum capitales Tribunos, *Prevoſts des Mareſchaux*, naſcuntur. Rationum Principis Curia clientelæ profeſſiones accipit à Prælatis, Principibus, Ducibus, & aliis regni proceribus, qui ratione prædiorum regi obſtinguntur per clientelæ jura; de regio patrimonio, ipſius alienatione; & conceſſione factâ aliquando, judicat; Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, regiorum Abbatum ſacramentum, jusjurandum, & clientelæ profeſſionem in commentarios refert, modo juri regio ſubjiciantur; & protunc horum vacantia cenſetur à morte Prælati, uſque ad talem inſcriptionem juris jurandi alterius, quo intervallo beneficiorum fructus ad Regem pertinent. Hujus Curiæ judices inſuper verificant officiorum & magiſtratuum creationes, privilegia civitatum & provinciarum, nobilium titulos, Ducum, Marchionum, Comitum & Baronum dignitates creatas. Ad conclave ſenatus Tributarii ſpectat judicium de Vectigalibus ordinariis & Tributis. Monetalis curia ſuper legitimam nummorum compoſitionem; valorem, & pondus pronuntiat, de fabricatoribuſque improbæ monetæ ſine appellatione decernit. Mareſcalorum juriſdictio exercetur per Prætorem, Proprætorem, & Præpoſitos generales, quorum ſen-

tentiæ feruntur sub nomine Comitis stabuli & Mareſcalorum. Horum primarius Comitis stabuli vices gerit; de diſſentionibus inter Nobiles excitatis judicant, de litigiis inter milites obortis ratione ſtipendiorum, de militari diſciplinâ decernunt; & ſuper crimina eorum qui caſtra ſequuntur, ſententias ferunt. Juriſdictio denique rei maritimæ præfecti ſimiliter per Prætorem, Proprætorem, Tabularium, & Apparitorem adminiſtratur, ad quos ſpectat judicium de rebus omnibus quæ navigationem concernunt.

His omnibus adjiciendum eſt utrumque Regis Conſilium; quorum aliud vocatur publici ſtatûs & regiæ pecuniæ conſilium, *Conſeil d'Eſtat & de Finances*; aliud verò conſilium ſanctius, *Conſeil Privé, ou des Parties*. In primo agitur de regiâ pecuniâ, & in eo aſſident Rex pro libito ſuo, regni Cancellarius, poſteà Principes, deinde Duces regni, Pares, ærarii Tribuni, regiæ pecuniæ Directores, publici ſtatûs Senatores, *Conſeillers d'Eſtat*, ſupplicum libellorum magiſtrorum Decanus actualis & anterior, duo ſummi Cenſores, regiæ pecuniæ Tribuni ordinarii, ſanctioris ærarii Tribunus, *Theſorier de l'Eſpargne*, & ſupplicum libellorum Magiſtri; cum hac diſtinctione, quòd præcedentes ſedeant, iſti verò ſtent à poſteriori parte ſenatorum publici ſtatûs, cooperto capite; eorum officium eſt cauſas rfeerre, & dum ipſas referunt, ſtant à tergo Regis, capite detecto: hujuſce conſilii ſecretarii eumdem locum habent ac ſupplicum libellorum Magiſtri. Sanctius conſilium eodem modo

componitur ac præcedens, demptis summo ærarii Tribuno, Tribunis ordinariis, Directoribus & Censoribus; adesse tamen possunt in illo pecuniæ Directores, tamquam Senatores publici status. Eumdem locum observant supplicum libellorum Magistri, qui sunt numero duo & septuaginta, octodecim in quolibet trimestri; per tres menses in palatii supplicibus libellis exercent, & tribus sequentibus mensibus in utroque præfato consilio: in prima classe Parlamenti locum obtinent post præsides infulatos, sed tantùm quatuor in qualibet vice: omnium Prætorum & Seneschallorum sedes occupare, & jus dicere possunt. In hoc sanctioris consilii tribunali præsertim agitur de evocationibus quæ fiunt ab aliquo senatu supremo, & ad alium accessus datur litigantibus.

CONCLUSIO SECUNDA.

JUs Canonicum est illud quo utimur in rebus Ecclesiasticis; & vocatur Canonicum à nomine græco, Κάνων, quod est regula, in quantum per tale jus, seu per talem legem viri Ecclesiastici regulari debeant. Aliud est non scriptum, quod in consuetudine Ecclesiasticâ consistit; aliud est scriptum, quod vel ab Episcopis, vel à Summo Pontifice emanavit, sivè in Conciliis, sivè extra Concilia. Communiter jus Canonicum scriptum sumitur pro illo, quod continetur *in Decreto Gratiani, in Epistolis Decretalibus Gregorii noni, in sexto Decretalium Bonifacii octavi, in Clementinis & extravagantibus Ioannis vigesimi secundi, & aliorum Pontificum.*

Decretum, quod Gratianus monachus ex

ordine Benedictinorum compilavit anno 1150. & quod approbavit Eugenius III. & confirmavit postea Gregorius XII. tres partes habet. Prima continet distinctiones centum & unam, quæ subdividuntur in capita, seu canones; loca autem ex illâ parte desumpra sic citantur, *Can.* vel, c. *humanum*, *dist.* 1. Secunda pars causas triginta sex complectitur, quæ dividuntur in quæstiones, & quæstiones in capita; sic de illâ parte fiunt citationes, *Can.* vel c. *Quicumque studet*, 1. 9. 1. ideſt, capite vel canone qui incipit per illa verba, causâ primâ, quæstione primâ. Tertia pars habet tractatum de Consecratione, qui dividitur in quinque distinctiones, & quælibet distinctio in capita; & sic citari debent ista capita, *Can.* vel c. *vasa de Consecrat. dist.* 1. In primâ parte agitur de jure in genere, in viginti scilicet primis capitibus, & de personis seu ministris Ecclesiasticis in omnibus reliquis. In secundâ parte; de iis quæ concernunt formam judiciorum Ecclesiasticorum agitur; in causâ tamen trigesimâ tertiâ, quæstione tertiâ, continetur tractatus *de Pœnitentiâ*, divisus in septem distinctiones, quæ subdividuntur in capita; & iste tractatus sic debet citari, *Can.* vel, c. *reperiuntur*, *de pœnit. dist.* 3. Tertia pars agit de Consecratione Ecclesiarum, de Missarum celebratione, de Eucharistiâ, Festis, Ecclesiasticis ceremoniis, Baptismo, Confirmatione, & Iejuniis.

Decretales compilatæ fuerunt de mandato Gregorii noni, per Remundum de Pennaforti ordinis Prædicatorum, hujusce Pontificis

Capellanum & Pœnitentiarium Sanctæ Ecclesiæ Romanæ; exhaustæ autem fuerunt ex Gregorij IX. & aliorum Pontificum Epistolis & constitutionibus; unde vocatæ fuerunt Decretales Epistolæ, quæ distinguntur in hoc à Decreto Gratiani, quòd multò magis compilatæ sint ex Epistolis Pontificum, quàm ex Conciliis; è contrà verò Decretum Gratiani plus nititur Conciliorum decretis, quàm Epistolis, aut constitutionibus Pontificum. Quinque libros complectuntur Decretales, in quibus juris Canonici materia exponitur. Primus liber agit de Personis quibus competit jurisdictio aliqua, & de judiciorum præparatoriis. Secundus explicat judiciorum Ordinem. Tertius agit de rebus Ecclesiasticis quæ in judicium venire solent. Quartus de Sponsalibus & Matrimonio. Quintus de Criminibus & Pœnis. Decretales aliàs vocabuntur, *extra*, quia erant extra Decretum Gratiani, quod anteà digestum erat; unde apud antiquiores sic citabantur, *extra de Iudæis, cap. etsi Iudæos*: nunc autem, ubi ingrediuntur corpus juris Pontificii, citantur sine adjecto, sic scilicet v. g. c. *Tua nos*, *de iureiurando*, & pro tunc intelliguntur libri Decretalium per excellentiam, & non citantur distinctiones, nec causæ, ut in decreto.

His quinque Decretalium libris *sextum* addidit Bonifacius VIII. ex Concilio Lugdunensi, Decretalibus Epistolis Pontificum successorum Gregorii, nonnullis ipsiusmet Gregorii novellis constitutionibus, & multis etiam suis propriis compilatum; & hic liber vocatur *sextus Decretalium*, constans etiam libris quin-

que, cujus citatio fit eodem modo quo citantur Decretales. excepto quòd; capita & tituli hujus libri citentur cum addito; dicendo scilicet, in sexto; sic v. g. c. *Volentes*, *de privilegiis*, *in 6.* Clemens V. paulòpost constitutiones edidit, partim suas, partim ex Concilio Viennensi, cui præfuit, desumptas; quas, ipso mortuo, absolvit & publicare fecit Joan. XXII. Ab ipsarum authore *Clementinæ* dictæ sunt, sicque citantur, *Clem. dudum*, *de sepulturis*; ideſt, *Clementinâ*, quæ incipit per hanc vocem; *dudum*, titulo, *de sepulturis*. Posteà denique Joannes XXII. constitutiones edidit viginti; & post ipsius obitum diversæ à diversis Pontificibus exierunt, quæ *extravagantes* dictæ sunt; quia licet nunc sint de corpore juris, tamen aliquamdiu extra illud, quasi sede incertâ, vagantes exstiterunt: illæ autem sic solent citari, *extravag. unigenitus*, ideſt constitutione extravaganti, sub titulo, *unigenitus*,

QUÆSTIO IV.

Vtrùm Lex Humana obliget in conscientiâ?

INTELLIGITUR hæc quæstio tam de lege civili, quàm de Ecclesiasticâ; proponi etiam potest de lege pœnali, ac de præceptivâ; ubi lex præceptiva est illa, quæ sancit aliquid esse faciendum, vel omittendum, nullâ constitutâ pœnâ; & lex pœnalis est illa, quâ aliquid præcipitur, vel prohibetur sub tali pœnâ, quam judex constituit, ut illi qui ad observationem

legis non trahuntur amore, timore pœnæ ad illam pertrahantur. Denique, quandoquidem lex, ex dicendis, modò obligat sub peccato mortali, modò sub veniali; dicemus unde cognosci queat, legem obligare sub mortali, vel veniali tantùm.

Conclusio Prima.

Leges civiles & Ecclesiasticæ habent vim obligandi subditos in conscientiâ, ita quòd eorum transgressio sit vel peccatum mortale aut veniale, etiam secluso scandalo & contemptu. Hoc habetur Rom. 13. *Subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam:* & anteà eodem capite, *qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: damnatio autem non acquiritur, nisi propter peccatum mortale. Quòd autem hoc debeat intelligi, nedum de legibus Ecclesiasticis, sed etiam de civilibus, patet ex 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sivè regi quasi præcellenti, sivè ducibus tanquam à Deo missis, quia sic est voluntas Dei.* Ratio quàm affert D. Thomas est hæc validissima; quia leges humanæ, si justæ fuerint, habent suam authoritatem à lege æternâ, à quâ derivantur, ad Rom. 13. *Omnis potestas à Deo est; & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; atqui lex æterna habet vim obligandi in conscientiâ & sub peccato mortali: ergo & lex humana, sivè sit Ecclesiastica, sivè civilis. Nec dicant, omnia esse præcepta aut prohibita per legem æternam; ergo nil posse præcipi per humanam. Resp. licet nihil præcipiatur aut prohibeatur, quod non sit consentaneum legi æternæ & di-

vinæ ; tamen plura humanitùs præcipiuntur, ut jejunia, auditio sacri, observatio festorum ; & plura prohibentur, ut cessatio ab opere manuali in die festo, & usus carnium in Quadragesimâ ; quæ tamen non præcipiuntur formaliter, nec prohibentur per legem æternam. Dixi in conclusione, quòd leges humanæ obligent sub peccato, etiam secluso scandalo, contemptu, aut transgrediendi consuetudine, quamuis contrarium attribuatur Caietano ; certum enim est, Catholicum peccare mortaliter, qui semel tantùm, sine contemptu & scandalo, voluntariè omittit communionem Paschalem ; sicut & Sacerdotem, qui horarum canonicarum lectionem prætermittit.

Objicit Calvinus lib. 4. Instit. Cap. 10. non posse condi ab hominibus leges civiles, quæ obligent in conscientiâ ; primò, quia potestas principum sæcularium est merè temporalis : ergo nullam habent potestatem super conscientias. Sed ad hoc respondetur, quòd licet illorum potestas sit temporalis ratione objecti, est tamen per accidens spiritualis, ratione obligationis ; in quantùm pro eodem instanti, quo aliquid præcipiunt, quod pacem temporalem sui regni concernit, illicò Deus vult, ut illis obediatur, sicut probat conclusio.

Objicit secundò, principes sæculares non judicare nisi de externis, & non de conscientiâ. Resp. quòd non judicent proprie de internis, sed solus Deus ; attamen leges externas statuunt, quæ obligant conscientiam.

Objicit tertiò, Regem non posse infligere pœnam spiritualem, nec ligare conscientiam.

Respondeo ut priùs, posse utrumque facere consequenter; quia potest condere leges, quæ, si non observentur, ligant infractorum conscientiam; utitur enim potestate quam indidit illi Deus, qui dicit, *Per me reges regnant, per me principes imperant, &c.* Proverb. 8.

Objicit quartò, principem non intendere, quòd subditi ad peccatum obligentur. Resp. quòd intendat obligare simpliciter ad legem; & non potest hoc intendere, nisi intendat consequenter obligare ad peccatum.

CONCLUSIO SECUNDA.

NEDUM leges Præceptivæ obligant in conscientiâ; sed etiam leges Pœnales, quibus aliquid præcipitur, adjectâ pœnâ transgressoribus; sunt tamen aliquæ leges mere Pœnales, quæ nihil præscribunt, nec imperant, nisi solam pœnam, si quis hoc vel illud egerit; ideſt, non prohibent aliquid fieri, sed si factum sit, illud puniunt; pro tunc enim, inquit Gamachæus, non censentur legislatores obligare in conscientiâ, quandoquidem actum non prohibent, sed tantùm actui pœnam præparant: sic quando in iure habetur, *Si per negligentiam custodum evaserint Rei, leviter puniantur*; ibi est lex mere pœnalis, quæ non obligat in conscientiâ, quoniam tales evasores nullo modo peccant: sic etiam, inquit D. Thomas, sunt statuta quorumdam Religiosorum, quæ ex intentione expressâ fundatorum ad nullam obligant culpam, dempto contemptu, ut habetur in nostrâ Religione; obligant tamen ad pœnam. Nec dicatur, esse ridiculum, quòd ubi nulla est culpa, infligatur aliqua pœna: nam licet in alla-

iuſtè, aliquid fieri vel fieri vetant; quia ibi præcipitur actus, & tali præcepto debetur obedientia ſub peccato. *Leges quæ nil prohibent aut iubent fieri, ſed ſolùm decernunt pœnam, ſi hoc vel illud fiat, non ad culpam, ſed ad pœnam obligant*; quia ibi non eſt mandatum ſuperioris cadens ſuper actum, ſed tantùm pœna irrogatur, ſi actus fiat; & ſic debet tantùm ſubditus ſubire pœnam, & non tenetur ad actum ſub culpâ, modò non adſit ſcandalum aut contemptus.

Contrarium ſentit Navarrus, præſertim de lege pœnali civili, quam cum multis aliis quos citat Bonacina putat, non obligare ſub mortali, quando decernitur in eâ tantùm pœna temporalis & corporalis, etiam ſi gravis ſit, ut pœna capitis & amiſſionis bonorum; quia, inquiunt, lex pœnalis eſt odioſa, ergo reſtringenda eſt ad ſolam pœnam; quia deinde legiſlator apponens pœnam temporalem, cenſetur excludere æternam; ex regulâ iuris, *qui unum exprimit & aliud tacet, cenſetur excludere quod tacet*, quia, inſuper ſubditi credere poſſunt, legiſlatorem contentum eſſe pœnâ quam expreſſit, & non exigere culpam de quâ tacet. Bonacina autem, Suares, Toletus, & alii tenent nobiſcum, legem Pœnalem, etiam civilem, obligare in conſcientiâ, niſi aliter conſtet de mente legiſlatoris, propter rationem allatam; vel niſi cognoſcatur, illam eſſe merè Pœnalem per regulam præallegatam. Ad rationes aliorum reſpondet Bonacina; primò, legem rigoroſam eſſe reſtringendam, niſi aliundè conſtet de mente legiſlatoris; conſtat autem, ſaltem implicitè, quòd mens legiſla-

toris præcipiens actum sub pœnâ, sit obligare sub culpâ; quia, ut diximus, præceptum est, & præcepto debet subditos obedire sub culpâ. Ad secundum dico, qui unum exprimit & aliud tacet; istud excludit, si istud non sit implicitum sub alio, concedo: cùm autem quis præcipit actum sub pœnâ, censetur illum implicite præcipere sub culpa, ratione præcepti, cui subditus in conscientia obedire debet. Ad tertium; si parùm instructi sint subditi, non debent credere, quòd illud non obliget in conscientia, quod præcipitur simpliciter sub pœna; immò culpa infertur ex præcepto sub pœna, quia actus præcipitur, & præcepto debetur obedientia sub pœna peccati.

Conclusio Tertia.

Vt cognoscatur qualitas peccati sub quo lex obligat, recurrendum est ad voluntatem legislatoris; qui si intendat obligare sub peccato mortali, aut veniali, taliter obligat; modò voluntas illius iusta sit; non potest enim in materia quæ est levis in se & in effectibus, obligare sub peccato mortali; licet in materia gravi possit obligare tantùm sub veniali. Ratio hujus est, quia actiones agentium moralium non operantur ultra intentionem illorum; & ratio primi petitur ex hoc, quòd lex esset injusta, quæ levi materiæ pœnam æternam imponeret. Si dicatur, quòd in religionibus res leves (v. g. observatio silentii) præcipiantur sub peccato mortali; & esum pomi sub reatu pœnæ æternæ Deum prohibuisse Adamo; Respondendum est, res illas in se leves esse, & graves ratione finis intenti à legislatore superiores

superiores enim Religionum intendunt conducere Religiosos ad perfectionem, & hoc per diversa media; quorum alia, licet sint in se levia, gravia tamen sunt ratione finis, quia ad illam perfectionem sunt maximè utilia. Sic dicendum est de prohibitione pomi, quæ gravis erat ratione finis; nam præcepit Deus illam abstinentiam in tributum & testificationem humanæ subjectionis ad Deum, quam potuit Deus exigere ab Adamo sub pœnâ æternâ.

Si autem non possit consuli voluntas legislatoris, ut sciatur sub quo peccato aliquid præceperit; hoc habebitur ex sequentibus. Primò, quando legislator, qui prudens esse debet, aliquid præcipit aut prohibet in materiâ absolutè levi; signum est, quòd obliget tantùm ad veniale; quando verò materia est gravis, signum est, quòd obligare intendat sub mortali; licet enim materiam gravem possit prohibere, vel præcipere venialiter tantùm; hoc tamen inusitatum est legislatoribus. Secundò, quando legislator prudens imponit gravem pœnam, sivè æternam, sivè temporalem, aut corporalem transgressoribus, ut cùm v. g. illos capite plecti jubet, aut spoliari bonis, aut privari beneficiis, hoc redolet mortalem esse offensam; pro levi enim culpâ injustum esset gravem irrogare pœnam; nisi hoc fiat in terrorem aliorum, v. g. quando princeps venationem leporum prohibet sub pœnâ capitis; tunc non committitur peccatum mortale, nisi aliquando ex adjunctis circumstantiis. In materiâ gravi obligatio censetur esse sub peccato, quando lex fertur sub verbis præceptivis, qualia

sunt ista; *Iubemus, obligamus, præcipimus, mandamus, prohibemus, interdicimus debeant, teneantur, non potest, non licet, faciant, caveant, audiant, dicant, abstineant*, &c. A fortiori cùm dicitur, *præcipio in virtute sanctæ obedientiæ; sub interminatione divini iudicii, sub indignatione Dei, aut sanctorum Apostolorum, sub pœna æterna, sub pœna excõmunicationis maioris.* Quando lex fertur sub verbis istis, *moneo, hortor, rogo*, non contrahitur obligatio ad peccatum mortale; non enim sunt verba præcepti, sed potius consilii. Quoad verbum *oportet*; multi sentiunt illud non importare gravem obligationem, etiam in materiâ gravi, nisi illa appareat ex antecedentibus & consequentibus: alii volunt rectiùs illud importare regularitet obligationem ad peccatum mortale, nisi aliud constet de mente legislatoris per antecedentia & subsequentia, est enim illud verbum nota præcepti; unde in materiâ gravi probabilius est, quòd obliget sub peccato mortali. Quando, attentis his omnibus, aliquis dubitat, an lex obliget sub mortali, vel sub veniali; probabile tenet Navarrus, obligare tantùm sub veniali; sed probabilius tenent Toletus, Medina, Valentina & alii, taliter dubitantes obligari ad illam legem, ac si illa lex obligaret sub mortali.

QUÆSTIO V.

An Leges Humanæ obligent cum vitæ periculo?

ALIQUI putant, omnem legem humanam obligare cum periculo vitæ: Sic Cajetanus, cujus ratio est, quòd lex humana

obliget sub pœnâ peccati mortalis, & potiùs moriendum est, quam peccatum admittere. Alii volunt, legem humanam non posse obligare cum periculo vitæ; quia conservare vitam, est de lege naturæ; & lex naturæ præferenda est legi humanæ. Media est

CONCLUSIO.

ALIQUANDO Leges Humanæ obligant cum dispendio propriæ vitæ, aliquando non. Utrumque patet exemplo; primum scilicet in exemplo Ducis, qui in bello imperare potest militi, ut agat excubias in tali loco, nec stationem deserat, quocumque occurrente casu, etiam si immineat periculum vitæ; lex autem illa est verè humana formaliter, licet radicaliter emanet à lege naturali, ratione fidelitatis in observando pacto, quo se obligavit miles ad defendendam rempublicam, etiam cum dispendio vitæ. Est, inquam, naturalis radicaliter, quia oritur immediatè à Ducis præcepto, sine quo non plùs teneretur ille miles agere excubias, quàm alter; nec manere potiùs in hoc loco, quàm in alio: Exemplificatur de secundo; in lege jejunii & præcepto audiendi sacrum dispensamur ob necessitatem, infirmitatem & plurimas rationes. Nec dicat Cajetanus, nunquam licitum esse peccatum; quia in his casibus transgressio legis non est peccaminosa, nam in his occasionibus cessat ipsius obligatio, nec censetur legislator istos casus comprehendisse sub præcepto. Hoc patet ex lege divinâ; Christus enim v. g. præcepit integritatem confessionis, à quâ tamen dispensamur ob timorem legiti-

mum revelationis, & alias rationes de quibus egimus, loquentes de Confessione: à fortiori lex humana non censetur obligare semper cum periculo vitæ, vel alteriùs gravis damni, quod judicari debet tale per prudentem virum; ut sunt v. g. amissio membri, jactura famæ, detrimentum notabile boni temporalis, perturbatio pacis etiam inter privatos; hæc omnia tollunt obligationem legis humanæ.

Si quæratur autem, ex quo conjici possit, legem humanam obligare cum periculo vitæ: Afferunt Doctores duas responsiones. Primò, leges humanæ obligant cum periculo vitæ, quando observatio legis est moraliter necessaria ad conservandum bonum commune reipublicæ; naturalis enim ratio postulat, ut quælibet pars exponi possit periculo ad conservationem totius, ut patet de quolibet homine, qui exponit manus, brachia, & pedes, ut totum conservet; unde graviter miles peccaret, nedùm contra pactum, sed etiam contra præceptum Ducis, si stationem desereret in periculo subversionis exercitûs per hostes. Respondent secundò, legem esse servandam cum dispendio vitæ, quando ipsius violatio cedit in contemptũ Fidei, aut legis & potestatis Ecclesiasticæ; ita ut, si quis Catholicus manducaret carnes in Quadragesimâ, ut mortem vitaret, quam ipsi minatur hæreticus, peccaret mortaliter; quia censetur contemnere religionem, quod est intrinsecè malum, & nunquam licitum; unde Machabæi mortem prætulerunt manducationi carnis porcinæ.

Cajetanus, probare intendens, legem hu-

manam obligare cum periculo vitæ, affert plures leges, quæ taliter obligare videntur. Prohibetur, inquit, primò Sacerdoti, nè sine veste sacrâ & calice consecrato celebret; sed hoc non sic prohiberi respondeo, nisi hæreticus ad hoc cogeret in contemptum Religionis. Dicit secundò, absolutè prohiberi Matrimonium cum consanguinea; ubi dico, licitum esse contrahere cum illâ externo ritu; sed non licet consummare illud Matrimonium: primum inquam licet, quia tale Matrimonium in gradu prohibito ab Ecclesiâ prohibetur tantùm jure humano, quod non obligat cum periculo vitæ: consummare verò illud non licet; quia, cùm Matrimonium illud nullum sit, ob metum gravem, non potest consummari sine fornicatione. Vult tertiò, quòd Miles teneatur manere in suâ statione, ubi imminet mortis periculum; & Pastor in suâ parochiâ tempore pestis; sed hoc verum est ob bonum commune, quod postulat, ut potiùs consulatur aliorum vitæ spirituali, quàm suæ corporali, si alio modo ipsorum saluti succurri non potest; unde Joan. 10. habetur, *bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*: de milite respondimus anteà. Adjicit quartò, Innocentium III. declarare, ex metu non licere communicare cum excommunicato; sed Pontifex loquitur de metu levi; quòd si hoc intelligat de metu gravi, hoc est de communicatione in crimine, quæ nunquam licet; non loquitur autem de aliâ communicatione, quoniam in multis hoc licet casibus, qui enumerabuntur, loquendo de censuris. Quintò tandem proponit, Carthusianos non

posse carnes manducare ad suæ vitæ conservationem ; ad quod respondent multi , ad virandam mortem Carthusianos non tantùm posse, sed debere carnibus uti, modò non esset periculum scandali ; quòd scilicet hoc fieret in contemptum religionis: sic Covarruvias, Azorius , Salas , & alii ; quia, inquit Nicolaus III. cap. *exiit*, ab omni lege exempta est extrema necessitas ; & ut ait Azorius , in voto abstinendi à carnibus , subintelligitur naturaliter ista conditio , nisi esus carnium vitæ sit necessarius. Alii dicunt, & rectiùs, ni fallor, quòd licet ,ad talem carnium manducationem non teneantur ; tamen possunt illis uti in tali occasione, licet sanctiùs faciant, si abstinendo moriantur ; quia non tenentur vitam quovis modo conservare, sed illam postponere possunt sanctitati suæ professionis, ad conservandam vitæ disciplinam, & dandum virtutis exemplum.

Quæres , an aliquando liceat legem interpretari ? Anteà notandum est, duplicem esse interpretationem legis : Prima est simplex, qua in aliquo' casu particulari explicatur mens quam habuit legislator in lege condendâ : secunda vocatur ad æquitatem, seu per *Epikiam*, quâ explicatur mens quam legislator habuisset in aliquo casu, si illum prævidisset ; & est ex Arist. 5. Ethic. cap. 10. quædam emendatio legis universalis, in aliquo casu particulari, in quo deficere videtur, & quem casum non prævidit legislator. Verbi gratiâ si lex prohibeat, nè cives noctu arma deferant per urbem ; potest aliquis audiens hostes conscendere muros

civitatis ipsam devastaturos, domo exire armatus ut hostes depellat; & in hoc legem non violat, sed illam exponit per *Epikiam*, seu emendat in hoc casu, nè summum jus sit summa injuria.

Respondeo primò, in lege naturali, divinâ & humanâ potest fieri simplex interpretatio. In lege Naturali constat, ubi Doctores interpretantur de homicidio prohibito jure naturali, quòd possit fieri authoritate divinâ, & publicâ, sicut & ob conservationem vitæ propriæ. De lege Divinâ constat; per illam enim præcipitur integritas confessionis, à quâ quis censetur excusari, dùm adest periculum revelationis peccati, quod sit per interpretationem. De lege Humanâ clarum est; quia si possit fieri interpretatio in lege divinâ & naturali, à fortiori in lege humanâ.

Respondeo secundò, quòd interpretatio, quæ dicitur ad æquitatem, seu per *Epikiam*, locum non habeat in lege naturali, nec divinâ, sed in humanâ. Non habet locum primò in lege naturali, quia interpretatio ex æquitate est emendatio legis in aliquo casu particulari in quo deficit, ut patet in exemplo prælato; sed lex naturalis non deficit, quia non præcipit aliquid absolutè, sed cum debitis circumstantiis, aliàs non obligat: ergo interpretatio per *Epikiam* non cadit in legem naturalem. Neque etiam in legem divinam; quia talis interpretatio, seu correctio supponit defectum in aliquo casu particulari, quem non prævidit legislator; nullus autem est casus particularis quem Deus non præviderit. Quòd verò cadat *Epikia*

in legem humanam, patet; quia legislator humanus condens legem generalem pro totâ communitate, non potest prævidere omnes casus particulares eventuros, nec proinde legem omnibus accommodare; undè aliquando corrigenda est per *Epikiam*.

Respondeo tertiò, ut pateat ad quem spectet legem interpretati, quòd si evidens sit legem aliquam in aliquo casu non obligare, non est opus ad superiorem recurrere, sed subditus potest illam exponere, & agere in isto casu contra verba legis: Si non sit evidens, an lex obliget, & subditus maneat dubius, superiorem consulere debet, si potest; si non potest, debet agere juxta verba legis, nè agat contra conscientiam dubiam. Si subditus magis inclinet probabiliter in unam partem, debet adhuc recurrere ad superiorem, si adiri possit; si non possit adiri, probabiliorem sequatur. Si quæratur, an liceat interpretari Concilium Tridentinum, cùm hoc prohibeat Pius IV. in Bullâ confirmationis Concilii; Resp. affirmativè, unde Pontifex intelligendus est de commentariis authoritativè factis super Concilium; non de illis quæ reverenter in re dubiâ fiunt communiter. Si quæratur ulteriùs, an declarationes Cardinalium Concilii interpretum habeant vim legis; Resp. negativè, nisi publicentur in formâ; unde Urbanus VIII. decrevit die 11. Aug. an. 1632. nullam fidem illis esse adhibendam, neque in judicio, neque extra judicium, nisi solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis munitæ fuerint.

Quæres, in quibus cessèt obligatio legis? Respondeo, legem cessare vel ab intrinseco, id-est cessante fine quæ est anima legis; vel ab extrinseco, & hoc fit pluribus modis; nimirùm per revocationem, per contrariam consuetudinem, per dispensationem, & per privilegium, quibus addi potest non usus; si lex enim per decennium non fuerit ad usum reducta, cessasse videtur; modò intrà illud tempus casus aliqui intervenerint in quibus lex potuisset usitari. De his omnibus dicendum est.

Primò, cessante causâ finali legis, cessat ipsa lex; cessante enim causâ, cessat effectus. Sed, notandum est, quòd si causa & finis legis esset tantùm pro tempore aliquo, lex sopitur tantûm, & non desinit; sed elapso tempore, novas resumit vires, & non indiget novâ promulgatione. Si etiam sint plures causæ & fines legis, cessante unâ, non cessat lex; sed ratione causarum remanentium suum robur semper retinet. Quòd si causa legis cessèt pro uno particulari, & maneat pro aliis, lex non minùs obligat illam particularem personam: Lex, v. g. prohibet certam vestium pompam, ne depauperentur familiæ; ille qui tali periculo non subest, non minùs legem observare debet. Sic ob periculum Incontinentiæ prohibetur egressus Monialium, & ingressus ad illas; & ob periculum perversionis prohibetur universaliter lectio librorum hæreticorum; hæ leges afficiunt illas personas & illos casus, ubi non subest specialiter periculum, quod generaliter natum est subesse; finis enim legis est tollere & vitare periculum generale quod ma-

net, & non tantùm ſpeciale quod ceſſat: Unde ridiculi planè videntur illi qui dicunt, ceſſare legem jejunii reſpectu eorum, qui non tot experiuntur motus concupiſcentiæ manducando carnes, quot ſentiunt, piſcibus utendo: Ridiculi ſunt inquam; quia licet in tali lege abſit finis extrinſecus jejunii, nempè carnis mortificatio; non tamen deeſt finis intrinſecus, nempè honeſtas Temperantiæ. Ad id quod allegant, uſum piſcium augere concupiſcentiam; reſpondendum eſt, illum in jejunio non præcipi.

Secundò, per revocationem, ſeu per abrogationem leges deſinere ſolent. Abrogatio autem fieri poteſt per illum qui tulit legem, per ſucceſſorem, aut illius ſuperiorem; ſucceſſor enim & ſuperior legiſlatori æquivalent. Quòd Legiſlator legem abrogare poſſit, patet; quia lex, & vis obligandi legis pendet à legiſlatore, qui anteà voluit condere legem, & poſteà illam revocare peroptat. Revocatio fieri ſolet ob ingenii humani imbecillitatem, ſubditorum mutationem, & legum multitudinem. Ob ingenii noſtri tenuitatem; quia cùm omnia conſideranda non perſpicuè attendamus, temporis ſucceſſu videmus aliqua eſſe inutilia, quæ anteà videbantur utilia. Obſubditorum mutationes; illorum enim ingenia, inclinationes, occupationes, & negotia tot mutationibus ſunt obnoxia, ut leges modò illis proſint, modò obſint. Ob multitudinem denique legum, certas quaſdam revocant legiſlatores, nè populi onus nimium ſit & importabile. Licet Legiſlator revocare poſſit legem ſuam vel prædeceſſoris, etiam ſi ſit confirmata

per superiorem, v. g. per Papam (quia talis confirmatio est tantùm regulariter accidentalis, ad legis majorem authoritatem) non satis derogare censetur legi speciali, nec privilegio concesso, per clausulas generales, ut patet ex hac regulâ juris, *generi per speciem derogatur*; idest ex glosâ & doctoribus, lex specialis præcedens derogat legi generali subsequenti. Hoc determinavit Bonifacius VIII. c. 1. *de constit. in 6.* ubi expresè pronuntiat, statuta & constitutiones speciales non revocari per legem generalem, nisi de illis fiat specialis mentio. Hoc notandum est contra privilegiorum impugnatores.

Tertiò, per consuetudinem contrariam irritantur leges; consuetudo enim habet vim legis, *ff. de legibus lib* 1. *tit.* 1. *lege* 33. *diuturna consuetudo pro jure & lege observari solet:* sicut ergo lex posterior priorem abrogat, sic consuetudo legem. Hoc tamen intellige de legibus humanis; si enim fuerit consuetudo contraria legi naturali aut divinæ, est potius corruptela, quàm consuetudo; & tanto peior, quanto antiquior. Vocatur autem consuetudo jus quoddam moribus institutum, quod pro lege susciptur, eum deficit lex, inquit Isidorus apud Gratianum. Vel secundùm alios, est jus non scriptum, quod ex longo & continuo usu receptum est. Tria facere potest consuetudo; nimirùm veterem legem abrogare, novam instituere, dubiam interpretari. Ut hæc omnia faciat, debet esse rationabilis, antiqua, & aliquo modo obtinere consensum principis. Debet primò esse justa, c. *finali de consuetudine;*

quia habet vim legis & lex justa esse debet: sed quomodo justa esse potest, cùm abroget legem principis, quæ justa est? Respondeo, utramque posse censeri justam, propter diversas rationes probabiles; deinde lex potuit esse justa ab initio, & posteà propter varias mutationes potuit desinere esse justa & utilis; unde justior aliquando sequitur consuetudo, quæ etiamsi inceperit cum peccato, excusat tamen à peccato, quando legitimè & justè introducta est: justa autem censetur & rationabilis, quando ex unâ parte est utilis communitati, & ex aliâ non est contra legem naturalem aut divinam. Quantùm ad tempus quo consuetudo vim acquirit, distinguendum est; si introducatur à populo cum consensu expresso principis, nullum tempus requiritur, quia sufficientem vim dat illi voluntas principis. Si introducatur de consensu tantùm tacito vel præsumpto principis, jura exigunt regulariter decem annos contra legem civilem & quadraginta contra Ecclesiasticam. Non tamen hoc sic intellige, quòd subditi peccent toto illo tempore quod antecedit illos decem vel quadraginta annos, si admittant actus contra legem, & consuetudo non sit perfectè introducta: Sed hoc explicari debet de foro externo, quod scilicet subditi subjicerentur pœnis, si ante decem vel quadraginta annos violarent legem; licet in foro interno non peccarent, quando consuetudo ita invaluit, ut plerique viri justi, docti, & prudentes illam sequantur. Porrò, lex prohibens consuetudinem, abrogari potest per consuetudinem; nisi illa consuetudo quæ prohibetur per

legem, sit reprobata à lege, tamquam iniqua & irrationabilis, inquiunt Doctores; aliàs illa clausula quam addit legislator, *non obstante ullâ consuetudine*, intelligenda est de præexistente consuetudine: quòd si loquatur de subsequenti, in hoc casu lex non prohibet consuetudinem, nisi quamdiù principi placet, & non ampliùs illi placet quandò consuetudo contraria introducta est; quia censetur illam approbare tacitè vel expressè.

Quartò, per dispensationem legis obligatio cessat; dispensatio enim est actus iurisdictionis, quo aliquis eximitur ab obligatione legis, perseverante adhuc obligatione respectu aliorum; in quo dispensatio differt à legis revocatione, in quâ obligatio definit quantùm ad omnes. Dispensatio aliquando fit ad tempus, & tunc habet rationem suspensionis legis; aliquando in perpetuum, & tunc est exceptio legis. Aliquando fit in totum, ut quando alicui relaxatur culpa & pœna; aliquando tantùm in partem, ut cùm unum solum remittitur, & retinetur aliud. Quòd rationabilis possit fieri legis dispensatio, patet ex praxi continuâ Ecclesiæ, quæ regulariter dispensat; & ex vulgari usu principum, qui respectu multarum suarum legum obligationem suspendunt; patet denique ex Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reformat.* ubi docet expedire, quòd legis vinculum aliquando relaxetur. Soli superiores habentes iurisdictionem in foro externo dispensare possunt; uti sunt Papa, Episcopi saltem confirmati, Prælati regularium, imò & ipsorum Confessarij ex speciali privilegio, &

Principes sæculares; non autem Parochi regulariter, nisi ex commissione: quia non sunt Prælati, nec habent jurisdictionem in foro externo: possunt tamen aliquando declarare suas oves esse legitimè dispensatas propter necessitatem à lege jejunii, auditionis sacri, & vacationis à servili opere in die festo. Ad dispensationem requiritur voluntas interior dispensantis, quia actus agentium moralium non operantur ultra intentionem eorum; unde cùm aliquis cognoscit, se ficto animo esse dispensatum, non potest uti dispensatione, antequam renovetur seriò. Requiritur posteâ, quòd voluntas interior dispensantis manifestetur exteriùs; non posset enim quis exercere actum prohibitum, nisi sibi constaret se dispensatum esse à lege prohibente. Dispensatio tacita superioris aliquando sufficit; ut si pontifex præcipiat irregulari, ut missam celebret cognoscendo illum esse irregularem; censetur enim ipsum tacitè dispensare, iubendo actionem quæ non potest fieri sine dispensatione & ablatione impedimenti. Ut superior licitè dispenset, iusta causa requiritur, ex Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 5. de Reformat. Matrim.* ubi ordinat, dispensationes Matrimonii non nisi ex causâ concedi debere; & cap. 18. sess. 25. docet, dispensationes concedere sine justâ causâ, nil aliud esse, quàm unicuique ad leges transgrediendas præbere aditum; unde non sunt omittenda præclara D. Bernardi verba; lib. 3. de Considerat. cap. 4. in fine, *ubi necessitas urget, rationabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non pro-*

pria; nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio. Ratio hujus est, quia dispensatio talis sine causâ vergit in contemptum legis, in disciplinæ Ecclesiasticæ ruinam, & in justitiæ distributivæ detrimentum, distribuendo onera imparia; unde hoc est nocere bono communi. Causæ quæ justæ censentur ad concedendam dispensationem, sunt gloria Dei, bonum commune vel proximi, reparatio honoris, utilitas privata animæ & corporis illius qui dispensatur, ejusdem fragilitas, & similes, quæ iustæ censentur prudentum arbitrio; ubi attendendum est ad commune axioma, *Quòd sit melius de nimia pietate, quàm de severitate redargui.* Addunt Doctores pro causâ extrinsecâ, impositionem alicujus majoris pecuniæ pro bono communi Ecclesiæ distribuendæ; & hæc causa vulgò locum habet in dispensationibus circa Matrimonium. Quamvis illicita sit dispensatio quæ datur sine causâ, & sine cognitione causæ, tamen valida est, quando fit in lege humanâ, à se latâ, vel ab habente jurisdictionem æqualem; sicut enim lex à legislatore pendet in fieri, sic & in conservari; & sicut illam non condere potuit, sic & de illâ dispensare valet. Quia tamen hoc licitè facere non potest, non debet quis ab illo talem dispensationem exigere, nè ad peccatum proximum suum inducat. Quantùm ad potestatem dispensandi; diximus anteà, quòd ipsa competat omnibus jurisdictionem externam habentibus; & apud illos etiam delegandi potestas residet, & non apud alios, *L. More. ff. de iurisdictione*, ubi habetur, *more maiorum ita compa-*

ratum est, ut is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio, habet. Potest ergo quilibet superior ordinario jure dispensare super legem à se latam, idemque potest in jurisdictione successor, aut superior. Dixi, Superior in jurisdictione; & ob hoc, quia Archiepiscopi non sunt suis Suffraganeis superiores in jurisdictione, nisi in casu appellationis, sed tantùm in dignitate quâdam; ideò super leges istorum non possunt illi dispensare. Utrùm Papa dispensare possit super ea omnia quæ continentur in iure canonico, & quæ sunt Conciliis generalibus confirmata; hoc pendet ex illâ quæstione, an Papa sit supra Concilium. An verò inferiores Prælati possint dispensare super leges superiorum; hoc nequeunt regulariter, dispensatio enim est actus jurisdictionis, & nullam Episcopi, v. g. habent in Papam; undè, si Episcopi dispensent regulariter, in votis communibus; hoc illis conceditur ex usu Ecclesiæ, quæ rectum iudicavit, ut Episcopi nomine Dei talia vota relaxent, ob frequentes casus qui eveniunt. Aliquando tamen in legibus Papæ possunt dispensare Episcopi: Primò, quando in jure conceditur indefinitè potestas dispensandi; hoc potest intelligi de Episcopis, quia favores sunt ampliandi. Secundò, quando materia est levis; non est enim verisimile, quòd pro levibus astringat S. Pontifex, ut Romam quis adeat. Tertiò, quando dispensandi occurrit frequens necessitas, ut in legibus Jejunii, Festorum, & similibus; tunc enim ob bonum commune Papa censetur illam potestatem concessisse. Quartò, quando occurrit

gravis neceſſitas, ut pauperies, periculum hoſtium, honoris periclitatio in mulieribus, &c. Nec in his caſibus tenentur Epiſcopi procurare ſuis ſumptibus diſpenſationem; unde pro impedimentis occultis ante & poſt Matrimonium diſpenſare poſſunt in foro conſcientiæ. Porrò, licet ſuperiores ſuos ſubditos extra territorium diſpenſare poſſint; an poſſint alienigenas diſpenſare in ſuo territorio exiſtentes, diſtingui debet; hoc poſſe quidem facere in legibus communibus & municipalibus; ideſt, quæ ſpectant ad talem locum, ut ſunt Jejunia, Feſta, & ſimiles; non poſſe verò in particularibus iſtis, ſcilicet juramenti, voti, irregularitatis; iſta enim omnia quaſi perſonalia videntur, & ſuper exterorum perſonas Epiſcopi non habent juriſdictionem.

Per privilegium denique ceſſare videntur leges, ut patet per ethimologiam nominis; privilegium enim ita dicitur, quia privat lege, vel quia eſt lex privata, à lege communi diſpenſans. Privilegium differt à lege in his; quòd Lex ex ſuâ naturâ ſit perpetua, concedatur communitati perfectæ, ſolemniter promulgari debeat, vergat in bonum commune, & ſubditum obliget; Privilegium verò ad tempus concedi valeat, concedatur communitati imperfectæ, v. g. religionibus, non ſit promulgandum, vergat in bonum privatum, & privilegiatum non obliget (quia eſt gratia, non onus) niſi hoc præcipiatur in privilegio, aut niſi per illud privilegiatus habilis fiat ad actum lege præſcriptum; & ſic regulares per privilegium exempti à communi interdicto, tenentur uti

illo, ut missam audiant die Festo. Aliud est privilegium contra jus, quod scilicet dispensat à lege impositâ; ut quando quis dispensatur à lege jejunandi; aliud verò est non contra, sed præter jus, quod permittit aliquid quod non erat ex jure concessum; ut facultas prædicandi, absolvendi, dispensandi, &c. Privilegium ergo latiùs patet dispensatione; quia Dispensatio est contra jus, seu contra legem, dispensatio enim fit à lege obligante; & Privilegium se extendit tùm ad ea quæ sunt præter jus, tùm ad ea quæ sunt contra jus. Forma interna privilegii est intentio concedentis, externa verò regulariter est scriptura; unde vocatur aliquando Rescriptum, vel Indultum, aut Breve, aut Bulla: hoc tamen non impedit, quin concedi possint privilegia verbo tenus, quibus uti possint privilegiati in foro conscientiæ. Privilegium est vel personale, quod immediatè conceditur Personæ ratione sui, v. g. Petro, Paulo, &c. vel Reale, quod confertur directè alicui domo, templo, dignitati Episcopali, officio particulari, personæ fictæ, qualis est religio & religiosi, aut pupilli; pro tunc enim privilegia conceduntur non tam personis ratione sui, quàm ratione qualitatis & conditionis in quâ sunt. Si in formâ privilegii apponatur dignitas, & non fiat mentio personæ, ut quando dicit. Sedes Apostolica, *concedo Episcopo Baiocensi talem gratiam*, illud privilegium censetur reale, & transit ad successores; si verò dirigatur expressè ad personam, vel si innotescat, ad illam dirigi, per aliquas circumstantias præcedentes vel subsequentes, ut si habea-

tur, *tuam diligentiam agnoscentes, tibi Episcopo Bajocensi concedimus*; privilegium est personale, & ipso mortuo moritur. Quòd si hoc dignoscì nequeat, Doctores respondent, privilegium debere censeri reale, si non sit in præjudicium tertii, nec sit contra jus commune; quia tunc est beneficium ampliandum: si verò sit contra jus commune, aut tertio noceat, censeri debet personale & exspirans in morte privilegiati; quia est privilegium odiosum, quod restringi debet. Privilegium ille solus concedere valet, qui authoritatem obtinet publicam; & ille solus potest illud accipere, qui est superiori subditus: pro tunc autem potest uti privilegio extra territorium concedentis, ut patet de illo qui licentiam habet audiendi confessiones in Diœcesi Bajocensi, & potest audire quoscumque hujus Diœcesis extra illam; intellige hoc, modò non limitetur privilegium ad talem locum. Duplicitet conceditur privilegium; nimirùm ad instantiam, & ex motu proprio. Primum innotescit ex narratione supplicationis, quæ solet præcedere; secundum patet ex his verbis, *motu proprio, ex meâ nostrâ liberalitate, non ad instantiam*: quæ si non exprimuntur, privilegium censetur datum ad instantiam. Quando datur motu proprio, subreptitium nunquam censendum est; sed ut tale potest haberi, si detur ad instantiam; quia potest sub falsâ enuntiatione postulari. Privilegia non cessant per mortem concedentis, quia sunt gratia, & gratia semel accepta non dependet in conservari ab influxu donantis, nisi hoc exprimatur in concessione. Non

cessant etiam per cessationem causæ, sicut nec aliæ donationes; unde, donatio Decimarum alicui monasterio ob paupertatem, non cessat, cessante pauperie illius. Sed cessant privilegia primò per renuntiationem exteriùs factam & acceptatam; unde si quis renuntiaverit tantùm animo, vel non acceptetur renuntiatio externa, potest adhuc privilegio frui, si velit; quòd si privilegium sit in commodum alicujus statûs, non potest privata persona renuntiare suo privilegio; unde qui percuteret Clericum consentientem, non minùs excommunicationem incurreret. Privilegium non cessat per non usum privativum, quia habens privilegium non tenetur eo uti, nec illi conceditur sub hac restrictione; quòd si eo non utatur, illud amittat; si sit tamen in gravamen alterius, potest cessare per non usum, sufficienti elapso tempore, per quod præscriptio currere potest, sicut in qualibet aliâ servitute. Ad præscriptionem contra Laïcos, decem anni requiruntur inter præsentes, & viginti inter absentes; contra Ecclesiam requiruntur quadraginta anni, & centum contra Ecclesiam Romanam; contra Regulares jure communi requiruntur quadraginta anni, & ex privilegio Eugenii IV. sexaginta; immò, ex concessione factâ Benedictinorum monasterio Sancti Pauli extra muros Romæ, centum requiruntur; illi autem privilegio participant per communicationem alii regulares. Amittitur privilegium posteà per abusum; nam *ex cap. ubi, dist. 74. privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate:* sed ille abusus debet declarari per sententiam judicis, qui respectu

regularium est supremus Pontifex. Tandem privilegia cessare dicuntur per revocationem succedentis, & ipsius successoris aut superioris, maximè, si sint gratuitò concessa; si enim sunt remuneratoria, absolutè quidem revocari possunt, requiritur tamen gravis & urgens causa, ut rationabiliter revocentur; privilegia autem Regularium remuneratoria sunt; ut patet ex Bullâ Pii V. *& si mendicantium erdines*, ubi habet, *pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica sede (cujus continuè pacem & dignitatem ordines ipsi fortiter tutati sunt) tàm spiritualia, quàm temporalia subsidia acceperint*; sic etiam loquuntur alii Pontifices.

Quantùm ad privilegia Regularium; dicam tantùm, illa non esse revocata, quicquid dicant Antiregulares, hoc factum fuisse primò in Concilio Lateranensi, & deinde in Tridentino: Si enim in Lateranensi aliqua privilegia modificata fuerint, præcipue tamen in eo confirmata fuerunt, v. g. quòd possint audire Confessiones sæcularium, etiamsi injustè neget illis Episcopus approbationem, & hoc in omni tempore, etiam ut satisfiat præcepto annuæ Confessionis; immò & in infirmorum domo, dùm ab illis postulantur, absque eo quòd Pastores hoc impedire valeant, nec alia Sacramenta ægrotantibus negare. Hoc habetur in Bulla, *dum intra*, in Conc. 5. Lateran. Sess. 11. Quoad Concilium Tridentinum; verè quidem aliqua revocavit, præsertim illa quibus ab Episcoporum examine regulares erant liberi, sicut à præsentatione sui coram illis, ut acciperent absolvendi potesta-

tem, dùm ipsi Episcopi erant ultra duas diætas; posteà tamen Sess. 25. de Regular. addit Concilium, *in cæteris omnibus, præfatorum ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, fixa sint & illæsa.* Videant ergo adversarii, quòd in prædictis Conciliis abrogata non fuerint, sed confirmata Regularium privilegia. Quòd si Gregorius XIII. in Bullâ quæ incipit *in tanta rerum* certas quasdam gratias à Pio V. regularibus concessas revocaverit; ipsemet paulò post in Bullâ *quanto fructuosiùs*, quæ est 26. apud Rodericum; generaliter confirmavit ex certâ scientiâ omnia privilegia anteà regularibus concessa, non obstantibus quibuscumque contrariis constitutionibus. Si etiam Gregorius XV. privilegia regularium restringat in Bullâ *inscrutabilis*; illicò agnoscit, hoc non debere fieri; unde Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus præcipit, ut Regulares conservent in suis pristinis libertatibus & privilegiis: hæ autem declarationes in Bullario Romano existunt post præcedentem constitutionem. Adde quòd, Urbanus VIII. in Billâ *aliàs felicis* sub datâ 7. Febr. an. 1625. omnes & singulos articulos prædictæ constitutionis Gregorii XV. revocaverit, in his quæ contraria sunt exemptorum privilegiis. In Bullâ etiam *in plenitudinem* ex certâ scientiâ confirmavit Mendicantium privilegia, & præ cæteris *mare magnum*. Porrò, si alicubi per regulas generales, omnia ad jus commune revocantes, videantur talia privilegia abrogari: Notandum est, privilegia particularia non censeri revocata, nisi eorum revocationis fiat expressa men-

tio, sub his aut similibus verbis; *non obstantibus quibuscumque privilegiis, etsi in illis expressè caveatur, quòd non censeantur revocata, nisi de verbo ad verbum fiat illorum mentio.* Hoc habetur *cap. veniens, de Præscript.* ubi habetur, *privilegiis non existit derogatum, cùm de ipsis nulla fit mentio.* Quod etiam confirmat regula juris Canonici, *generi per speciem derogatur, non è contra*; hoc est, lex particularis derogat quidem legi universali; sed lex generalis particulari non derogat, nisi fiat de istâ mentio expressa; cujus ratio esse potest, quòd legislator possit præsumi, legem particularem ignorasse, & proinde non revocasse, quando legem universalem condidit. Si quærant aliqui, an Regularium privilegia à Rege nostro recepta fuerint; respondebitur illicò, D. Ludovicum Religiosos Mendicantes Parisiis acceptasse cum omnibus suis privilegiis; Ludovicum XIII. inter alios permisisse per sui Consilii edictum an. 1634. ut Regulares Rothomagæi uterentur omnibus privilegiis à Summo Pontifice concessis; & nuper Ludovicum XIV. per Edictum, datum an. 1645, die 11. Martii executioni mandari jussisse Breve Innocentii X. quo Regularibus Burdegalensibus licet absolvere intra quindenam Paschalem; quod quidem Breve incipit *exponi nobis nuper fecerunt*, 7. Febr. an. 1645.

DISPUTATIO TERTIA.

De Censuris.

QUONIAM diximus aliàs, triplicem esse legem; præceptivam scilicet, quâ aliquid jubetur sub culpâ tantùm, & non sub pœnâ; pœnalem aliam, quæ non præcipit actum, sed tantùm pœnam pronuntiat, si elicitus fuerit actus, ut cùm dicitur, si quis hoc fecerit, tali pœnæ subjaceat; tertiam denique, quæ mixta dicitur, quia præcipit actum sub aliqua pœna, vel illum prohibet; & tunc qui talem violant, & culpam contrahunt, & pœnæ subjiciuntur; Ex his sequitur, transgressores legum aliquibus pœnis subjacere; civilibus nimirùm, si leges, quæ infringuntur, civiles sint; & canonicis, si leges sunt Ecclesiasticæ. Postquam ergo de legibus loquuti fuimus in utraque disputatione præcedenti, in prima siquidem de legibus in genere, in secunda verò de qualibet lege in particulari; nunc de pœnis contra infractores legum dicere supereſt, maximè de Canonicis, quæ censuræ Ecclesiasticæ nominantur; aliæ enim ad nostrum institutum non spectant. Dicemus autem de illis & in genere & in specie per multas inquisitiones, quas quæstionibus generalibus subjiciemus brevitatis causa & claritatis.

QUÆT.

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in genere.

SICUT duplex est forum in Ecclesiâ, interius scilicet & exterius; sic duplex est potestas, quæ nomine clavium Ecclesiæ designatur: prima est potestas interna, quæ extenditur ad remittendum & retinendum peccatum in foro Pœnitentiæ; secunda est exterior, quæ extenditur ad ligandum vel solvendum per censuras Ecclesiasticas. Ut potestas utraque ritè exerceatur, duplex requiritur actus, quorum unus consistit in discussione causæ, & dicitur clavis Scientiæ; alius verò consistit in validâ & licitâ pronuntiatione sententiæ, & vocatur clavis Potestatis. Hoc posito,

Quæres primò, quid sit Censura secundùm nomen? Resp. nomen censuræ deduci à censorum munere: Censores autem apud Romanos erant morum magistri, à censendo & arbitrando sic dicti; ad illorum quippe officium pertinebat civium mores perquirere, malos emendare, & indignos ab honoribus deponere. Ab illo ergo munere vox censuræ derivatur, quæ idem est ac severa correctio, seu mulcta aliqua, quæ loco pœnæ imponitur ab Ecclesiâ, ad Ecclesiasticæ disciplinæ manutenentiam.

Quæres secundò, an sit in Ecclesiâ potestas ferendi Censuram. Resp. affirmativè; Matthæi enim 16. collata est potestas Apostolis

ligandi, his verbis scilicet; *quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis*: verba autem ista sunt generalia, inquit Bellarminus lib. 1. de Summo Pontif. cap. 15. & alii: ergo possunt extendi ad forum externum in quo ferantur Censuræ, quando hoc exigit bonum Ecclesiæ regimen. Hoc confirmatur ex Concilio Constantiensi, in quo Uvicleffus hoc negans, condemnatus fuit; sicut ex communi usu Pontificum; immò, Urbanus primus in Epistolâ Decretali ad universos Episcopos, mentionem facit Excommunicationis; & ante ipsum Pontificem, Canon Apostolorum quartus decimus, ubi habetur, *si quis clericus in cauponâ cibum capere deprehensus fuerit, à communione excludatur.* Hoc & habetur in pluribus aliis Apostolorum Canonibus. Sic Patres tradunt, Paulum 1. Cor. 5. incestuosum excommunicasse, dùm ibi dixit; *judicavi, congregatis vobis in nomine Domini, & meo spiritu cum virtute Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum, ut spiritus salvus sit in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Primæ etiam ad Timoth. 1. excommunicavit Alexandrum & Himenæum, dicens; *ex quibus* (qui extra fidem naufragaverunt) *est Himenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare,*

Quæres tertiò, quid sit Censura? Resp. quòd sit *pœna spiritualis, privans hominem baptisatum usu aliquorum bonorum spiritualium; non quidem perpetua, sed quæ posita emendatione tolli debeat; & hoc in ordine ad salutem. Pœna* tenet locum generis, quia omnis Censura

est pœna, non tamen omnis pœna est Censura, ut patet de Irregularitate, Suspensione, Degradatione, & Cessatione à Divinis, quæ sunt pœnæ spirituales, non tamen sunt censuræ, ut dicimus. Dicitur secundò, *spiritualis*; quia est pœna animæ, quæ nunquam imponitur, nisi ratione criminis. Dicitur tertiò, *privans hominem baptisatum*; subjectum enim censuræ est fidelis, qui per Baptismum fit subditus Ecclesiæ; non infidelis, qui cùm non sit intra Ecclesiam, ipsius jurisdictioni non subjicitur. Dicitur quartò, *privans usu aliquorum bonorum spiritualium*; non tendit enim ad temporalia per se, ut leges civiles, quæ pœnas temporales imponunt, pecuniarias scilicet vel corporeas; ubi leges Ecclesiasticæ privant aliquibus bonis spiritualibus, ut usu Sacramentorum, Suffragiorum participatione, Ecclesiasticorum munerum exercitio, &c. non tamen omnibus bonis privant, sed tantùm externis; non internis, qualia sunt caracter, gratia, virtutes, actiones meritoriæ; hæc enim omnia non possunt auferri ab homine invito; unde excommunicatus aliquis potest actum contritionis elicere circa omnia sua peccata, & circa illud propter quod excommunicationem contraxit; & pro tunc censebitur absolutus in foro interiori, eritque in gratia, & poterit mereri; licet non sit absolutus in foro exteriori ab excommunicatione, quæ cùm remaneat aliquando post recuperatam gratiam, privat adhuc hominem etiam justificatum bonis spiritualibus externis. Quòd si illum privet bonis temporalibus, nimirùm usu beneficii, salutatione, honore, aliorum

communicatione, hoc est semper in ordine ad spiritualia. Dicitur quintò, *non perpetua, sed quæ possit tolli posita emendatione*; Censuræ enim sunt pœnæ medicinales, quæ relaxari debent, positâ sanitate; unde Depositio & Degradatio, quæ de se perpetuæ sunt, non sunt Censuræ; quia privant hominem, non tantùm usu, sed potestate utendi bonis spiritualibus. Subjungitur denique, *in ordine ad salutem*; ut ostendatur mens Ecclesiæ, quæ non intendit per Censuras animæ damnationem, sed resipiscentiam à contumaciâ, & abstinentiam à peccatis, in quorum pœnam injungitur Censura.

Quæres quartò, quotuplex sit Censura? Multi sentiunt sex esse Censuras; nempè Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum, Depositionem, Degradationem, & Irregularitatem, maximè illam, quæ contrahitur ex delicto. Melius tamen est, si dicamus, tres tantùm esse; nimirùm Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum; Innocentius enim III. *cap. quærenti, de verborum significatione*, interrogatus, quid nomine Censuræ in Pontificum rescriptis esset intelligendum, respondit, non solùm Interdictum, sed & Excommunicationem & Suspensionem intelligi debere; si autem præter has essent aliæ, non sufficienter Pontifex quæstioni propositæ respondisset. Dicendum ergo est, quòd Irregularitas non sit propriè Censura; quia non tam est pœna, quàm inhabilitas & indecentia quædam ad Ordines suscipiendos, & exercendos, & ad Ecclesiastica munera obeunda. Depositio & Degradatio non sunt etiam Censuræ; nam Censura ex suâ

institutione aufertur positâ resipiscentiâ; Degradatio verò & Depositio carent spe remissionis, & si darentur cum spe illas revocandi ad tempus, essent aliquod genus Suspensionis; sed communiter Degradati & Depositi non rehabilitantur; unde istæ pœnæ vocantur vinculum indissolubile, & censuræ vinculum dissolubile. Distinguntur Depositio & Degradatio secundùm magis & minus; si enim aliquis amoveatur à particulari & determinato gradu Clericali, alio remanente, illa pœna vocatur Degradatio; & sic quando quis privatur celebratione Missæ, potest adhuc officium Diaconi exercere: si ab omnibus gradibus amoveatur, est Depositio. Quoad cessationem à divinis, non est Censura; quia non imponitur per modum pœnæ, sed per modum luctûs ob injuriam Deo vel Ecclesiæ illatam. Porrò, licet Excommunicatio, Suspensio & Interdictum privent iisdem bonis spiritualibus; diversæ tamen sunt censuræ, quia diversa subjecta respiciunt. Interdictum enim respicit loca sacra in ordine ad personas, quæ dùm morantur in loco interdicto, arcentur ab auditione sacri v. g. vel celebratione; Suspensio respicit Clericos; & Excommunicatio tùm Clericos tùm Laïcos.

Quæres quintò, quis possit ferre Censuras? Resp. primò, quòd potestas ordinaria ferendi Censuras resideat penes illos qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo, quales sunt Summus Pontifex, respectu omnium fidelium; Episcopi, respectu Diœcesanorum; Legati Pontificis, in provinciâ suæ legatio-

nis ; Vicarius Episcopi, quia habet idem tribunal cum Episcopo ; Capitulum sede vacante, quia Episcopo succedit in jurisdictione ; Vicarius Capituli, eamdem cum Capitulo habens jurisdictionem ; Abbates & Archipresbyteri, quibus ex jure speciali communicata est in certis locis jurisdictio Episcopalis ; Concilia Generalia & Provincialia ; Capitula Generalia & Provincialia Regularium ; Generales, Provinciales, & Prælati locales, quales sunt Guardiani, ut habetur in statutis Generalibus nostri Franciscani Ordinis, cap. 6. ſſ. 20. Parochi autem, qui non sunt Prælati, nec habent jurisdictionem externam, ferre Censuras non possunt. Resp. secundò, commissionem ferendi Censuras non posse delegari nisi viatori ; quia Censura est gladius jurisdictionis Ecclesiæ militantis, quo non potest percutere nisi ille qui existit in Ecclesiâ militante. Non potest etiam delegari illi qui caret usu rationis, cùm non possit habere actum jurisdictionis, ad quem requiritur cognitio causæ. Non potest deinde ad Censuram ferendam deputari infidelis ; cùm enim non habeat Baptismum, qui est ingressus Ecclesiæ, jurisdictone Ecclesiasticâ uti non potest. Nec Laïcus, ut patet *ex cap. decernimus, de iudiciis*, sicut *& ex cap. Ecclesia, de constitutionibus*. Nec fœmina, *cap. de monialibus, de sentent. excommun.* ubi habetur, illas non posse à Censuris absolvere subditas : ergo nec ferre Excommunicationem. Unde si legatur, Abbatissas suspendisse ; respondet Bonacina cum aliis, non fuisse veram Censuram, quâ violatâ, incurreretur Irregularitas ; sed fuit

tantùm quædam prohibitio emanans, non à jurisdictione, sed à quadam simplici commissione, quam habent ab Ecclesiâ in ordine ad correctionem & disciplinam domesticam subditarum. Ob hoc Doctores apud Bonacinam citati sentiunt, Prælatas Monialium non posse sub peccato mortali præcipere id quod non esset aliàs peccatum, nisi ex potestate domesticâ, & œconomicâ gubernatione. An autem Summus Pontifex possit absolutè jurisdictionem illam conferre fœminæ; affirmat Bonacina cum multis; aliqui negant. Resp. tertiò, quemcumque Clericum posse ex commissione ferre Censuras; habens enim tantùm primam tonsuram, est capax Ecclesiasticæ jurisdictionis; modò non sit conjugatus, quia conjugati non possunt admitti ad negotia Ecclesiastica. Idem dicendum est de Religiosis professis non clericis, ac de laïcis sæculi, quòd non possint ferre censuras, nisi ex dispensatione Summi Pontificis, qui potest in jure humano dispensare, non verò Episcopi, qui non potest dispensare supra legem superioris.

Quæres sexto; quis possit Censuris ligari? Respondeo primò, quòd debeat esse viator; unde mortuus ligari non potest Censurâ, nam Matth. 18. habetur, *quæcumque ligaveritis super terram, &c.* mortui autem non sunt super terram. Dùm ergo Ecclesia privat peccatorem publicum sepulturâ & suffragiis, & eum absolvit post mortem ab Excommunicatione contractâ ante mortem; non est quòd Ecclesia illum liget Excommunicatione directè; sed tantùm indirectè; non habet enim in mortuos, nisi

jurisdictionem indirectam ; unde mortuos non excommunicat ; sed prohibet, nè vivi pro illis orent, aut donent illis sepulturam ; nec etiam absolvit ; sed concedit viventibus, ut pro illis orent & ipsum sepeliant. Resp. secundò, quòd debeat esse baptisatus ; non baptisati enim non subjiciuntur legibus nec pœnis Ecclesiasticis, etiamsi Catechumeni sint, quia nondùm sunt in Ecclesiâ : secùs dicendum est de Hæreticis, quia manent sub Ecclesiæ jurisdictione ratione caracteris, qui indelebilis est. Resp. tertiò, debere esse adultum ; pro tunc enim peccare potest mortaliter : ergo & ligari Censurâ in pœnam peccati latâ, sivè sit lata à jure, sivè ab homine ; cum hac tamen distinctione, quòd adulti impuberes, idest ante duodecimum annum pro fœminis, & quartum decimum pro masculis, non possint licitè ligari Excommunicatione ab homine, licet possint validè, sicut licitè & validè possunt subjici Interdicto, quod non est tam gravis pœna, ac Excommunicatio. Resp. quartò, Censuram Excommunicationis non posse ferri, nisi in determinatam personam, non verò in Capitulum aut Communitatem. c. *Romana de sentent. Excommunicationis in* 6. Suspensio autem & Interdictum in Communitatem ferri possunt. Ratio hujus est ; quia Excommunicatio est gravis pœna, quæ privat suffragiis & auxiliis Ecclesiæ, animæ multùm necessariis ; ergo non debet ferri indifferenter in reos & innocentes : Suspensio autem privat tantùm ab officio & beneficio, & Interdictum à celebratione & auditione divinorum officiorum ; unde non est

contra justitiam, si per accidens ferantur in innocentes.

Quòd si aliquando feratur Excommunicatio in Collegium, semper exprimitur peccatum ob quod fertur Excommunicatio, & sic ligat tantùm reos, non alios; ut si v. g. ferretur Excommunicatio in Parisienses non obedientes Pontifici; hoc est excommunicare personas privatas quæ parere recusant. Resp. quintò, quòd debeat esse subditus illi qui fert censuram; unde habentes privilegium à Summo Pontifice, quo dispensantur ab Episcoporum jurisdictione, ab illis non possunt ligari censurâ, sed tantùm à superioribus suis, qui ligare possunt suos subditos per præceptum, ubicumque peccent, quia illorum potestas nullo loco arctatur; Episcopi verò subditum extra suum territorium peccantem innodare non possunt ullâ censurâ, *c. 2. de constitutionibus in 6.* Si tamen post reditum, ab Episcopo citatus non obediat, ligari potest. Resp. sextò, quod eadem persona pluribus censuris ligari queat sivè sint ejusdem rationis; v. g. pluribus Excommunicationibus, sivè sint diversæ, ut Excommunicatione & Suspensione; quamvis enim una censura privet aliquando bonis omnibus spiritualibus, alia privat virtualiter & novo titulo, sicut peccator per nova peccata actualia novo titulo gratiâ privatur.

Quæres septimò, quænam sit materia ob quam censura possit ferri. Resp. primò, debere esse peccatum mortale, ut feratur gravis censura, v. g. Excommunicatio major, Suspensio & Interdictum ad longum tempus: pro pec-

cato tamen veniali ferri potest Excommunicatio minor, quæ contrahitur ob levem in civilibus communicationem cum nominatim excommunicato; sic dicendum de Suspensione & Interdicto ad breve tempus. Ratio utriusque est, quia justitia distributiva vetat, ut levi delicto gravis pœna infligatur. Resp. secundò, quod quando superior actionem ex se indifferentem prohibet sub Excommunicatione, censetur illam prohibere sub peccato mortali, cui pro pœnâ annectit Excommunicationem; non potest tamen illa actio prohiberi sub Excommunicatione, nec sub peccato mortali, si sit levis in se, & levis maneat in ordine ad finem; jus enim naturale aut divinum non obligant ad peccatum ob levem materiam: ergo nec jus humanum. Resp. tertiò, quod peccatum debeat esse proprium, ut contrahatur Excommunicatio, quæ est gravissima pœna; licet pro peccato alieno Suspensio & Interdictum ferri possint, & consequenter suspendi & interdici Communitas, non verò excommunicari: in casu autem Interdicti & Suspensionis, quæ pro peccato alieno feruntur, non puniuntur propriè Innocentes, sed delinquentes puniuntur in personâ insontium. Resp. quartò, censuram non posse ferri ob peccatum merè internum, de occultis enim non judicat Ecclesia in foro externo; potest tamen pro actu externo, qui debet informari essentialiter actu interno: sic possunt censurâ ligari qui officium non recitant cum attentione, qui non confitentur cum dolore, qui ex odio aut spe lucri puniunt innocentem; & tunc non ligatur censurâ actus

internus per se, sed quatenùs dicit ordinem ad actum externum quem informat. Quando ergo actus internus est de substantiâ actûs externi, tunc ille qui omittit actum internum, & elicit externum censurâ innodari potest; v. g. si esset lata Excommunicatio contra eos qui non audiunt Missam, aut non recitant officium; illi qui non audirent aut recitarent cum attentione, essent excommunicati, quia attentio est de substantiâ utriusque. Quando verò actus internus non est de substantiâ actûs externi, qui elicit actum externum sine interno, non incurrit censuram; unde si ferretur Excommunicatio contra non communicantes & non confitentes in Paschate, indignè communicantes non incurrerent illam; nam substantiam præcepti adimplet indignè communicans; non sic autem de Confessione, quia essentialiter requirit quod sit valida; & ideò qui confessionem non integram, aut aliâ circumstantiâ essentiali carentem ederet, incurreret Excommunicationem. Respondeo, quintò, peccatum debere esse completum, & effectum suum habere; leges enim pœnales benignius explicandæ sunt; unde qui scienter indignum eligit, non excommunicatur, nisi ad suum votum sequatur indigni electio; sic habetur *c. perpetuo, de elect. in 6.* nisi aliud in lege feratur; unde accuratè attendendus est legis tenor, ita quòd si excommunicetur in lege homicida, percutiens & vulnerans non continetur sub lege; si excommunicatur vulnerans, non ligatur ille qui sine vulnere percutit; si excommunicatur faciens, non innodatur mandans; si autem mandantes ex-

communicantur, & non sequatur effectus, distinguendum est; si enim effectus est principaliter prohibitus in lege, mandatum verò est tantùm accessoriè prohibitum, ut in Excommunicatione latâ contra percussores clericorum, mandantes talem percussionem non excommunicantur, nisi sequuto effectu; ubi verò mandatum & consilium principaliter prohibentur sub Excommunicatione, ut in illâ quæ fertur contra mandantes homicidium per assasinos, tales mandantes excommunicantur, etiamsi effectus non sequatur: si autem dubitetur, an mandatum vel actus æqualiter prohibeantur; credendum est, mandatum esse tantùm accessorium, & sic non incurri Excommunicationem, nisi effectus sequatur; quia rigores benigniùs sunt explicandi.

Quæres octavò, quænam forma observari debeat, dùm censura fertur. Resp. primò, censuram ferri debere à judice, non per solum actum voluntatis, sed per signa externa; quia quamdiù censura non exprimitur, ignoratur; ignorantia autem à censurâ excusat. Resp. secundò, censuram debere ferri per verba quæ determinatam personam afficiant, si sit Excommunicatio, vel determinatam communitatem, si sit Interdictum; unde Excommunicatio lata sub his verbis, *excommunico, vel excommunico ex decem unum, aut unum ex illis qui arma deferunt noctu*, est invalida; cùm enim non constet de intentione superioris, nullus censetur excommunicatus. Resp. tertiò, censuram latam sine scripturâ aut sine expressione causæ, esse quidem validam, quia omittitur forma tan-

tùm accidentalis; est tamen illicita, & peccat mortaliter qui taliter agit; immo incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, *ex cap. 1. cum medicinalis. De sententiâ Excommunicationis in 6.* ubi etiam suspenditur pro tali tempore ille qui reo petenti exemplar scripturæ, non tradit intra mensem. Debet autem in scriptis ferri censura, quia per eam ligatus potest ad superiorem recurrere, qui non potest judicare de censurâ, nisi illi nota sit. Resp. quartò, quod admonitio debeat præcedere Excommunicationem, *ex cap. sacro, de sententiâ excommunicationis*; debet etiam præcedere Suspensionem, *ex cap. reprehensibilis, de appellationibus*; debet denique præcedere Interdictum, *ex cap. statutum, de sententiâ excommunicationis*. Sed notandum est, quòd pro futuris culpis admonitio non sit distincta à lege; quia lex ipsa non ignorata admonet, aliàs nunquam incurreretur censura *ipso facto*, si admonitio à lege distincta requireretur. In censuris autem quæ feruntur pro culpis præteritis, requiritur admonitio distincta à lege; quæ debet fieri ipsi reo; aut saltem tali modo, ut reus ad notitiam censuræ pervenire possit: hoc patet *ex cap. Romana, de sententia excommunicationis in 6. & ex cap. sacro, de sententia excommunicationis in 6.* Resp. quintò, quod triplex admonitio requiratur ad ferendam censuram, *ex cap. constitutionem, de sententia excommunicationis in 6.* cujus ratio desumitur ex Matth. 18. ubi Christus jubet peccatorem priùs corrigi debere secretò, deinde adhiberi testes, & denique denuntiari Ecclesiæ. Plura tamen no-

monitionem, quia facit contra prohibitionem juris in re gravi; non propterea tamen invalida est. Resp. tertio, censuram materialiter injustam, esse invalidam, licet sit formaliter iusta: v. g. probatur per falsos testes aliquod crimen, propter quod judex Excommunicationem tulit; illa sententia est invalida, quia est injusta materialiter, cùm feratur in materiam injustè imputatam; est tamen formaliter justa, quia judex sufficientia habet testimonia pro suâ censurâ, licet sint falsa. Resp. quarto, in hoc casu innocentem servare debere censuram in foro externo, si sit periculum scandali, & aliàs videretur contemptor censuræ, ubi autem non daretur scandalum, potest illam non servare, & omnia facere in conscientiâ, quæ ante illam sententiam fecisset. Resp. quinto, quod si judex non omnino voluntariè, sed per metum censuram ferat, non minùs valida sit; modo habeat cum illo metu intentionem illam ferendi, sine quâ non esset valida; & in hoc casu metus non tollit simpliciter voluntarium, sed tantùm minuit.

Quæres decimo, an Ignorantia excuset, nè aliquis censuram contrahat? Notandum est, Ignorantiam esse triplicem; nimirùm juris, facti, & pœnæ. Quando nescitur lex, est ignorantia Juris; quando nescitur factum, est ignorantia Facti; quando nescitur pœna alligata facto per legem, est ignorantia Pœnæ: Petrus nescit, percussionem clerici esse prohibitam, adest ignorantia Juris; Petrus hoc sciens, percutit clericum, quem nesciebat clericum, adest cum cognitione juris ignorantia Facti; utrumque

ſciens, ignorat, an illa percuſſio ſit prohibita ſub cenſurâ, adeſt ignorantia Pœnæ. Ignorantia juris eſt duplex; vel juris communis, vel juris particularis; Petrus ignorat percuſſionem clerici eſſe prohibitam ſub excommunicatione, eſt ignorantia juris communis, quia illa lex eſt univerſalis; Petrus ignorat, ſacerdotes eſſe ſuſpenſos in Diœceſi Bajocenſi, qui cauponas ingrediuntur, eſt ignorantia juris particularis. Ignorantia tùm juris, tùm facti, ulteriùs duplex eſt; nimirùm vincibilis, & invincibilis: prima eſt ea quæ vinci poteſt per adhibitam diligentiam, ſic quando quis dubitat, an tali peccato annectatur cenſura, debet de illâ diligenter exquirere: ſecunda eſt quæ vinci non potuit, quia nihil aliquis unquam audivit de cenſurâ, nec ullo modo de illâ dubitavit. Tandem alia eſt ignorantia antecedens, quæ ſi abeſſet, non fieret actus: v. g. Petrus percutit Paulum, quem ignorat eſſe clericum, & quem non percuteret, ſi ipſum clericum ſciret: alia eſt concomitans, quæ ſi abeſſet, tamen actus fieret: v. g. Petrus percutit Petrum, quem putat laïcum & clericus eſt; attamen illum percuteret, etſi ſciret ipſum eſſe clericum. His poſitis, Reſp. quòd ignorantia invincibilis juris, ſivè ſit commune, ſivè ſit particulare, excuſet à cenſurâ; ſic habetur *cap. 2. de Conſtitutionibus in 6.* talis enim ignorantia excuſat à peccato: ergo & à pœnâ peccato annexâ. Ignorantia etiam facti excuſat à cenſurâ, *cap. ſi verò, de ſententia excommunicationis*; non eſt enim contumacia, dùm factum ignoratur; hinc Petrus percutiens Paulum, quem neſciebat eſſe cle-

ricum, non est excommunicatus. Ignorantia juris aut facti quæ est crassa, affectata, & vincibilis, non excusat à censurâ; nam habetur *cap. 2. ut animarum, de constitutionibus in 6.* quòd ignorantia, quæ non est crassa, excuset ab omnibus ordinariorum sententiis: ergo ignorantia crassa non excusat: Hinc Petrus dubitans probabiliter, an jus decernat Excommunicationem contra percussores clericorum, & an Paulus sit clericus; si illum percutiat cum tali dubio, cujus per suam diligentiam cognitionem habere potuit, non excusatur à censurâ. Ignorantia invincibilis pœnæ, seu censuræ annexæ facto, ab illâ excusat, ut patet ex dictis; quod etiam ad Irregularitatem extenditur, si proveniat ex delicto, quia talis ignorantia excusat à delicto, & sic ab irregularitate sequente delictum; aliæ autem Irregularitates non impediuntur per ignorantiam; & judex qui reum ad mortem condemnavit, non minùs fit irregularis, licet ignoret talem condemnationem involvere Irregularitatem. Ignorantia antecedens excusat à censura, quia excusat à peccato; ignorantia concomitans etiam excusat & Petrus, percutiens Paulum clericum, quem credebat laïcum, sic tamen dispositus est, ut si illum sciret clericum, non minùs illum percuteret, non incurrit censuram. Ratio est, quia censura non incurritur, nisi per opus externum; externa autem illa percussio, non tendit nisi in laïcum, vel saltem in clericum existimatum laïcum: ergo non incurritur censura, ex omnibus Doctoribus. Non sic dicendum est in hoc casu, ubi Petrus dicit,

loquens de Paulo qui clericus est, Volo occidere Paulum qui est laïcus, & etiam si sit clericus, volo adhuc ipsum occidere; in hoc enim casu contrahitur Excommunicatio, quia actus externus qui tendit in clericum, influitur ab actu interno actuali & voluntario actualiter, qui tendit etiam in clericum, ubi in suppositione casûs præcedentis, actus internus actualis, & actualis intentio tendit in laïcum, licet tenderet in clericum, si ut clericus cognosceretur. Quòd si Petrus lapidem projiciat ut percutiat Paulum clericum, & post adhibitam diligentiam Iacobum clericum percutiat, non incurrit excommunicationem; quia ad incurrendam censuram duo requiruntur, nempè voluntas & actus externus, ubi ad peccatum sola voluntas sufficit; sed respectu Pauli, fuit quidem intentio percutiendi ipsum, sed non fuit actus, quia non percussus fuit; & respectu Iacobi, fuit quidem actus, quia percussus fuit, sed non fuit intentio: ergo nullibi est excommunicatio: Petrus verò percutiens Iacobum clericum, quem credit esse Paulum etiam clericum, excommunicatur, quia & actus externus & actus internus tendunt semper in clericum.

Quæres ultimò, utrùm Impotentia, Metus, & Consensus partis impediant censuras? Resp. ad primum, Impotentiam faciendi id quod præcipitur sub censurâ, excusare ab illâ; excusat enim à peccato & à contumaciâ; quoniam ille qui non potest solvere debita, non peccat, nec est contumax, nec excommunicationem incurrit latam contra detentores boni alieni. Idem di-

cendum est, quando præceptum non potest impleri sine gravi incommodo. Si tamen teneatur quis intra mensem solvere debitum sub pœnâ Excommunicationis, & initio mensis solvere valeat, prævideatque fieri impotens ut solvat postea, incurrit excommunicationem; non quidem eo tempore quo consumit pecuniam quam poterat reddere creditori, sed in fine termini. Resp. ad secundum, Metum gravem dispensare à censurâ incurrendâ; excusat enim à peccato; quoniam Ecclesia non obligat cum tanto rigore: modò metus ille non incutiatur in contemptum fidei & religionis, tunc enim non est dispensatio à peccato aut censurâ, sed bonum commune religionis præferendum est bono privato & propriæ vitæ; secùs est, si actiones non fiant in contemptum religionis: Hinc Christiani apud Turcas detenti possunt naves remis ducere contra Fideles; & Clerici arma deferre metu mortis, in locis ubi hoc prohibetur sub pœnâ Excommunicationis: immò, si Adulterium esset prohibitum sub censurâ, posset quis metu mortis illud committere & non ligari illâ, licet peccaret contra Castitatem & Iustitiam; sic Bonacina & alii, contra Suarem negantem adulterum pro tunc à censurâ excusari. Resp. ad tertium, illum in cujus favorem concessa est censura, posse per suum consensum suspendere ipsius effectum; hæc tamen suspensio & prorogatio temporis non est actus jurisdictionis directè, sed tantùm indirectè, per substractionem materiæ ad certum tempus, & hæc est mens interpretativa judicis, qui censuram fert in favorem partis, & sic non intendit li-

gare, nisi ad mentem ejus pro quo censura fertur.

Quantùm ad censurarum effectus & absolutionem, dicemus loquendo de illis in particulari.

Quæstio II.

De Excommunicatione.

Postquam in quæstione præcedenti per multas quæstiunculas loquuti fuimus de censuris in se; nunc eodem stilo dicendum est de quâlibet, & primò de Excommunicatione.

Quæres primò, quid sit Excommunicatio? Resp. quòd sit censura Ecclesiastica quâ homo Christianus authoritate Ecclesiæ separatur ab Ecclesiasticâ communione fidelium. Hoc patet ex nominis significatione; excõmunicatus enim idem est, ac extra communionem factus. Interdictum privat tantùm divinis rebus & officiis, ut dicetur; Suspensio privat solùm Ecclesiastico ministerio; sed his omnibus privat Excommunicatio, & insuper privat communione fidelium; ideſt, privat communibus illis bonis quorum participatio pendet ex speciali intentione Ecclesiæ. Quædam enim sunt bona quorum participatio non pendet à peculiari intentione Ecclesiæ, sed immediatè pendet à gratiâ; ita quòd eo instanti quo quis per gratiam est Christo conjunctus, tanquam capiti, & aliis justis, tanquam membris, illicò fit talium bo-

norum particeps, juxta illud Pſ. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*; & patet etiam ex articulo fidei, qui admittit Communionem Sanctorum; illa autem bona opera ſunt orationes particulares, jejunia, ſatisfactiones, &c. & illis bonis communibus Eccleſiæ non privat Excommunicatio, niſi ratione peccati mortalis quod involvit, & ſi quis poſt contractam Excommunicationem contereretur, gratiam recuperaret, & ſic licet eſſet adhuc excommunicatus, talium bonorum eſſet ſemper particeps. Sunt verò alia bona communia quorum participatio pendet ex ſpeciali intentione Eccleſiæ, ut externa converſatio, mutuum colloquium, conventus in orationibus publicis, Sacramentorum paſſiva & activa participatio, fructus orationum & ſuffragiorum quæ à miniſtris Eccleſiæ fiunt nomine eius; his omnibus privat Excommunicatio, præſertim major.

Quotuplex ſit excommunicatio. Reſp. duplicem eſſe; majorem & minorem. Excommunicatio Major eſt ea, quæ privat participatione activâ & paſſivâ Sacramentorum, & communicatione hominum; ita quòd ille qui ſic excommunicatus eſt, non poſſit recipere, nec adminiſtrare Sacramenta, nec cum hominibus converſari. Excommunicatio Minor eſt cenſura privans tantùm participatione paſſivâ Sacramentorum, & vocatur minor, quia illa privat minoribus bonis; excommunicatus enim minori Excommunicatione, poteſt adminiſtrare Sacramenta & converſari cum aliis; licet etiam non poſſit ea recipere, & recipiens graviter peccet, non tamen recipiendo ſit irregularis. Qui

contraxit Excommunicationem minorem, non potest eligi ad gradus, dignitates, & officia Ecclesiastica; si tamen ad illa est electus, electio non est irrita, sed irritanda à judice, ut patet *ex cap. si celebrat. fin. cit. de Clerico excommunicato ministrante*: unde, si diximus anteà, & si habeatur *c. à nobis*, quòd tantùm à participatione Sacramentorum sit remotus, hoc intelligitur de effectu principali, quod non excludit ea quæ concomitantur. Excommunicatio minor potest ferri ab homine, hoc tamen non est in usu; immò non incurritur, nisi ob communicationem cum excommunicatis majori excommunicatione, *cap. nuper, de sentent. excommunicationis.* Quoad ipsius absolutiotem, dari potest per quemcumque, qui à mortalibus absolvere potest; nam *c. nuper de sentent. excommunic.* taliter excommunicatus absolvi potest à proprio Sacerdote; & in hac materiâ proprius Sacerdos est ille qui à mortalibus absolvere potest. Porrò, quandò in jure, vel alicubi, fit mentio de Excommunicatione, hoc sonat de majori, non de minori.

Quæres tertiò, an sit in Ecclesiâ excommunicandi potestas, quis possit excommunicationem ferre, quis excommunicari queat, & quid in Conciliis & jure intelligatur nomine Anathematis? Ad tria prima respondimus in quæstione præcedenti de censuris in genere. Resp. ad quartum, quod nomen, Anathema, sit æquivocum: Aliquando enim sumitur pro re aliquâ ab usu prophano separata, quæ Deo reservatur & dicatur; sic Iosue 6. *Sit civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino:* Aliquando su-

mitur prorè aliquâ execrabili, ut ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelisèt vobis præter quod evangelisavimus, Anathema sit*: sic etiam 1. Corinth. 12. *Nemo dicat Anathema Iesu*. In usu tandem Ecclesiæ, significat hominem, non minori, sed majori excommunicatione ligatum; ubi enim in Conciliis habetur, *si quis dixerit*, &c. *Anathema sit*; hoc est sit majoris excommunicationis vinculo ligatus. Interdùm etiam nomen Anathematis sumitur pro ipsa excommunicatione majori, ut quando habetur, talem hæreticum esse Anathemate percussum; hoc est, Excommunicatione majori ligatum. Non differunt ergo Excommunicatio major & Anathema quoad substantiam, nec quoad vinculum, licet differant accidentariò, penes gravitatem & solemnitates aliquas extrinsecas. Quoad solemnitates, inquam, differunt, quia Excommunicatio contrahitur, quoties fit peccatum cui annectitur censura; & cùm quis Anathematisatur, hoc fit ab homine cum publicis denuntiationibus ac ceremoniis exterioribus, quæ terrorem ac execrationem majorem incutiunt; differunt etiam quoad gravitatem delicti, quia cum jura & Concilia pronuntiant Anathema; hoc est semper contra graviora delicta, & præsetim contra Hæreticos.

Quæres quartò, quotuplex sit Excommunicatio major. Resp. primò, aliam esse generalem, quæ fertur generaliter quoad personas, ut quando dicitur, quicumque Incendiarius sit excommunicatus, illa fertur contra incendiarios omnes; & aliam particularem, quæ fertur in sin-

gularem personam, v. g. in Petrum, qui tale delictum admisit. Resp. secundò, aliam esse à jure, aliam ab homine; prima est illa quæ fertur mediante Canone, vel lege aliquâ permanenti, quæ habet rationem juris; secunda est illa quæ fertur ab homine, vel per statutum aliquod transitorium: prima non definit per mortem legislatoris, secunda cessat ipso mortuo, vel amoto ab officio, modò non sit contracta ante ipsius mortem. Resp. tertiò, dividi adhuc in justam & injustam; justa illa dicitur quæ nullâ circumstantiâ caret essentiali aut accidentali; injusta illa est, quæ habet aliquem defectum. Ista adhuc duplex est; nempè injusta valida, quæ caret aliquâ circumstantiâ tantùm extrinsecâ & accidentali; & injusta invalida, cujus defectus est essentialis. Si v. g. Excommunicatio feratur ex odio judicis, vel sine trinâ monitione, vel ob peccatum mortale sine contumaciâ, tunc Excommunicatio est quidem injusta, & peccarent mortaliter judices sic excommunicantes, quia regulas juris violant in re gravi; non est tamen invalida, quia illæ circumstantiæ sunt tantùm accidentales. Si verò feratur Excommunicatio sine intentione judicis, sine peccato mortali, & sine unâ saltem monitione, est injusta & invalida, quia hæ circumstantiæ sunt essentiales. Resp. quintò, quod alia sit excommunicatio latæ sententiæ, & alia ferendæ sententiæ, quæ aliter vocatur comminatoria. Prima exprimitur sub his verbis, *præcipio sub pœna excommunicationis ipso facto, ipso jure, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sub pœna excommunicationis statim incurrendæ*; vel

vel sub his verbis, *Excommunicationi subiaceat, excommunicationem incurrat, sit excommunicatus*; quia talia verba redolent imperativum, inquit Baldus contra Navarrum. Secunda significatur istis vocibus, *præcipio sub pœna excommunicationis* (ferendæ scilicet à judice) *qui hoc fecerit sit excommunicatus, excommunicabitur, communione privabitur, sub pœna Anathematis.*

Quæres quintò, quosnam effectus producat Excommunicatio? Multos certè, gravissimos, & multùm timendos. Primò, privat communione civili fidelium. Secundò, privat suffragiis Ecclesiæ. Tertiò, privat receptione Sacramentorum. Quartò, privat administratione illorum & celebratione Missæ. Quintò, privat communione Ecclesiasticâ in divinis officiis. Sextò, privat Ecclesiasticâ sepulturâ. Septimò, privat usu jurisdictionis. Octavò, arcet à beneficiis & fructibus illorum. Nonò, ab actionibus forensibus removet. Pauca tantùm de his omnibus dicere cogit affectata brevitas.

Quæres sextò, an Excommunicatio major communione civili fidelium privet. Resp. quod excommunicatus duplex sit; alius est vitandus, alius toleratus. Vitandus est ille qui nedum est nominatim excommunicatus per sententiam judicis, dicendo excommunico Petrum, vel talem Dominum, aut Pastorem talem, sed est insuper denuntiatus; hoc enim requirit Concil. Constant. in constitutione *ad evitanda scandala*, & Lateranense, constitutione *statuimus insuper*; unde post fulminationem Excommunicationis, ubi aliquis nominatim excommunica-

tur, requiritur sententia altera judicis denuntiativa, quæ publicari debet, & ante talem publicationem censetur toleratus ab Ecclesiâ & non vitandus; nisi sit notorius clerici percussor, inquit utrumque Concilium; pro tunc enim notorietas facti æquivalet denuntiationi, licet notorietas juris non sufficiat; unde ut percussor clerici sit vitandus, non requiritur quòd sit nominatim excommunicatus, nec sufficit quod cognoscatur clericum percussisse; sed requiritur ut talis percussio nullo titulo celari possit, in quo consistit notorietas facti; ita quòd si possit se excusare, dicens se percussisse joco, vel titulo defensionis, vel nesciviſſe illum esse clericum, non est notorius percussor clerici, notorietate facti; modò illæ excusationes sint probabiles. Cùm autem regulariter nulla clerici percussio reperiatur, in quâ aliqua harum excusationum nequeat inveniri, mos inolevit, ut nullus percussor clerici vitari debeat, nisi post sententiam judicis. Excommunicatus non vitandus, sed toleratus ille censetur, qui non est nominatim excommunicatus & denuntiatus. Resp. secundò, nominatim excommunicatos & denuntiatos esse arcendos à communione civili; si verò non sint nominatim excommunicati & insuper denuntiati, tali communione privari non debent. Secundum habetur ex supradictis, & primum *c. præcipuè q. 3.* & *cap. excommunicatos*, ubi Callistus Papa præcipit, nè aliquis cum illis communicet in oratione, cibo, potu, aut osculo, aut salutatione; *quia*, inquit, *quicumque in his, vel aliis prohibitis sciens excommunicatis communicaverit*;

juxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subjacebit. Isti autem casus, in quibus communicatio civilis cùm excommunicatis prohibetur, habentur hoc versu. *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* Qui in his communicat cum excommunicato excommunicatione majori, incurrit minorem, & majorem si communicet in crimine pro quo lata est excommunicatio; vel si communicet in officiis Ecclesiasticis cum excommunicato nominatim à Papâ, vel si prolata est sententia in aliquem & in omnes cum illo communicantes. Præcedens prohibitio excusationem habet in casibus sequenti carmine expressis. *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse: hæc Anathema faciunt, ne possit obesse.* Quia ponitur, *utile*, ideò potest commercium iniri cum Excommunicato, si sit utilitas corporalis aut spiritualis alterutrius; unde potest peti consilium ab excommunicato, si alteri desint; potest ab illo peti debitum, & ipse petere privatim, non juridicè, quia non admitti debet in judicio, licet contrarium fiat; licet petere medicinam à medico excommunicato; licet prosequi societatem anteà initam cum excommunicato; licet persuadere excommunicato, ut resipiscat. Ideò ponitur, *lex*; ut denotetur uxorem quæ est sub lege viri, cum illo posse communicare in debito teddendo, in cohabitatione, in mensâ, in colloquiis familiaribus, non in divinis; hoc vicissim licitum est marito, licet non sit sub lege uxoris; quia *cap. si verò, de sentent. excomm.* licet communicare cum excommunicato in societatis contractu anteà

nito : ergo à fortiori licet communicare in his quæ sequuntur Matrimonium. Per *utile* : servi, subditi, villici, filii, religiosi, milites possunt communicare cum Dominis, Heris, Patribus, Superioribus, Ducibus excommunicatis. Quod dicitur de filiis, intelligitur etiam de nepotibus & pronepotibus, & de filiis adoptivis, & illegitimis, immò, & affines qui sunt filiorum loco, ut Gener, Nurus, Privignus, Privigna, Pupillusque cum Tutore, conversari possunt; non verò filii spirituales cum patre, nec fratres cum fratribus, nec servus cum alio servo, nisi quatenus sunt in eâdem domo : hi omnes non possunt communicare simul in divinis, nisi in his quæ concernunt famulatum. Additur, *res ignorata*; ut pateat, ignorantiam dispensare, nè aliquis Excommunicationem minorem incurrat, ignorando, aut non advertendo aliquem esse excommunicatum; quando verò aliquis dubitat, an alter sit excommunicatus, non debet illum à consortio arcere; nefas enim est illum privare jure suo. Adjungitur, *Necessè*, quia metus gravis & necessitas excusant à peccato, & proinde, à præcepto cavendi ab excommunicatis; prohibetur enim tantùm communicatio peccaminosa, & stante necessitate aut gravi metu in tali communicatione non esset peccatum, nec excommunicatio minor. Si quæratur, an vitari debeant Hæretici qui sunt excommunicati à jure, propter hæresim? Resp. negativè, præsertim in Galliâ, Germaniâ, & aliis locis, ubi simul morantur Catholici cum Hæreticis. Ratio est, quia licet contraxerint excommuni-

cationem à jure, non tamen sunt nominatim communicati, nec denuntiati, quod utrumque requiritur: Unde Hieronymus à Sorbo, super compendium privilegiorum Mendicantium Verbo, *excommunicatio*, scribens, ait; *sed num Catholici Galliæ, aut Germaniæ, aliorumque regnorum qui cum Hæreticis manifestis participant in externo convictu, peccent, excommunicationem minorem incurrant, cum tales Lutherani & Calvinistæ sint notoriè excommunicati propter hæresim notoriam, & propter bullam cœna Domini? Respondetur, illos non peccare, & excusari propter consuetudinem, quæ dicitur optima legum interpres.* Quæ consuetudo cùm sciatur, & toleretur à summis pontificibus, excusat Catholicos illâ utentes. Sic & Dominicus Soto, Petrus Soto, Suares, Estius, Laïmannus, & alii.

Quæres septimò, an excommunicatus privetur suffragiis Ecclesiæ? Resp. non privari suffragiis Ecclesiæ, quatenùs fiunt ex intétione privatâ, & à privatâ personâ; sed privari suffragiis communibus, *ex cap. sacris, & ex c. A nobis, de sententia excommunicationis* Quod intellitur etiam de excommunicato contrito, nondùm absoluto; quia pro tunc manet excommunicatus & excommunicationis pœnæ subditus. An autem hoc verum sit pro excommunicato tolerato, controverruntur Doctores; Bonacina tenet, excommunicatum toleratum non arceri quidem à communicatione civili, sed privari communibus Ecclesiæ suffragiis: Alii autem sentiunt, non privari etiam suffragiis Ecclesiæ, maximè à tempore Constantiensis Concilii; sed,

salvâ pace istorum, constitutio Concilii Constantiensis nullo modo loquitur de participatione suffragiorum. Hæc tamen pœna suspenditur in die Veneris sanctâ, ubi publicæ orationes fiunt pro Hæreticis & Schismaticis, qui sunt excommunicati; non tamen loquitur de illis sub nomine excommunicatorum, ostendere cupiens, illos sic esse detestandos, ut ab Ecclesiæ ministris nominari noluerit, ex Bernardo tract. de gradibus humilitatis circa finem; *Viderint*, inquit, *in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia orare palam non audeat, quæ fidenter etiam pro Iudæis & Hæreticis & pro Gentilibus orat: cùm enim in Parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de Excommunicatis.* Dicendum ergo est, quòd aliquis, ut privata persona, privatas preces fundere possit pro Excommunicatis; quia Ecclesia hoc non prohibuit, & nimis durum esset prohibere, prorsusque derogans charitati fraternæ. Idem dicendum est de sacrificio missæ; quòd si primò spectetur, ut oblatum est in personâ Christi à Sacerdote, ut ministro ipsiusmet Christi, prosit excommunicato; quia hoc non impedit Ecclesia; si sumatur autem quantùm ad valorem provenientem ex parte Ecclesiæ & sacerdotis, ut est minister Ecclesiæ, non prodest excommunicato, quia ipsum Ecclesia privat communibus suffragiis: si denique consideretur sacrificium, ut à personâ privatâ oblatum, excommunicato prodest, ut diximus.

Quæres octavò, an excommunicatus privetur receptione Sacramentorum? Resp. ita privari, ut si durante Excommunicatione Sacramen-

tum recipiat, peccet mortaliter; quia *ex cap. cùm illorum, & cap. si quem. de sent. excommunic.* excommunicatus prohibetur recipere Sacramenta; dùm ergo illa recipit, peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi; potest tamen ab illo peccato excusari, quando illa recipit ad vitandam infamiam, vel scandalum, vel periculum mortis; quia Ecclesia non præcipit cum tanto incommodo, & præceptum naturale præponderat Ecclesiastico. Licet Excommunicatus peccet recipiendo Sacramentum, nulla tamen afficitur pœnâ in jure, nisi recipiendo Ordinem; tunc enim fit irregularis. Licet etiam Sacramentum non conferatur Excommunicato licitè, confertur tamen validè, quoad rem sacramenti, estò non conferatur quoad effectum sacramenti, nempè quoad gratiam; quoniam illud recipiens peccat mortaliter. Quòd valida sint sacramenta excommunicato ministrata, patet; quia adsunt materia, forma, & intentio ministri, quæ sufficiunt ad sacramentum conficiendum secundùm substantiam. Quòd Sacramentum in hac occasione non habeat suum effectum, constat, quia ex parte recipientis ponitur obex, nempè peccatum, ut diximus, nisi bonâ fide illud recipiat, ignorans inculpabiliter, se esse excommunicatum. Quantùm ad illos qui Sacramenta Excommunicatis administrant; dicendum est, quod illi qui ministrant Excommunicato tolerato, peccent quidem mortaliter, quia Sacramentum ministrant indigno; qui verò ea ministrant Excommunicato vitando, nedum peccant,

quia ministrant indigno; sed insuper incurrunt excommunicationem minorem, quia communicant in divinis cum Excommunicato.

Quæres nonò, utrùm excommunicato prohibeatur administratio Sacramentorum? Resp. primò, hoc illi prohiberi per se, *cap. illud, de clerico excommunicato*; per accidens tamen aliquando excusatur, v. g. dùm in articulo mortis, deficiente alio, ministrat Baptismum & Pœnitentiam, quæ necessaria sunt ad salutem: sed, supposito quòd illa ministret extra illum casum, quæri potest, an illa Sacramenta sint valida; ad quod Resp. secundò, quod si ministrentur ab Excommunicato tolerato, valida sunt; quia pro tunc constant materiâ, formâ, & intentione ministri. Hinc verum est quod aliàs diximus, validum esse Matrimonium, cui assistit Parochus toleratus & vitandus. Pœnitentia etiam ab Excommunicato tolerato collata, valida est; quia ex parte ministri remanet jurisdictio, & ex parte pœnitentis licitum est communicare cum Excommunicato tolerato, etiam in divinis. An peccet ille qui ab Excommunicato tolerato petit Sacramenta; respondent aliqui, non peccare; sivè ille à quo petuntur sit Parochus aut non, sivè sit extra necessitatem, sivè in necessitate; & ratio eorum est, quòd Conc. Constant. in constit. *ad evitanda scandala*, permittat communicationem in Sacramentis Excommunicato tolerato; ergo permittit, ut ab illis peti possint Sacramenta: aliàs, si fideles peccarent postulando & excommunicatus toleratus peccaret administrando, tenerentur fideles abstinere à par-

ticipatione Sacramentorum cum illo, ut vitaretur illud peccatum: unde dicendum est cum Bonacinâ, illam constitutionem esse directè in favorem fidelium, & indirectè in favorem excommunicati tolerati; sicque nec iste, nec illi peccare debent in illâ communicatione; modo excommunicatus non se ingerat suâ sponte ad illa ministranda. Hæc opinio mihi videtur probabilissima, licet multi contrarium sentiant. Resp. tertio, Sacramenta ab Excommunicato vitando collata, valida esse, ut diximus in præcedenti quæst. excommunicatus tamen vitandus qui illa confert, fit irregularis, ut habetur *cap. si Episcopus, & cap. 1. de sentent. & re judicata in 6.* est enim suspensus ab actibus sui ministerii; & exercens actum sui ministerii durante suspensione, fit irregularis. Excipiendum est Sacramentum Pœnitentiæ, quæ ad sui validitatem jurisdictionem exigit in ministrante; omnis autem jurisdictio auferetur ab Excommunicato vitando: ergo absolutio ab illo collata invalida est, excepto articulo mortis, in quo validatur, modo non adsit alius Sacerdos non excommunicatus, licet approbatus non sit. Confessio ergo facta Excommunicato vitando iteranda est, & exprimendum peccatum quod peccator commisit, scienter communicando in divinis cum excommunicato vitando, & explicanda est excommunicatio minor quam contraxit. Resp. quarto, petentem Sacramenta ab Excommunicato vitando, peccare, & incurrere minorem excommunicationem, ut diximus, quæ incurritur per communicationem cum illo: excusatur ta-

men casus extremæ necessitatis, in quo Baptismus v. g. qui necessarius est, conferri potest ab excommunicato tolerato, sicut & Pœnitentia: immò, aliqui sentiunt, posse conferri Eucharistiam ab illo, dicentes Ecclesiam nil prohibere cum tanto animæ detrimento; & addunt alii, Extremam-vnctionem posse ministrari, quando moribundus potest tantùm atteri, nec aliud Sacramentum recipere potest; quo de attrito fiat contritus.

Quæres decimò, utrùm Excommunicatus privetur divinis officiis? Resp. primò, ipsi prohiberi celebrationem missæ, *c. latores, c. sicut, c. fraternitati, de clerico excommunicato*, etiamsi sit toleratus; licet excuset urgens necessitas, ut metus gravis, periculum infamiæ, communio moribundi, cui non potest succurri per absolutionem Sacramentalem, nec alio modo, quippe qui est tantùm attritus & non potest recipere aliud Sacramentum, quo fiat contritus. Resp. secundò, privari etiam auditione Missæ, *c. ult. de sentent excomm. in 6.* excusaretur tamen ab illâ prohibitione per necessitatem, & sic non peccaret, inquit Bonacina, inserviendo Missæ, ubi alius inservire non potest, & necessario celebranda est Missa. Non peccat ergo mortaliter, dùm Missam non audit: si tamen absolutio de facili posset obtineri, & per ipsum staret, quominùs absolveretur, non vellem ipsum excusare à peccato; non quidem ratione omissionis præcepti, sed negligentiæ notabilis & contemptûs censuræ. Licet excommunicatus, etiam surdus, cæcus & mutus peccet mortaliter, dùm assistit Missæ, quia est moralite

præsens; Sacerdos tamen excommunicatus qui suâ authoritate est causa, ut in sui præsentiâ Missa celebretur, aut aliud divinum officium, irregularis est. Excommunicatus etiam admonitus à celebrante, ut exeat, incurrit novam excommunicationem reservatam Papæ, si non exeat. Resp. tertiò, quòd audientes Missam cum excommunicato vitando, peccent mortaliter, & minorem excommunicationem incurrant, quia participant in divinis cum excommunicato: & Sacerdos scienter celebrans coram illo, peccat, excommunicationem incurrit minorem, & ulteriùs interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, *ex cap. Episcopum, de privilegiis in 6.* Si adsit excommunicatus vitandus, dùm Sacerdos celebrat, admonendus est ut exeat; si nolit, per vim expellendus est, quamvis sit clericus; & in hoc non erit excommunicatio: si autem sine periculo non possit expelli, deserenda sunt divina officia, & Missa ante canonem; si post canonem, astantes exire debent, excepto inserviente, & Sacerdos debet prosequi sacrificium, cujus integritas est de jure divino; sumpto tamen Sacramento, in Sacristiam se recipere debet, ut ibi, quasi ab excommunicato sequestratus, orationes perficiat. Hæc omnia non intelliguntur de excommunicato ingrediente Ecclesiam, ut per illam transeat, nec de excommunicato tolerato, post Constantiense Concilium, nec quando excommunicatus vitandus in unâ capellâ audit sacrum, & alii in alio aliam Missam audiunt. Resp. quartò, quòd etiam excommunicatus vitandus à divinis aliis officiis arceri debeat; &

per divina officia, intelliguntur horæ canonicæ quæ publicè in choro persolvuntur, oratio publica, benedictiones solemnes, & cantus solemnis Epistolæ, vel Evangelii : non tamen prohibetur auditio concionis, *ex cap. responso, de sentent. excommunicationis* ; idem sentiunt aliqui de lectione Theologiæ aut Scripturæ. Propter prædicta, non minùs tenetur excommunicatus persolvere horas canonicas, quia pœna non datur in commodum rei ; non debet tamen dicere *Dominus vobiscum*, quia sunt verba personæ publicæ, nempè Diaconi aut Sacerdotis ; non fieret tamen in hoc irregularis, quidquid dicant Suares & Navarrus, quia levitas materiæ excusat à peccato & ab irregularitate. Potest insuper quis preces privatas fundere in templo, ubi orat privatim excommunicatus vitandus ; & tunc non dicetur communicare moraliter cum excommunicato : nam præsentia materialis excommunicati non conjungit moraliter orationes per modum unius. Resp. quintò, licet participatione in divinis privetur excommunicatus, non tamen privatur omni usu rerum sacrarum ; potest enim templum ingredi, dùm divina officia non persolvuntur publicè ; unde ejectio excommunicati ab Ecclesiâ, non est ab Ecclesiâ materiali, sed à formali, idest à participatione fidelium. Potest insuper benedicere mensæ, more Laïcorum ; Euchariſtiam adorare & uti imaginibus ; an vero possit uti aquâ benedictâ, hoc negant aliqui, dicentes esse quoddam Sacramentale.

Quæres undecimò, an excommunicatio

privet Ecclesiasticâ sepulturâ. Resp. affirmativè, *c. sacris, de sepult & Clement l. eodem tit.* quod tamen intelligitur de vitandis excommunicatis, qui sepulturâ Ecclesiasticâ privari debent: unde sepelientes excommunicatum vitandum peccant mortaliter, & incurrunt majorem excommunicationem, ex Clementinâ primâ *de sepulturis.* Sacerdos tamen qui inchoavit missam, non tenetur ipsam deserere, dùm affertur cadaver excommunicati in Ecclesiam; nec assistentes discedere tenentur, modo nec ille nec isti ullam actionem exerceant circa illud, v. g. ipsum aspergendo aquâ benedictâ, aut benedicendo, aut orando pro illo. Sepelientes excommunicatum toleratum non graviter peccant; quia in Concil. Constant. tantùm prohibetur communicatio cum excommunicatis nominatim denuntiatis. Si excommunicatus vitandus sit in loco sacro sepultus, exhumari debet, si ab aliis discerni possit, *cap. consuluisti, de consecrat. Eccles.* & si discerni nequeat, nec consequenter exhumari, locus reconciliari non minùs debet. Si excommunicatus ante mortem sufficientia signa doloris dederit, & ante absolutionem excommunicationis sepultus fuerit in loco sacro, potest sine exhumatione absolvi, verberato sepulchro; si verò nondùm inhumatum sit cadaver, ipsum verberandum est. Quamvis Hæretici non denuntiati possint citra violationem sacri loci in illo sepeliri, propter constitutionē Concilii Constant. privantur tamen aliundè Ecclesiasticâ sepulturâ; quatenùs scilicet notoriè mortui sunt in statu impio, nempè crimine Hæresis.

Quæres duodecimò, an excommunicati jurisdictione priventur? Resp. primò, excommunicatum vitandum carere omni actu jurisdictionis propriæ, *c. audivimus dist. 24. q. 1. & cap 1. de officio vicarii in 6.* Ex quo sequitur, excommunicatum vitandum non posse censuram ferre, nec ab eâ absolvere, nec ferre sententiam in judicio Ecclesiastico, sivè interno sivè externo, neque delegare; immò cessat ipsius delegatio; nisi delegatus rem jam anteà inchoavetit. Quantùm verò ad usum jurisdictionis impropriæ, illo non privatur; unde, potest assistere Matrimonio; & si sit Parochus, potest alteri talem facultatem delegare; potest etiam contractus facere, Matrimonium contrahere, licet cum peccato mortali, professionem emittere, & condere testamentum, nisi excommunicatus sit propter hæresim aut percussionem Cardinalium, *cap scisis in 6.* Resp. secundò, quòd excommunicati tolerati actus jurisdictionis sunt validi; graviter tamé peccat, cùm sponte se ingerit illos exercere. Resignatio beneficii facta ab excommunicato tolerato est valida, & etiam talis putatur esse, si fiat ab excommunicato vitando. Electio etiam, præsentatio, & collatio beneficii, facta ab excommunicato tolerato, valida est; & invalida, si fiat ab excommunicato vitando.

Quæres tertiodecimò, an excommunicatio privet beneficiis & eorum usu. Resp. primò, invalidam esse collationem & præsentationem beneficii factam excommunicato *cap. postulastis, de clerico excommunicato* Quod intelligitur etiam de tolerato, ex doctoribus; neque

etiam ab illâ invaliditate excusat ignorantia invincibilis; licet enim à culpâ dispenset, non tamen supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actûs, etiamsi Papa motu proprio illud conferret; nisi in illâ collatione ad cautelam dispenset ad hunc effectum, quod nequeunt facere Episcopi ad effectum particularem. Resp. secundò, collationem beneficii factam ab excommunicato esse invalidam, *cap. unico, nè sede vacante, in 6.* Idem dic de electione & præsentatione. Quòd si plures eligant, è quorum numero unus excommunicatus sit, electio est valida, modò absque suffragio excommunicati adsit suffragiorum numerus sufficiens; aliàs esset invalida. Resp. tertiò, invalidam esse collationem officii, tùm Ecclesiastici, tùm sæcularis, habentis annexam jurisdictionem, factam excommunicato; cùm enim prohibitum sit excommunicato actus jurisdictionis sæcularis exercere, quoniam jurisdictione privatur, ut colligitur *ex cap. præsidentes, de hæreticis in 6.* sic etiam debet impediri, nè ad dignitatem perveniat, ubi est jurisdictio. Cum duplici restrictione, inquit Bonacina; primo, quod si Papa conferat illi quem scit excommunicatum, dignitatem cui annectitur jurisdictio, talis collatio est valida, quia censetur Pontifex cum eo dispensare: secundo, quando quis succedit alicui dominio temporali, cui annexa est jurisdictio, illam valide recipit, non potest tamen illâ uti jurisdictione. Resp. quarto, validam esse collationem beneficii factam non excommunicato, qui excommunicationem contraxit, antequam illud acceptaret,

quia jura irritant tantùm collationem & electionem, non vero acceptationem. Qui autem excommunicatus erat, dùm facta est collatio, & antequam illud acceptet, absolvitur ab excommunicatione, illud retinere non potest; quia non habet titulum validum, & sine titulo beneficiũ retineri nequit. Si tamen in ipsâ acceptatione collatores in suâ voluntate maneant, tunc retineri potest beneficium. Resp. quinto, invalidam censeri à majori parte doctorum pensionem factam excommunicato; sicut enim est incapax aliorum privilegiorum, sic & pensionis; unde obtinenti pensionem à Summo Pontifice solet absolutio censurarũ concedi ad hunc effectum. Invalida etiam est permutatio beneficii facta ab excommunicato; nullum enim jus in beneficium habet. Qui beneficium vel pensionem obtinuit dùm est excommunicatus, debet petere absolutionem excõmunicationis, & posteà procurare ut beneficiũ vel pensio sibi de novo conferatur. Resp. sexto, licet non possit percipere fructus beneficii ille qui illud obtinuit dùm esset excommunicatus; si tamen in excommunicationem inciderit post acquisitum beneficium, non amittit fructus ejus ratione censuræ, nisi interveniat sententia judicis, nam hoc ex nullo jure habetur; immò, *in cap pastoralis, ff. verum*, habetur, quod fructus subtrahuntur excommunicato; quod denotat, non privari illis ipso facto, nec excommunicatum teneri se sponte abdicare à perceptione illorum; sed posse expectare judicis sententiam. Dixi, *ratione censu a*; quia si non exequatur munera sui officii, aut si Canonicus absit à choro,

etiam propter excommunicationem, tales fructus percipere non debet; si tamen cogatur abesse à choro propter excommunicationem injustam, illis non privatur; non est enim pœna, ubi non est culpa,

Quæres quartodecimò, quid sit excommunicatio minor, & quos effectus producat? Resp. primò, esse censuram Ecclesiasticam quæ privat fidelem excommunicatum participatione passivâ Sacramentorum tantùm; unde illi qui administrant Sacramenta in tali excommunicatione non peccant mortaliter aut venialiter; sed illa recipiens peccat mortaliter, sicut & ille qui ea ipsi ministrat. Resp. secundò, licet excommunicatio minor possit infligi ab homine, hoc tamen non fit; sed tantùm contrahitur per communicationem cum excommunicato vitando, excommunicatione majori irretito: non incurritur ergo ab illo qui communicat cum excommunicato excommunicatione minori. Licet illa communicatio sit tantùm venialis, non minùs incurritur excommunicatio minor, inquiunt Doctores, *ex cap. nuper de sentent. excommunicationis.* Resp. tertiò, quod duos effectus habeat ista excommunicatio; primus est, privare excommunicatum participatione passivâ Sacramentorum; unde, ut diximus, peccat illa recipiendo, nisi excusetur per ignorantiam, aut scandalum, aut aliud malum imminens, & si recipiat absolutionem, invalida est, nisi anteà ab excommunicatione absolvatur, ut fit communiter à quolibet qui ab hac excommunicatione absolvere potest. Secundus est, quòd privet electione, præsentatione,

& collatione passivâ beneficii aut dignitatis Ecclesiasticæ, quæ irritari debet à judice; licet præsentare, eligere, & conferre possit illa. Cùm excommunicatio minor habeat tantùm hos duos effectus, potest taliter excommunicatus communicare cum aliis fidelibus, divinis interesse, & absolvere à peccatis & à censuris, quia jurisdictione non privatur.

Quæres quintodecimò, quid dicendum sit de præcipuis excommunicationibus majoribus, & primò de illâ quæ contrahitur ob percussionem clerici. Resp. primò, quod in clericum manus violentas injicientes majorem incurrant excommunicationem Summo Pontifici reservatam, *ex can. si quis suadente*, 13. *q.* 4. Per violentam manuum injectionem, intelligitur omnis injuriosa violentia illata personæ clerici, aut monachi, vel rebus illi adhærentibus, quæ tanta sit, ut ablatâ excommunicatione censeretur peccatum mortale. Unde, qui clericum occidit, mutilat, vulnerat, percutit, sputum aut pulverem injicit in faciem, vestimenta adhærentia dilacerat, violenter detinet, cingulum ephippii incîdit, incurrit excommunicationem majorem; licet his actionibus consentiant clerici, quia semper sunt injuriosæ statui clericali, *ex cap. contingit*, 36. *de sentent. excommunitionis*; & ob hanc rationem excommunicatur clericus se ipsum percutiens ex irâ, modò illa percutio attingat gravitatem peccati mortalis. Resp. Secundò, nomine clerici & monachi, qui ponuntur in capite præfato, *si quis suadente*, multa intelligi; primò, nomine *clerici* omnes saltem qui primâ tonsurâ insigniti sunt,

etiam si sint conjugati : conjugati enim non bigami , modò deferant tonsuram & habitum clericalem , gaudent privilegio Canonis. Qui percutit clericum degradatum realiter, excommunicatus non censetur ; benè autem si sit degradatus tantùm verbaliter. Licet clericus sit suspensus, excommunicatus , & irregularis, ipsum percutiens excommunicatur ; tunc enim non amittit nomen clerici, aut privilegium Canonis. Nomine *monachi*, intelliguntur omnes religiosi & religiosæ, etiam conversi & conversæ , *c. Monachi , c. de Monialibus, de sentent. excomm.* immò & Novitii, *cap. religioso. eodem tit. in 6.* sicut etiam Tertiarij, qui, etsi non sint religiosi, tamen assumpto habitu monachali se mancipant obsequiis religiosorum, inquiunt Bonacina, noster Guillelmus Herinck , & alii. Hoc tamen non est verum de Tertiariis sancti Francisci , qui vivunt extra congregationem. Resp. tertiò, multos excusari ab illâ excommunicatione ; primò , illi qui percutiunt leviter , joco, irâ ita subitaneâ , ut peccatum mortale impediat. Secundò , qui percutit clericum causâ correctionis, modò hoc non faciat ex irâ , nec odio, nec excedat ita modum correctionis , ut peccet mortaliter ; *cap.* 1. *ex tenore , cap. cum voluntate, de sentent. excommunicationis.* Tertiò, quando clericus turpiter agit cum suâ matre , filiâ, uxore, sorore ; modò illum percutiat in flagranti delicto ; *cap si verò de sentent. excomm* & ad hoc sufficit quilibet actus turpis. Ratio quare hoc permittit Ecclesia , est , quia hoc non censetur fieri suadente Diabolo, sed ex justo dolore : extra autem illos

gradus non excusatur; immò, in istis non excusatur à peccato mortali, quia hoc facit authoritate privatâ; excusatur tamen ab excommunicatione Quartò, excusatur qui clericum percutit, quem invincibiliter ignorabat esse clericum. Quintò, ille adhuc excusatur, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ percutit clericum invasorem, ut defendat vitam, honorem, famam, pudicitiam, & alia bona sua, vel proximi. Denique excusantur illi qui percutiunt clericum non gestantem habitum & tonsuram clericalem, postquam ter ab Episcopo monitus est, ut illam deferat; vel clericum qui ter monitus non desistit à sæcularibus negotiis & procurationibus personarum sæcularium; vel clericum bigamum, quia bigamia privat privilegio canonis. Resp. ultimò, quantùm ad absolutionem hujus excommunicationis, quòd triplex sit percussio; levis scilicet, mediocris, & gravis. Levis non est ea quæ fit sine peccato mortali, sed quæ fit pugno, palmâ, pede, baculo, vel lapide; & fit sine vulnere, effractione dentis, suggillatione carnis, effusione multi sanguinis, & evulsione multorum capillorum: aliquando tamen ratione personæ læsæ, de levi fieret mediocris aut gravis, v. g. si in faciem Episcopi aut capitis monasterij impingeretur alapa. Mediocris illa est, quæ fit cum his omnibus. Gravis denique illa est, quæ fit cum mutilatione, maximâ effusione sanguinis ex membris vulneratis, vel cum notabili injuriâ personæ notabilis. De excommunicatione ob levem percussionem contractâ potest absolvere Episcopus, *cap. pervenit, de sentent. excomm.*

de aliis regulariter solus Summus Pontifex, *cap. si quis suadente diabolo*, aut Legatus à latere; Episcopi verò, quando recursus ad Summum Pontificem est impossibilis, physicè, vel moraliter; vel quando delictum est occultum; Concilium enim Tridentinum sess. 24. cap. 6, concedit Episcopis facultatem dispensandi in censuris occultis.

Quæres sextodecimò, quid dicendum sit de Excommunicatione, quæ contrahitur ex omissâ revelatione in monitoriis; Sunt multæ notatu dignæ excommunicationes, præter antecedentem. Prima est ea, quæ incurritur ob hæresim exteriùs manifestatam; si quis enim in mente tantùm de Fide malè sentiat, non est excommunicatus, quia Ecclesia non judicat de internis. Illa jure antiquo reservabatur Summo Pontifici, & Episcopi de istâ tantùm absolvebant, tamquam deputati à Summo Pontifice: de jure autem novo, hoc ad ipsos competit, & ad illam absolutionem deputare valent; & hæc censura extenditur ad fautores & defensores eorum, effectu sequuto. Secunda est illa, quæ incurritur à legentibus libros damnatos ob suspicionem hæresis, aut falsi dogmatis; & de istâ potest quilibet confessarius absolvere, quia non est reservata in jure; modò non sint libri Hæresiarchæ, vel de religione agant, aut contineant hæresim, aut falsum dogma contra mores; si enim unum horum in illis reperitur, excommunicatio regulariter Papæ reservatur. Hoc etiam extenditur ad detinentes & legentes curiositatis gratiâ, & ad legentes libros qui continent divinationes & sortile-

gia. Tertia incurritur propter duellum, quod qui committunt, excommunicantur illicò, ut habetur ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. & ex variis Summorum Pontificum constitutionibus. Hæc excommunicatio, à quâ absolvere possunt Episcopi, extenditur ad reges & dominos locorum, qui illud non prohibent; ad illos qui proponunt duellum, & illud acceptant, statim atque utrumque fit; ad socios, patrinos, & spectatores ex industriâ. Quarta est contra cogentes fœminam, viduam, aut virginem, ut monasterium ingrediatur (supple, ad religionem amplectendam) vel habitum suscipiat, vel emittat professionem. Hæc excommunicatio habetur in Conc. Trident. sess. 25. cap. 18. & illa non extenditur ad illos qui ad hoc viros cogunt, de hoc enim nullam mentionem facit Concilium, & odia sunt restringenda; nec ad illos qui incutiunt tantùm metum levem, aut gravem, ad quem non sequitur effectus. Ab hac excommunicatione nemini reservatâ absolvere potest quilibet confessarius; sicut & ab illâ quæ habetur loco Concilij citato contra illos qui impediunt fœminas, nè monasteria ingrediantur, ut Moniales fiant. Quintam incurrunt *Domini temporales & magistratus*, inquit Concilium Trident. Sess. 24. cap. 9. *quorum oculi mentis terrenis cupiditatibus ita affecti sunt, ut viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, quia divites sunt, minis & pœnis adigant cum illis Matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserent. Quare, cùm maximè nefarium sit, Matrimonij libertatem violare, & ab eis injurias*

nasci, à quibus jura expectantur, præcipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradûs, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœnâ, quam ipso facto incurrunt, nè quovis modo, directè, vel indirectè, subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominùs liberè Matrimonia contrahant. Hæc sunt verba Concilii notatu dignissima.

Aliud est solemne genus Excommunicationis, quam Concil. Tridentinum vocat *ad finem revelationis, sess. 25. cap. 3. de reformatione,* ubi Notandum est, quòd sicut ille qui aliena detinet ea restituere tenetur, sic & ille ad quod bonum injustè usurpatum pertinet, jure merito per quævis licita media contra detentores procedere valet, ut sibi fiat restitutio; cùm autem in foro civili testificationes illi desint, tanquam Christianus qui rem habet cum Christiano, ad Ecclesiasticam jurisdictionem recurrit. Ecclesia autem jus unicuique suorum reddere percupiens, Excommunicationem decernit contra injustos detentores, & in eâdem censurâ præcipit sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ post tres monitiones, omnibus & singulis rei detentæ & detentorum notitiam habentibus, ut factum revelent; quod si exequi noluerint, excommunicationis vinculo ligantur; sicut & ipse injustus detentor, qui non tenetur quidem se prodere, ne detrimentum famæ patiatur; sed partis læsæ damnum resarcire debet, aliàs excommunicationi subjacebit. Hoc ultimum habetur ex Navarro, in manuali, cap. 7. num. 100. *Author verò incendij, aut alterius delicti manifesti occultus, non*

sione bonorum, immò in hoc peccaret. Ratio est, quia non potest aliquid præcipi nec fieri contra jus divinum, vel naturale; jus autem naturale dictat, ut servetur secretum, nisi justa & rationabilis causa contrarium exigat; quæ duplex est, inquiunt Bonacina, & Canonicus Andegavensis in Tractatu quem recenter edidit de excommunicationibus; Prima, quando secretum est de crimine, non perpetrato, sed perpetrando, quod vergit in grave damnum reipublicæ, vel personæ privatæ, ut si quis v. g. confidentiam faciat amico, de intentione quam habet tradendi civitatem hostibus, regem occidendi, vel privatam personam; amicus ille debet denuntiare, etiam extra monitorium, inquit D. Thomas, etiamsi mors denuntiati inde sequi debeat, & denuntiator sit clericus, modò protestetur, se non intendere mortem rei. Sic *Navarrus, super caput inter verba, num. 222. Valentia tom. 3. in summam sancti Thomæ, disp. 3. quæst. 10. puncto 5. Bonacina disp. 2. quæst. 6. puncto 1. num. 7.* Sic etiam *prafatus Canonicus, fol. 249.* In his tamen, inquiunt, servanda est prudentia Christiana, ita ut talis revelatio non fiat, si aliter delictum queat impediri; & reveletur crimen, non persona, si hoc sufficiat; & semper correctio fraterna præcedat, excepto primo crimine læsæ majestatis; ait Lopes, ubi est periculum in morâ. Secunda causa est, si quis sciret impedimentum occultum Matrimonii, tunc ad revelationem teneretur, non obstante secreto, etiam si solus hoc cognosceret; quia in hac materiâ unus testis sufficit, ut habet glossa in Cap. *pratereà 2.*

de sponsal. sic omnes Doctores. Ratio fundans has exceptiones, petitur ex jure naturali, ex quo habemus, quòd obligatio minor de jure naturali, majori cedere debeat; fortior autem est obligatio conservandi bonum commune, aut impediendi grave damnum privatum, quàm observare secretum, cujus observatio cedit tantùm in vitam civilem, & aliud in vitam realem & physicam. Hi duo casus non intelliguntur de secreto Confessionis.

Resp. tertiò, excusatur quis ab excommunicatione, & alij à revelatione, quando in detentione boni alieni fit iusta compensatio; v. g. Petrus detinet decem nummos, qui sunt Joannis, & Joannes vi aut dolo detinet prædium Petri, vel aliam rem; Joannes tamen obtinet excommunicationem in Petrum (quem dicit esse detentorem boni alieni) & in non revelantes: in tali casu Petrus excommunicationem non incurrit, nec etiam illi qui non revelant; modò certò sciant, hoc fieri per justam compensationem. Ratio omnium doctorum est, quia sententia fertur tantùm in injustum detentorem, & in non revelantes illum: immò, inquiunt, nulla esset excommunicatio, etiam si Episcopus excommunicaret illos qui ad sui compensationem alienum detinerent; illa enim censura errorem intolerabilem contineret, ferendo pœnam gravem in illos qui non deliquerunt; & Episcopus in hoc peccaret, abuteudo authoritate Ecclesiæ, quæ intendit præcipere, ut quisquis habeat quod suum est. Caveri tamen debet, nè illa compensatio cum scandalo fiat, nè etiam fiat de bonis quæ depo-

nuntur apud Joannem, sed non sunt ipsius; nè tandem Petrus prævideat, quòd sine periculo, & sine pœnâ possit sibi revendicare prædium à Joanne usurpatum.

Resp. quarto, quando aliquis parti læsæ satisfacere non potest, pars lædens non subjicitur excommunicationi, nec illi qui factum aut debitum non revelant, hanc impotentiam agnoscentes; quia *cap. cognoscentes, de constit. rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Debitor tamen cautionem afferre debet, si possit; vel se obligare tenetur creditori, cum hac suppositione, quòd si solutionis capax efficiatur in posterum, soluturus sit reverà; ad hoc etiam procurandum tenentur illi qui debiti scientiam habent, aliàs & ille & isti excommunicatione ligantur.

Respondeo quintò, illos à revelatione dispensari, qui revelare nequeunt sine gravi damno, actuali vel imminenti; quod advenire sæpissimè potest, quando excommunicationes feruntur in dominos, judices, & talis authoritatis viros, qui revelantibus mortem, percussionem gravem, aut bonorum vastationem minantur: si tamen hæc non immineant, subditi non excusantur à revelatione contra dominos; contra illos enim recipiuntur in testes. Ratio hujus exceptionis est, quia unusquisque ad sui & suorum bonorum conservationem tenetur, tùm jure naturali, tùm ex motivo charitatis, cujus ordo exigit, ut Deum primò, nos postea, & proximum denique diligamus; & sic non intendit, quòd nos exponamus periculo, ut utilitatem temporalem aliorum

procuremus. Si tamen per illam revelationem grave damnum reipublicæ impediretur, aut notabilis illi afferretur utilitas, tunc bonum publicum privato præponderare debet, inquiunt Doctores.

Resp. sextò, à revelatione excusari parentes intra quartum gradum inclusivè, sivè illi gradus sint consanguinitatis, sivè affinitatis: sic Doctores, qui cùm loquantur indefinitè, intelligendi sunt de excusatione revelationis, tùm in civili, tùm in crimine, si excipiatur crimen hæreseos & læsæ majestatis in fieri. Ratio hujus veritatis duplex affertur; primò, quia si parentes in se invicem deponerent, ad familiæ suæ concurrerent detrimentum, quod est contra jus naturæ. Secundò, conservanda est unio inter parentes, & vitanda est inter illos discordia, ex præscripto naturæ; contrarium autem fieret, si in sese invicem deponerent aut revelarent. Hoc tamen intelligi vellem, si agatur de gravi damno; secùs si de levi. Excusantur etiam domestici, ubi imminet grave damnum herorum, nè pax domestica turbetur; non tamen filii spirituales, quia possunt esse testes in patres.

Resp. septimò, non tenentur revelare illi qui non sunt subditi Episcoporum, à quibus emanant excommunicationes. Nec illi qui audierunt delictum ab illo qui jam denuntiavit; ad inutile enim nemo tenetur. Nec illi, qui sciunt probabiliter nullum remedium esse adhibendum à judice, factâ revelatione; secùs, si de hoc tantùm sit dubitatio. Nec illi, qui certò sciunt delinquentem se emendasse, au parti læ-

fæ satisfeciſſe. Nec ille, qui ſolus vidit delictum, cujus probatio haberi non poteſt, quia *teſtis unus, teſtis nullus*; ſed pro tunc tantùm correctionem fraternam admittere debet, quia ſi revelaret delictum occultum, ſine ſpe ullius utilitatis, infamiâ notaret proximum. Nec illi qui excommunicationem ignorant bonâ fide: non dicuntur tamen illi ignorare bonâ fide excommunicationem, qui abſunt ex contemptu à Miſsâ Parochiali, in quâ monitiones excommunicationum publicantur; nec illi, qui dicunt, monitoria non fuiſſe publicata in ſuâ Parochiâ; eo enim ipſo, quo aliquis ſcit excommunicationem ferri, ut habeatur revelatio delicti, tenetur revelare, modò feratur intra Diœceſim; Epiſcopus enim hoc præcipit omnibus ſibi ſubditis, ſivè ſint ex illâ, vel illâ Parochiâ. Nec illi qui non verè ſciunt delictum; illi autem non verè dicuntur delictum cognoſcere, qui illud audierunt à viris levibus & fide non dignis; ſed ut aliquis dicatur verè delictum cognoſcere, illud vidiſſe debet, vel ſaltem audiviſſe ab iis qui ipſum viderunt.

Quæres ultimò, quis poſſit ab Excommunicatione abſolvere. Duæ ſunt Cenſurarum ſpecies; aliæ enim ſunt à jure, aliæ ab homine; illarum quæ ſunt à jure, aliæ ſunt reſervatæ in ipſo jure, aliæ non. Hoc poſito.

Reſp. primò, à cenſuris latis à jure, ſi reſervatæ ſunt, nullus poteſt abſolvere, niſi qui eas tulit, aut ejus ſuperior, aut ſucceſſor, aut ille qui de hoc per commiſſionem, aut privilegium, ſpecialem habet facultatem. Si ſententiæ, quæ ſunt à jure, nemini per ipſum jus re-

servantur, ab illis absolvere possunt omnes, qui absolvere possunt à mortalibus ; non quidem authoritate propriâ, cùm nullam habeant jurisdictionem externam, sed ex commissione juris latâ, *cap. nuper.* Excommunicationes denique quæ sunt ab homine, sivè per generalem sententiam, quales sunt illæ quæ per monitiones in illos feruntur, qui tale delictum perpetrarunt, sivè per particularem ; possunt tantùm ab illo absolvi, vel à successore, vel à superiore in dignitate.

Resp. secundò, in aliquibus casibus, illum qui excommunicavit, non posse absolvere ; delegatus enim qui excommunicavit inobedientem, post annum non potest eum absolvere, sed ad illum est recurrendum qui delegavit. Incendiarius etiam excommunicatus ab Episcopo, post denuntiationem, à Papâ absolvi debet, *cap. tua nos. de sentent. excommunicationis.* Quando Papa sententiam ab Episcopo latam certâ scientiâ confirmavit, Episcopus non potest absolvere. Pontifex alicui præcipiens, ut alium excommunicet sine cognitione causæ, illa censura reservatur Pontifici, quia Episcopus in hoc casu est purus executor. Quando denique Episcopus denuntiat spoliatorem Ecclesiæ cum effractione illius esse excommunicatum, talis excommunicatus à solo Pontifice absolvi potest.

Resp. tertiò, alias esse censuras reservatas Papæ, alias Episcopo. Illæ continentur in Bullâ Cœnæ, quæ sunt contra Hæreticos, Apostatas à fide, Fautores eorum, Legentes libros ipsorum qui agunt de religione, vel Retinen-

tes, contra Schismaticos, Appellantes ad futurum Concilium à sententiis Summi Pontificis, Judices sæculares trahentes Ecclesiasticos ad sua tribunalia, contra Falsarios litterarum Apostolicarum, contra Impedientes prælatos, nè Ecclesiasticâ jurisdictione utantur, contra surripientes Christianorum naufragantium bona, imponentes onera Ecclesiasticis, occupantes bona Ecclesiæ Romanæ, & similes. Aliæ excommunicationes, quæ Papæ reservantur, continentur in Decretalibus (nam in toto corpore decreti quod à Gratiano congestum est, invenitur tantùm una excommunicatio reservata Pontifici, quæ est contra clericorum percussores) in Clementinis & in extravagantibus. Quoad excommunicationes quæ reservantur Episcopis; sunt illæ quæ feruntur in constitutionibus synodalibus, & quæ fulminantur ab ipsis Episcopis.

Resp. quartò, ex Concilio Trid. sess. 24. *cap. 6. de reformat.* posse Episcopos absolvere à censuris Papæ reservatis, quando ortæ sunt ex delicto occulto & non deducto ad forum contentiosum. In variis etiam casibus possunt absolvere ab excommunicatione contractâ ob percussionem clerici: v. g. si quis sine periculo hostium non possit adire Summum Pontificem; si sint Pueri, si sint Monachi, si sint Mulieres, si sint Moniales, aut alii qui aliquâ impotentiâ notabili Romam adire impediuntur; si tamen impedimentum est temporaneum, Episcopus absolvens debet injungere reo, ut cessante impedimento, se præsentet summo Pontifici, ejusque pareat mandatis; alias in

excommunicationem reincidet, *cap. eos qui, de sententia excommunicationis. in 6.* Quando in jure reperitur excommunicatio reservata, & non exprimitur cui reservata sit; intelligi debet tantùm reservata Episcopo; odia enim sunt restringenda. Quando etiam in Constitutionibus Sydonalibus Episcopi aliquid præcipiunt sub pœnâ excommunicationis, & non sibi reservant talem excommunicationem, quilibet sacerdos approbatus in Diœcesi absolvere potest; quia est censura juris non reservata.

Resp. quintò, quòd licet in foro conscientiæ ab Excommunicatione juris occultâ, non reservatâ, possit absolvere omnis sacerdos approbatus; hoc tamen non impedit, quin possit sic absolutus deduci in forum contentiosum, & pœnis à jure latis contra excommunicatos subjacere. Superior etiam qui jurisdictionem externam habet, potest quidem, etiamsi non sit sacerdos, absolvere à sententiâ Excommunicationis, in foro externo; non potest tamen absolvere à delicto, nec à contumaciâ, ob quam contracta est Excommunicatio. Ut ergo in foro conscientiæ & litigioso absolvere queat, debet habere utramque jurisdictionem; internam scilicet, ut absolvat à peccato & à contumaciâ; & externam, ut absolvat ab Excommunicatione contractâ per peccatum; sed debet actus istius jurisdictionis præcedere, & absolvi excommunicatus à censurâ, priusquam à peccato; nam ille qui non est liber à censurâ, incapax est absolutionis sacramentalis, & cujuscumque alterius Sacra-

menti ; unde in forma absolutionis, absolutio censurarum præcedit absolutionem peccatorum.

Resp. sextò, Archiepiscopus non potest, nisi in duobus casibus, absolvere à censuris Suffraganeorum, quia licet sit illis superior in dignitate, non est tamen in jurisdictione. Sic habetur *can. nullus*, 9. *q.* 3. *nullus primas, vel metropolitanus Diœcesani Ecclesiam, vel Parochiam, aut aliquem de eius Parochiâ præsumat excommunicare, vel iudicare, vel aliquid agere absque eius consilio.* Si autem non possit excommunicare, neque absolvere potest ; *cuius enim est ligare, eius est solvere.* Primus casus in quo absolvere possunt Metropolitani, est in casu suæ visitationis, in quo casu Ordinarii vices gerunt, & absolvere possunt à censuris, & peccatis, *c. perpetuo de censibus in 6.* Indulgentiasque impendere, *c. nostro. de pœnit. & remiss.* Secundus reperitur in causâ appellationis ; tunc enim, si sententia Ordinarii sit injusta, ipsum absolvere potest Metropolitanus, *cap. venerabilibus, de sentent. excomm. in 6. ff. sanè* ; si verò justa sit, non per se ipsum absolvere debet, sed remittere ad Diœcesanum, à quo concedatur absolutio *cap. per tuas, de sentent. excomm.* si denique dubitetur, an sententia ordinarii justa sit, vel injusta, potest absolvere Archiepiscopus, ex eodem *cap. venerabilibus*, honestius tamen est, si excommunicatori deferat in hoc casu. Si in aliqua Diœcesi esset aliquis Archidiaconus, aut Archipresbyter, qui ex jure vel privilegio excommunicare posset, *non minùs tamen absolvere potest Episcopus*, inquit,

Gloſſa ſuper can. *nullus* . 9. q. 3. *quia Archidiaconus eſt Vicarius Epiſcopi.*

Reſp. ſeptimò, quòd non obſtante appellatione ab Ordinario ad Metropolitanum, Ordinarius appellantem adhuc abſolvere queat; ſic Innocentius IV. ſuper caput, *qua fronte*, ubi habetur, *licet judex dederit abſolutionis, tamen adhuc ſe intromittit de jurisdictione, ſcilicet quia abſolvit.* Ratio eſt, quia appellatio tantùm impedit ea quæ ſunt in præjudicium appellantis, non verò illa quæ illius utilitati cedunt. Quando aliquis ab Epiſcopo excommunicatus eſt ad inſtantiam partis, conſenſus ipſius partis facultatem non confert, ut ab alio, quàm à judice, abſolutio conferri valeat. Licet Vicarius Generalis commiſſionem Generalem habeat gerendi vices Epiſcopi in omnibus, non tamen excommunicationem ferre poteſt, neque abſolvere ab illâ, niſi ſpecialem habeat de his commiſſionem. Hoc habetur in Clementinis, *c. non poteſt, de procurat.*

Reſp. octavò, ut aliquis poſſit abſolvi, debet priùs læſæ parti ſatisfeciſſe actualiter, ſic habetur *c. ex parte* 1. *de verb. ſignific. ſi offenſa eſt manifeſta, non credimus ſatisfieri congruè, ut relaxetur ſententia: niſi priùs ſufficiens præſtetur emendatio.* Si facultates ſatisfaciendi deſint, intentio exigitur, & cautio ſatisfaciendi, antequam detur abſolutio; & ſi qui abſolvant abſque his conditionibus, peccant mortaliter, ad reſtitutionem tenentur, & per annum ſuſpenduntur ab officio, *ex can. peſſimam.* 23. q. 8. *Si quis Archiepiſcopus vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum ab officio*

Episcopali abstineat. Ibi sit quidem mentio de Incendiariis, sed hoc etiam intelligi debet pro illis delinquentibus excommunicatis, quorum delictum vergit in damnũ alterius. In extremâ necessitate, non exigitur satisfactio præcedens, nec cautio, quæ reperiri sæpiùs non potest; sed exigendum est saltem jusjurandum, quòd si aliquando satisfaciendi facultas suppetat, satisfactio fiet reverà. In mortis articulo, si periculum sit in morâ, sine præviâ satisfactione, à quocumque sacerdote potest absolvi moribundus, modò intentionem satisfaciendi & quantùm fieri potest cautionem præbeat. Licet autem, morte imminente, quilibet sacerdos possit de omnibus censuris absolvere, injungere tamen debet pœnitenti, ut accedente convalescentiâ, se, quamprimùm commodè fieri poterit, judici offerat, non quidem, ut de novo absolvatur, quia censetur absolutus, sed ut mandatum ipsius recipiat, & satisfaciat, prout justitia suadebit; aliàs in eamdem censuram eo ipso reincidet, ut hæc omnia habentur *c. eos qui. de sentent. excomm. in 6.* Porrò per articulum mortis, intelligendi sunt alii casus, ubi mors probabiliter evenire potest, ut in civitate obsessis, mare conscendentibus, iter aggredientibus periculosum, se pugnæ committentibus, parturientibus fœminis in partu periclitari solitis, &c.

Resp. nonò, requiri voluntatem pœnitentis, ut absolvi queat. Hoc primò requiritur in foro interiori Pœnitentiæ, ubi peccator absolvi nequit, nisi dolorem eliciat de peccato & absolutionem recipere velit. Hoc etiam in foro

exteriori exigitur ; debet enim Ecclesiæ suam obedientiam & conversionem manifestare, quod fit communiter per genuflexionem & prostrationem ; sic habetur , *cap. cùm aliquis*, 11. *quæst.* 3. *terra prostratus veniam postulat, & de futuris cautelam spondet.* An autem aliquis possit invitus absolvi ; hoc insinuare videtur Divus Thomas dist. 18. quæst. 2. art. 5. sed hoc debet intelligi , modò cessaverit peccatum & contumacia , & præcesserit satisfactio partis; aliàs absolvi non potest , quia censuræ causa manet ; nisi per talem censuram magis indurescat peccator , & pro tunc illam relaxare potest judex , sed discretè , inquit D. Thomas, loco præcitato.

Resp. decimò, quòd si aliquis multiplici excommunicatione innodetur , ab unâ absolvi potest , & non ab aliis ; quia ex Divo Thomâ hoc sentiente in 4. dist. 18. art. 5. nullam inter se excommunicationes habent connexionem: hoc ergo pendet ab intentione judicis , & à formâ pronuntiandi absolutionem. Unde si pœnitens pluribus excommunicationibus per eumdem judicem ligetur , si talis judex ab unâ absolvat , ab omnibus censetur absolvere, modò contrarium non constet , vel modò pœnitens non celaverit aliquam ex causis pro quibus aliquam excommunicationem contraxit , vel modò omnes excommunicationes exposuerit ; secùs enim faciens ab illis non censetur absolutus , nisi absolvens illas omnes agnoscat , aut etiam non cognoscendo eas, absolutionem ferat sub his terminis generalibus , aut illis æquivalentibus , *Absolvo te ab*

hac excommunicatione, & ab omnibus aliis quarum non habes memoriam. Dùm aliquis ab unâ censurâ absolvitur, & non ab aliâ, non propterea ad receptionem aut administrationem Sacramentorum rehabilitatur, sed adhuc prorsus remanet extra Ecclesiam. Porrò, absolutio sub falso prætextu collata, nulla est; quia judex absolvere non intendit, nisi cum justâ causâ.

Resp. undecimò, quòd duplex sit absolutio excommunicationis; una est simplex, quæ sine ullâ conditione traditur; alia est conditionata, quæ confertur ex conditione. Quod absolutio excommunicationis sub conditione præteritâ & præsenti valida sit, consentiunt omnes, sicut & absolutio peccatorum, & collatio Baptismi: an autem valida sit sub conditione de futuro; aliqui negant, alii probabiliùs affirmant; sic aliquando judex in monitoriis dicit, *Excommunicamus eos, qui de tali facto notitiam habent, nisi intra tale tempus revelationem emittant*: sicut ergo excommunicatio fertur aliquando sub conditione futurâ, sic & absolutio ejus sub eâdem conditione dari potest. Quod si absolutio sacramentalis non possit dari sub conditione de futuro; hoc est quia absolutio illa est sacramentalis instituta à Christo, quæ, positâ formâ, suspendi non potest; absolutio verò excommunicationis est sententia introducta à jure, sicut & ipsa excommunicatio; & ideò effectus ejus à voluntate judicis pendet, qui potest ita effectum absolutionis suspendere, ut positâ conditione, sequatur & ipsa absolutio.

Resp. duodecimò, ad excommunicationem conditionatam reduci illas excommunicationes, quarum una vocatur *ad cautelam*, & alia *ad reincidentiam*. Excommunicatio *ad cautelam* datur aliquando in casu appellationis; ubi verbi gratiâ appellatio fit de excommunicatione latâ ab Episcopo ad Archiepiscopum, vel Papam; tunc excommunicatus, prætendens censuram in se latam esse invalidam, ab Archiepiscopo postulat, ut absolvatur saltem ad cautelam, donec ultima pronuntietur sententia; & pro tunc Archiepiscopus *ad cautelam* absolvere potest, si velit; talis enim absolutio est pura gratia. Aliquando datur etiam absolutio *ad cautelam* in foro conscientiæ, in formâ scilicet absolutionis, ubi dicitur, *absolvo te à vinculo excommunicationis, si quam incurristi*, & hoc fit ut pœnitens sit capax absolutionis Sacramentalis. Aliquando denique datur in electionibus, illis scilicet qui electuri sunt, nè electio illorum sit invalida, si aliquâ excommunicatione innodarentur; & in hoc casu absolvuntur *ad cautelam*, & ad hunc tantùm effectum, undè posteà absolvi debent simpliciter. Absolutio *cum reincidentiâ* est ea quâ aliquis absolvitur sub aliquâ conditione apponendâ, quæ si non apponatur, in illam statim reincidit; ut quando in mortis articulo Sacerdos absolvit sub conditione, quòd posteà pœnitens, si convalescat, accedat superiorem & legitimum judicem, ut illi pareat.

Ex his omnibus quæ excommunicationis absolutionem concernunt, cognosci possunt

quæ de aliarum censurarum absolutione sentiendum est; unde pauca tantùm de illis dicere supersunt.

Quæstio III.

De Suspensione.

Suspensio est censura Ecclesiastica, quâ prohibetur Personæ Ecclesiasticæ exercitium sui Ordinis, Officii, aut Beneficii, in totum vel in partem, in tempus certum aut perpetuum, à judice, vel à jure. Ex quo patet, esse triplicem Suspensionem; Officii tantùm, v. g. prædicationis, Beneficii tantùm, & Officii & Beneficii simul; quæ omnia possunt cognosci, videndo tenorem censuræ. Quia Suspensio est censura Ecclesiastica, ferri debet ab habente jurisdictionem Ecclesiasticam externam, unde, Parochus suspendens Sacerdotem, nè Missam celebret in suâ Ecclesiâ, talis Suspensio non est propriè censura, & qui illam violaret, non fieret irregularis; sed est simplex prohibitio, quæ limitatur ad locum; ideſt, nè talis Sacerdos Missam celebret in Ecclesiâ Parochi. Suspensio una non includit aliam, quia suspensus ab Ordine seu ab Officio, non suspenditur à Beneficio, nec è contrà: Suspensus etiam ab uno actu, non suspenditur ab alio. & sic suspensus ab officio prædicationis; non suspenditur à celebratione Missæ: suspensus etiam à majoribus, non suspenditur à minoribus, benè è contrà. Violando suspensionem, committitur

peccatum mortale, & incurritur irregularitas. Quoad casus in quibus incurritur Suspensio, videndi sunt Casuistæ. Quoad absolutionem ejus ; dico quòd si sit lata ab homine, qui eam tulit potest absolvere, vel superior, aut ejus successor. Quòd si judex tulerit censuram, donec peccator satisfacerit, vel pœnitentiam egerit, vel debitam ætatem attigerit ; his impletis conditionibus, cessat. Quando etiam fulminatur Suspensio pro aliquo tempore, illo expleto cessat. Quoad Suspensiones latas à jure, à quibusdam potest absolvere Episcopus, v. g. si crimina sunt occulta ; ab aliis solus Summus Pontifex potest, v. g. ubi crimina sunt notoria. Videantur ea quæ diximus de absolutione excommunicationis.

Quæstio IV.

De Interdicto.

Interdictum est pœna Ecclesiastica, quâ in aliquâ terrâ, vel Ecclesiâ, vel personis interdicitur administratio Sacramentorum, celebratio divinorum officiorum, aut executio aliquorum spiritualium, v. g. prædicationis. Interdictum vel est locale tantùm, vel personale tantùm ; vel locale & personale simul. Primum est, quando prohibetur celebratio divinorum in tali, vel tali loco. Secundum est, quando celebratio divinorum prohibetur Ecclesiasticis talis urbis, vel talis Ecclesiæ. Tertium est, quando celebratio divinorum prohibetur

personis hujus loci, vel in hoc loco. Quicunque violant interdictum, peccant mortaliter; & si sint clerici in sacris Ordinibus, incurrunt irregularitatem; si verò sint in minoribus Ordinibus, non incurrunt, quia lex fertur tantùm in clericos majores. Interdictum loci non includit interdictum populi; unde solo loco interdicto populus potest audire sacrum alibi. Interdictum populi non includit etiam interdictum loci; unde licet sacerdos & populus talis urbis interdicantur, externi possunt audire sacrum in eodem loco, etiam januis patentibus. Interdicto clero, non interdicitur locus, nec laïci; nec interdicto populo, interdicitur clerus. Quando interdictum fertur pro urbe, fertur etiam pro suburbiis. Quando fertur pro Ecclesiâ, fertur etiam pro sacellis & cæmeteriis contiguis, non tamen pro clero. Per interdictum prohibentur omnia divina officia, sacramenta & sepultura Ecclesiastica. Plura non dicam de Interdicto, quia conditiones ejus communiter feruntur in literis in quibus fertur interdictum; deinde, non est sæpè in usu.

QUÆSTIO V.

Quid sit Irregularitas?

IRREGULARITAS non est censura Ecclesiastica, nec pœna canonica, sed est impedimentum, seu inhabilitas inducta à jure canonico, impediens receptionem Ordinum, vel usum

corum. Quia Irregularitas non est censura; ideò falluntur illi, qui in Iubilæo putant confessarios posse absolvere ab Irregularitate, quia in Bullâ Iubilæi licentia datur absolvendi ab omnibus censuris. Falluntur, inquam, quia Irregularitas non comprehenditur sub nomine censuræ; vnde nemo in Iubilæo potest absolvere ab Irregularitate, nisi de eâ fiat expressa mentio. Quoad divisionem eius, quintuplex statuitur. Prima provenit ex defectu Sacramenti. Secunda ex defectu corporis. Tertia ex defectu animæ. Quarta ex homicidio. Quinta est ea, quæ annectitur certo alicui crimini expresso in jure canonico. De illis sigillatim agemus.

Quæres, quid sit Irregularitas procedens ex defectu Sacramenti? Resp. esse eam quæ oritur ex bigamia: bigamia autem est status conjugati cum duabus conjugibus, sivè simul, sivè successivè. Qui ergo duas uxores duxit, fit irregularis, & non potest Ordines Ecclesiasticos, aut officia, aut beneficia recipere. Triplex est bigamia. Prima est vera, quando quis cognovit duas uxores successivè. Secunda interpretativa, quando quis contraxit cum viduâ, vel cum aliâ cum quâ ipse commisit adulterium, vel alius. Tertia est similitudinaria, quando scilicet quis Ordine sacro insignitus, vel astrictus voto solemni, contrahit cum aliquâ, & consummat licet sit Virgo. In his tribus speciebus bigamiæ contrahitur irregularitas de quâ solus Papa potest dispensare; immò in verâ bigamiâ, non solet dari dispensatio, nisi magna ex causa.

Quæres, quando contrahitur Irregularitas ex defectu corporis? Resp. in his casibus oriri. Primò, quando quis privatur aliquo membro ob culpam suam, v. g. si sit in pœnam alicujus delicti, vel si ipse absciderit sibi membrum ob indignationem, ut habetur *can. si quis absciderit*, dummodò hoc ultimum sit notorium. Si autem privatio membri advenit sine culpa; si ille defectus impedit usum Ordinis, aut importet notabilem deformitatem in usu, Irregularitas incurritur; si neutrum facit, non incurritur. Sic qui habet tantùm unum oculum, propter deformitatem est irregularis; qui autem caret, non oculo, sed visu unionis oculi, non fit irregularis, nisi fuerit oculus sinister, ut dicunt canones; quia cum dextro non posset legere canonem sine indecorâ conversione faciei ad populum. Notat tamen Navarrus, quod si hæc deformitas posset vitari, impeditur Irregularitas. Secundò, quando quis habet membrum superfluum, aut nimis grande; sic Canones. Quod tamen intelligitur, si impediat usum Ordinum, aut afferat nimiam deformitatem, de qua solus Episcopus judicare potest. Tertiò, quando quis est illegitimus, etiam occultissimus; si credat matri, debet occultè petere dispensationem; si non credit, non tenetur. In hac Irregularitate ad minores & ad simplex beneficium potest dispensare Episcopus: ad majores & curatum beneficium solus Pontifex. Dubium est, utrùm infans, de cujus legitimatione non constat, possit promoveri ad Ordines. Duo Casuistæ citati a Binsfeldo affirmant, alii negant, præsertim Covarru-

vias, dicens, quod nullus in dubio præsumitur legitimus, sed in tali casu potest dispensare Episcopus. Quartò, qui ante debitam ætatem Ordinem susciпiunt, suspensi sunt, & dum exercent, fiunt irregulares: Si quis tamen ex simplicitate & sine dolo hoc faceret, neutrum incurreret ex Navarro. Qui infectantur leprâ, vel habent alias infirmitates scandalosas, ut Epileptici, Obsessi à Dæmone, Phrænetici, & Abstemii qui talem vini habent horrorem, quod nequidem guttulam deglutire possint sine vomitu. Sextò, tandem Hermaphroditi, Infames & servi fiunt Irregulares; isti tamen possunt ordinari cum facultate domini sui, & tunc fiunt liberi.

Quæres, in quibus casibus contrahatur Irregularitas ex defectu animæ? Resp. primò, quòd sit irregularis qui caret scientiâ necessariâ ad usum sui Ordinis; & hic defectus, quamdiu durat, tamdiu facit irregularem. Ad primam tonsuram requirit legere & scribere Concilium Tridentinum, & ad minores Ordines linguam Latinam. Secundò, hæc Irregularitas incurritur defectu judicii; unde idiota non potest ordinari. Tertiò, non Baptisati fiunt irregulares, quantumvis aliunde fidem haberent, Catechumeni, Hæretici, & fautores hæreticorum, idem filii hæreticorum, usque ad secundam generationem per lineam masculinam, & usque ad primam per lineam fœminiam, similer Iudæi, Saraceni, & Pagani; & in his solus Papa dispensat.

Quæres, quid sit Irregularitas ex defectu homicidii? Resp. duplicem esse; una oritur

ex homicidio justo, & vocatur Irregularitas ex defectu personæ lenitatis, seu mansuetudinis; quia ille qui occidit & mutilat, etiam ex justâ causâ, non censetur habere perfectam mansuetudinem, nec in hoc Christum imitari. Alia oritur ex homicidio injusto, quæ vocatur Irregularitas ex delicto. Irregularitas utraque non tantùm contrahitur ex homicidio, sed etiam ex mutilatione alicujus membri; per membrum autem intelligitur ea pars quæ habet officium per se distinctum in corpore, ut sunt manus, pes, auris; unde qui alteri amputaret digitum, non esset irregularis.

Homicidium duplex est, nempe voluntarium, quod fit cum intentione occidendi; & involuntarium, quod fit præter intentionem agentis. Voluntarium duplex est; nempe justum, quale committere dicuntur judex, testis, tortor, & similes, qui sunt justa causa, cur morti reus tradatur: & injustum, quod committunt illi, qui sine justâ causâ aliquem trucidant, ex odio & perversâ intentione.

Quicumque Christianus, usu rationis pollens, committit homicidium voluntarium injustum, fit irregularis; amentes ergo, furiosi, & infantes non fiunt irregulares, concurrendo ad mortem, quia ratione uti nequeunt; nec etiam infideles, qui non sunt subditi Ecclesiæ à quâ fertur & declaratur Irregularitas; nec etiam illi qui embrionem destruunt, quia embrio non est homo, nec destructio embrionis hominis cædes. Illi qui dant causam propriam injustæ occisioni aut mutilationi, illam committendo, vel consulendo, aut juvando, aut

imperando, sunt irregulares; nisi mandatum vel consilium revocaverint, & illam declaraverint revocationem mandatario. Faber qui arma cudit quibus mors illata est, non fit irreguris, quia est tantùm causa remota homicidii. Permittens homicidium non fit irregularis, nisi teneatur illud impedire ex officio vel stipendio; si autem ad hoc tantùm teneatur ex charitate, non fit irregularis, nec peccat contra præceptum, homicidium prohibens, sed solùm contra charitatem.

Quoad Homicidium justum; modò contrahitur Irregularitas, illud committendo, modò non. Non contrahunt illi qui alios occidunt à quibus invaduntur, modò hoc fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam si occasionem dederint invasori, v. g. adulterando cum ipsius uxore. Quòd si fugere valens, non fugiat invasorem, sed ipsum occidat, fit irregularis, quia non servat moderamen inculpatæ tutelæ, nisi talis fuga ipsi cedat in notabilem infamiam. Idem dicendum est de illo, qui alium occideret ad devitandam bonorum suorum deprædationem, vel proximi sui, maximè si sit ex amicis intimis; tunc enim deprædatorem occidere licere creditur sine irregularitate, si aliter furtum impediri non possit. Irregulares verò fiunt illi qui extra casum conservandi vitam aut temporalia bona, sivè sint propria, sivè amicorum, aliquem, etiam justè, occidunt; unde judices, accusatores, testes, proferentes sententiam, consilium præbentes, Notatii, Advocati & Procuratores accusatorum, sequuta morte, Irregularitatem eo ipso contrahunt. Non tamen

Advocati loquentes in favorem accusati, nisi per eorum patrocinium injustum sint causa, cur accusator injustè tradatur morti, aut mutilationi; aut nisi imperitia Advocati sit causa, cur accusatus, quem defendere suscepit, ad mortem damnetur: quod idem dicendum est de imperito medico, cujus ignorantia mortem ægroti causat. Prælatus Ecclesiasticus jurisdictionem habens temporalem, potest quidem judicem laïcum instituere, & mandare illi, ut suo fungatur officio: nequit tamen præcipere in particulari, ut aliquem condemnet ad mortem; nec assistere debet judicio aut executioni, nè videatur approbare talem condemnationem, aliàs fieret irregularis. Clerici sine irregularitate conqueri possunt de suis malefactoribus; modò protestentur, se mortem illorum non intendere, sivè illa sequatur, sivè non. Clerici non habentes jurisdictionem adesse possunt judicio sanguinis, & executioni; hoc tamen indecens est, & eos non vellem à peccato veniali excusare. Qui sunt causa propria, cur mors acceleretur, fiunt irregulares, sicut confessor, qui obtineret à judice, ut strangularetur ille qui comburendus erat, aut qui diceret patienti, ascende scalam citius, admove caput stipiti, vel qui diceret tortori, fungere tuo officio; sicut etiam illi qui ligna ad comburendum hæreticos portarent, si illa ligna cooperata sint ad mortem. Non sunt tamen irregulares, qui ex accidenti mortem aliquandò accelerant sine intentione, ut sunt illi qui infirmos movent, aut vinum præbent ægroto bona fide, licet ex utroque mors sequatur; nisi evidenter probabile

sit, mortem ob hoc esse accelerandam. Si Laïcus Medicinam aut Chirurgiam exerceat secundùm regulas artis, non fit irregularis, etiam si propter sanitatem amputet membrum; quia non deest lenitas, quando præscinditur pars, ut totum servetur. Si culpâ Medici aut Chirurgi pereat ægrotus, contrahitur irregularitas; censetur enim causa injusta mortis. Clericus in minoribus existens, licet sit beneficiarius, exercere potest Medicinam & Chirurgiam sine irregularitate, etiam abscindendo & adurendo: hoc enim talibus non prohibetur. Majoribus ordinibus initiati non possunt, exercendo Medicinam aut Chirurgiam, amputare aut adurere; immò hoc faciendo, fiunt irregulares, nisi hoc faciant in extremâ necessitate, v. g. tempore pestis, ubi alii desunt. Si tamen mors sequuta non fuerit, nulla est irregularitas, nam illa non consurgit ex quâcumque mutilatione, sed tantùm ex illâ in quâ est defectus perfectæ lenitatis, ut quando amputatio præcipitur à judice. Medicus porrigens ægroto Medicinam dubiam, relicto certo remedio, fit irregularis, si mors sequuta fuerit. Si desit certum remedium, & salus infirmi desperata est, non fit irregularis qui porrigit dubium, etiam sequutâ morte; quia prudentiùs agit qui tentat viam dubiam sanitatem restaurandi, quàm qui infirmum deserit in statu insperatæ salutis. Si salus infirmi non est desperata, pharmacum dubium qui applicat fit irregularis; nam fieri potest, ut ægrotus propter illud decedat. Sacerdos, qui per regulas artis applicat emplastrum mollificativum ex quo mors sequitur absque illius

illius culpâ, non fit irregularis; quia non dicitur mederi per abscissionem. Clericus consulens, aut præcipiens abscissionem; aut adjuvans Chirurgum abscindentem, non fit irregularis, modò hoc faciat ex peritiâ artis, etiam sequutâ morte; quia jus prohibet tantùm abscissionem, & pœna lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, nisi exprimatur. Clericus sacris initiatus aperiens venam ad emittendũ sanguinem, fit irregularis, sequutâ morte, quia hoc est propriè incidere; aliqui tamen contrarium sentiunt, dicentes, venæ apertionem pertinere ad officium tonsorum, quod clericis non prohibetur à jure, & non Chirurgorum; sed hoc immeritò dicitur.

Quartùm ad homicidium casuale; duplex est, unum simpliciter casuale, quod non est voluntarium in se, nec in causâ, quale committitur ab ebrio, qui antequam se vino daret, nullo modo homicidium prævidit; tale homicidium nec directè, nec indirectè est voluntarium, nec in se, nec in causâ; non in se, quia quando ebrius occidit, hoc est sine advertentiâ rationis; nec in causâ, quia cùm se dedit vino, de homicidio non cogitabat: cùm ergo illud homicidium sit purè casuale & nullomodò voluntarium, non est peccaminosum, nec irregularitatem inducit; unde Amentes, Furiosi, Ebrii, Infantes, dùm occidunt, non fiunt irregulares. Aliud homicidium est non purè casuale, quod scilicet est voluntarium in causâ, licet sit involuntarium in se; quando v. g. aliquis ante ebrietatem statuit inimicum occidere, deinde, cùm ebrius est, ipsum trucidat, tale homicidium est quidem directè & in se casuale,

quia est involuntarium, indirectè tamen & in causâ voluntarium est, & sic qui illud committit, fit irregularis: modò ante ebrietatem diligentiam non præmiserit, ut impediretur homicidium, curando v. g. aliquos sibi assistere tempore ebrietatis, qui homicidium impediant; tunc enim homicidium redditur involuntarium. Qui dando operam rei licitæ, occidit, non fit irregularis; modò diligentiam adhibuerit. Dans operam rei illicitæ censetur irregularis (licet diligentia adhibita fuerit) à Sylvest. Toleto, & aliquibus, contra communiorem Doctorum sententiam. Quod si res illa illicita sit periculosa de se, una pars Doctorum sentit contrahi irregularitatem; qui dat enim operam rei illicitæ periculosæ, censetur homicidium velle ex eâ sequens: altera contrarium tenet, quia periculum purgatur per diligentiam adhibitam: sed dicerem cum Bonacinâ irregularitatem contrahi reverà, si ex tali actione mors communiter sequi soleat; secùs si tantùm ratò. Conficiens arma, aut chartas lusorias, ex quibus mors sequitur, non fit irregularis, quia est tantùm causa remota mortis. Tradens aliquid infirmo, vel tradi consulens contra præceptum medici, fit irregularis, si mors acceleretur; secùs, si quis hoc faciat bonâ fide, & non contra præscriptum medici. Pharmaci componentes medicinas ex rebus corruptis, incurrunt irregularitatem, si mors sequatur; quia dant operam rei periculosæ illicitæ, nec diligentiam adhibent. Qui alium casu occidit secans lignum in die festo, licet det operam rei illicitæ, non fit irregularis; quia illa actio non est periculosa in ratione homici-

dii. Magister occidens vel mutilans discipulum, excedendo modum correctionis, & non adhibendo diligentiam, fit irregularis; non verò si leviter tantùm vulneravit, etiamsi mortuus fuerit ex imperitiâ Medici, vel ex intemperantiâ discipuli. Ecclesiasticus judex præcipiens sæculari, ut reum puniat de crimine quod non meretur mortem aut mutilationem, non fit irregularis; esto sæcularis judex excedat in punitione, & reus moriatur; quia est tantùm causa casualis. Qui præcipit Petro, ut Paulum occidat, fit irregularis, si ipse Petrus à Paulo occidatur, quia præcepit opus illicitum periculosum, & non adhibuit dillgentiam; Hostiensis contrarium senrit. Qui consulit alteri actionem periculosam, ex quâ mors sequuta est, dolosè & non bona fide, fit irregularis; sic sunt illi qui duellum suadent, aut periculosum trajectum fluminis periculosi vel viæ in quâ inimici præparaverunt insidias. Qui projicit lapidem in Petrum, & Paulum occidit, Petro declinante lapidem, irregularis censendus est communiter, quia non censetur adhibuisse sufficientem diligentiam; Petrus verò declinans lapidem non censetur irregularis, licet illa declinatio sit causa mortis Pauli, quia utitur jure suo. Qui choream ducit cum muliere prægnante, si saltatio immoderata sit, fit irregularis, abortu sequuto; quia sufficientem diligentiam non adhibet, ut vitetur abortus; sic & ille qui uxorem prægnantem cognoscit, non additâ præcautione. Qui inter dormiendum infantem in lecto susceptum interimit, non adhibens diligentiam, redditur irregularis. Qui lapidibus, aut hastis, aut gladiis certant, aut ni-

veis pilis, & oculum eruunt, non adhibitâ sufficienti diligentiâ, fiunt irregulares; sicut & illi qui tectum reficientes, tegulas projiciunt, nec transeuntes monent qui mutilantur. Super irregularitatem ortam ex quocumque homicidio potest dispensare Summus Pontifex: Episcopi autem possunt quidem dispensare super homicidium casuale, non verò super homicidium voluntarium, nec super casuale publicum; quia ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. facultas conceditur Episcopis dispensandi in irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Episcopus ergo dispensare potest illum qui intendit leviter percutere, attamen accidit homicidium; potest etiam illum dispensare, qui mandavit servo alterum percutere tantùm leviter, attamen occidit; sicut & illum qui alium occidit occultè ad sui defensionem, licet non observaverit moderamen inculpatæ tutelæ, quia tale homicidium non censetur voluntarium; non verò potest dispensare cum illo qui alium joco percutit leviter, sed postea seriò prosequitur, ex quo sequitur homicidium, licet sit occultum; quia voluntarium censetur. Nec potest etiam dispensare irregularem ex occultâ occisione in bello justo; sed dispensare potest illum qui fecit mutilationem injustam, modò sit occulta; quia ex Concilio dispensare potest superi rregularitatem ex delicto occulto provenientem.

Quæres, quid sit Irregularitas ex delicto. Resp. quòd sit illa quæ oritur ex certis quibusdam delictis, quibus ex jure annectitur irregularitas; & hi casus principaliores sunt. Primò,

quando aliquis deformat alium, ideſt, mutilat aut occidit, de quo anteà diximus. Secundò; quando quis malè ſuſcipit, aut exercet Ordines; ex primo irregulares fiunt ex communiori Doctorum ſententiâ qui ligati majori Excommunicatione ſcienter recipiunt Ordines majores, *ex cap. cùm illorum, de ſent. Excomm. in 6.* non verò ſuſpenſi aut interdicti, quia jura loquuntur tantùm de Excommunicato. Fiunt etiam irregulares qui eodem die, inſcio Epiſcopo, recipiunt Minores & Subdiaconatum, vel duos Majores, *ex. cap. 1. & 2. de eo qui furtivè ordinem recipit*, de quâ irregularitate diſpenſare poteſt Epiſcopus, modò delictum ſit occultum; qui verò per ſaltum Ordines recipit, eſt quidem ſuſpenſus; ſed non irregularis, niſi exerceat ſolemniter: ſed ille qui furtivè recipit, irregularis cenſetur à pluribus, & ab aliis tantùm ſuſpenſus; & furtivè ille dicitur recipere Ordines, qui ordinatur neſciente Epiſcopo, vel non examinante, aut qui alium ſub ſuo nomine examinandum ſufficit, deinde vocatus proprio nomine ſuſcipit Ordines. Irregularis etiam fit qui conjugatus Ordines ſuſcipit ſacros, ex Extravag. *antiquæ concertationi*; ſicut & ille qui Ordines majores ſuſcipit ab Epiſcopo, qui ſuæ juriſdictioni renuntiavit, aut qui ſuſpenſus, excommunicatus, interdictus, vel hæreticus eſt notorius; non verò ille qui ſine Confirmatione ordinatur, nulla enim eſt irregularitas, ſi non ſit in jure expreſſa. Ex ſecundo, ſeu ex Ordinum uſu, fiunt irregulares, qui Excommunicati maj. excom. ſuſpenſi, vel interdicti exercent ſolemniter actus majoris Ordinis, etiamſi ſint occulti,

ex cap. *Si quis Episcopus in Concilio*; nisi excusentur ex necessitate, vel inadvertentiâ, aut occasione vitandi scandali. Qui cantat ergo ut Hebdomadarius in choro, (non alii) qui canit Epistolam aut Evangelium solemniter, hoc est cum manipulo vel stolâ, qui baptisat solemniter, qui consecrat aquam benedictam, qui absolvit sacramentaliter, qui benedicit sponsis, vel ministrat Eucharistiam, fiunt irregulares, quia exercent actum sui Ordinis; non verò sacerdos excommunicatus aut suspensus assistens Matrimonio, quia non exercet propriè actum Ordinis, nec jurisdictionis propriæ: si hæc delicta sint occulta, Episcopus dispensare potest. Porrò, exercens scienter actum solemnem Ordinis majoris, quem non habet, fit irregularis; cap. enim. 1. & 2. *de clerico non ordinato*, habetur, quòd nunquam ordinetur, & hoc sonat irregularitatem; & pro tunc, si delictum sit publicum, solus Papa dispensare potest, ut ad ulteriores Ordines accedat; si verò sit occultum, dispensat Episcopus, & licet sit publicum, dispensare potest, ut exerceat susceptum Ordinem.

Tertium delictum ex quo incurritur irregularitas, est Baptismi reiteratio culpabilis, quâ positâ, rebaptisans & rebaptisatus sunt irregulares, immò & Acholitus ministrans solemniter in reiteratione Baptismi, cap. *ex litterarum de Apostatis* Non tamen incurritur irregularitas ob reiterationem Confirmationis aut Ordinis; non incurritur enim nisi sit in jure expressa, & in censuris non licet argumentum ducere à simili. Qui differt baptisari usque ad mortem vel ægritudinem, irregularis censetur cap. *si quis, dist.* 57.

Irregularitatem etiam incurrit qui baptisatur ab hæretico, modò hoc cognoscat & patiatur.

Quartum delictum est Hæresis, ex quâ irregularitas contrahitur; unde Hæretici, Apostatæ à fide, eorumque fautores, irregulares censentur, etiam si sint occulti; cap. *saluberrimum, quæst.* 1. ad hoc tamen requiritur, ut hæresim externo signo indicaverint; Ecclesia enim non judicat de internis. Qui exteriùs profert hæresim, & interiùs benè sentit, irregularis non est, nec Hæreticus; sed Apostata à fide, qui interiùs benè sentit de Deo, & exterius idolum veneratur, irregularitatem contrahit, cap. *Presbyteros*, dist. 50. quia peccat contra præceptum negativum Fidei. Pactum cum Dæmone ineuntes, irregulares fiunt, quia sunt suspecti hæresis, & ex illâ suspicione oritur infamia, quæ facit irregularem. Schismatici, quorum separatio non est conjuncta cum hæresi, non sunt irregulares; quia ex cap. *is qui, de sent. excom.* non incurritur irregularitas, nisi sit expressa in jure. Apostata à statu clericali, qui habitum non habet nec tonsuram, non est irregularis; sed benè apostata à religione, quamdiu manet in illâ, quo tempore ad ordines promoveri non potest. Filii hæreticorum sunt irregulares, cap. *statum*, 2. *de hæreticis*; sed hoc non est in usu in pluribus locis.

Quintum delictum est Infamia, sivè sit infamia juris, sivè sit infamia facti. Infamia juris oritur quando imponitur alicui à judice pœna infamiæ; vel quando quis per sententiam judicis damnatus est crimine gravi infamiam involvente, ut sunt Furtum, Usura, Simonia, Hæresis, Sodomia, &c. vel quando aliquis crimen infame

confessus est in judicio. Infamia facti oritur ex delicto commisso, infamiam involvente, modò sit publicum & notorium majori parte viciniæ. Ubi attendi debet, quòd aliquis possit notari infamiâ juris, licet non notetur infamiâ facti; si scilicet per falsos testes damnetur à judice pro crimine non commisso. Stante infamiâ quâlibet, nullus potest ad Ordines promoveri; sed infamia auferri potest per emendationem, scilicet manifestam, si sit infamia facti; vel in infamiâ juris, per declarationem Summi Pontificis, aut Episcopi in minoribus criminibus, si sit infamia juris canonici; vel per abolitionem principis, si sit infamia juris civilis.

Sextum delictum erat olim Pœnitentia solemnis, seu potius crimen ob quod aliàs pœnitentia injungebatur solemnis: triplex enim erat Pœnitentia; Sacramentalis secreta, quæ imponebatur à sacerdote; Publica non solemnis, quæ injungebatur ab Episcopo ob crimen publicum, non tamen enorme aut scandalosum; & Publica solemnis, quæ injungebatur etiam ab Episcopo, initio Quadragesimæ, cum illis cæremoniis quæ continentur in Canone, quibus v. g. pœnitentes tenebantur, cereis accensis præ manibus, & diademate imposito capiti, stare in foribus Ecclesiæ, dum persolvebantur divina officia. Illi, quibus talis injungebatur pœnitentia, erant irregulares: sed non est amplius in usu.

Porrò, ex bello potest interdum oriri irregularitas; sed hoc distinguendum est. Primò, quicumque occidit aut mutilat in bello justo, vel injusto, fit irregularis; modò non occidat ad conservationem suæ vitæ, quam, nisi

occidendo, conservare non potest. Adverte tamen, quòd si bellum sit injustum, illa irregularitas vocatur ex delicto; & si bellum sit justum, vocatur ex defectu lenitatis. Secundò, pugnans in bello justo, ubi fiunt homicidia, non est irregularis, modò ille non occiderit aut mutilaverit; nec â fortiori consulens bellum justum; nec clerici qui in genere hortantur milites ad pugnandum; sicut nec illi qui hortantur aliquem ut moriatur pro fide vel patriâ, quia non est tam cooperari morti alterius, quam cooperari ipsius charitati, aut amori patriæ. Tertiò, qui pugnat in bello injusto, aut illud consulit, aut hortatur milites, fit irregularis, si homicidium sequutum fuerit. Sic & illi qui suadent tentare periculum sine necessitate. In bello justo contrahitur irregularitas ab illo qui suadet ut occidatur aliquis in particulari; non verò, si suadeat tantùm in communi. Quartò, qui dubitat probabiliter aliquem occidisse etiam in bello justo, irregularis est, secùs si non dubitet; *ex cap. petitio tua.* Quintò, præbentes arma etiam offensiva, in bello justo, non fiunt irregulares, ex cap. *petitio tua*; benè autè illi qui ea præbent in bello injusto. Quando clerici se commitunt bello ex consensu Summi Pontificis, non censentur irregulares; etiamsi occidant; censetur enim Papa illos dispensasse. Quoad absolutionem irregularitatis contractæ in bello; solus Papa regulariter dispensare potest, quia licet hoc homicicium posset esse occultum, & possint Episcopi dispensare de irregularitate occultâ; hoc est semper, exceptâ illâ quæ procedit ex homicidio voluntario.

Finis tertiæ Partis.

Privilege du Roy.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Tolouse, Roüen, Dijon, Bordeaux, Aix, Grenoble, Rennes & Mets, Baillifs, Seneschaux, Prevosts desdits lieux ou leurs Lieutenans, ou autres nos Officiers & Justiciers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien amé Frere JEAN GABRIEL BOYVIN Prestre, Religieux de l'Ordre des FF. Mineurs de l'étroite Observance de saint François du Convent de Vire, Dioceſe de Bayeux, Professeur en Theologie, Nous a fait remontrer qu'il a composé un Ouvrage, intitulé, *Theologia Scoti à prolixitate, & subtilitas ejus ab obscuritate vindicata*, lequel nostre cher & bien amé Conseiller en nos Conseils le Sieur de Nesmond Eveſque de Bayeux, auroit fait examiner par plusieurs Docteurs en Theologie de la Faculté de Paris qui resident dans son Dioceſe, qui ont trouvé que non seulement il n'y a rien qui resiste à la Foy, mais encore que l'ouurage pouvoit estre utile au public; c'est pourquoy il desireroit le faire imprimer; mais il craint que quelques Imprimeurs ou Libraires, autres que ceux ausquels il l'auroit permis, vouluſſent entreprendre sur son

travail, Nous a requis sur ce nos Lettres necessaires. A ces Cavses, desirant favorablement traiter l'Exposant, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes de faire imprimer ledit Ouvrage en vn ou plusieurs volumes; Ensemble le faire vendre & debiter en tel caractere & grandeur & marge que bon luy semblera, en vn ou plusieurs volumes, en Latin ou en François seulement, ou en Latin & François ensemble, & les traductions qui en pourroient estre faites, pendant le temps de neuf années, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer; à la charge qu'il en sera mis deux Exemplaires dans nostre Bibliotheque, & un en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier le Sieur Seguier Chancelier de France, avant que de l'exposer en vente; Comme aussi de le faire enregistrer sur le livre de la Communauté des Libraires. Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires & autres, de quelque qualité & condition qu'ils soient, de les imprimer ou faire imprimer, vendre ou debiter durant ledit temps, que du consentement dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de deux mille livres d'amende, applicables, un tiers à Nous, un tiers au Denonciateur, & l'autre tiers audit Exposant, ou ayant droit de luy. Si vous mandons de faire joüir ledit Exposant, ou ceux qui auront droit de luy, du contenu en ces presentes, pleinement & paisiblement, faisant cesser tous troubles & empeschemens; voulons qu'au vidimus des presentes qui sera inseré aux dites œuvres, foy soit

adjoûtée comme à l'Original. Mandons au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des preſentes tous Exploits, Significations, & autres Actes neceſſaires, ſans pour ce demander viſa, placet ny pareatis, nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, Priſe à Partie, & autres Lettres à ce contraires: Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le dernier jour d'Octobre l'an de grace mil ſix cens ſoixante-quatre. Et de noſtre Regne le vingtiéme. Par le Roy en ſon Conſeil, Signé, LOUIS. Paraphé & ſeellé avec le grand Sceau en cire jaune.